
SEX. IVLII FRONTINI
DE
AQVAEDVCTIBVS
VRBIS ROMAE
COMMENTARIVS

Antiquæ fidei restitutus, atque explicatus

OPERA ET STVDIO

IOANNIS POLENI.



PATAVII CIƆ IƆ CCXXII.
Apud Ioannem Manfrè.
Superiorum Permissu, & Privilegio.

Illustrissimis & Excellentissimis Viris

REI LITTERARIAE MODERATORIBVS

CAROLO RVZINO

Equiti, atque AEdis D. Marci Procuratori,

FRANCISCO SVPERANTIO

AEdis D. Marci Procuratori,

IO. PETRO PASCHALICO,

TOTIQVE TRIVMVIRVM LITTERARIORVM

ORDINI AMPLISSIMO

Ioannes Polenus S. P. D.

S*EXTI Iulii Frontini Commentarius de Aquaeductibus Vrbis Romae, quem VOBIS offero, VIRI AMPLISSIMI, tum propter claritatem Authoris, tum propter materiae magnificentiam meretur quidem, ut benigne excipiatur. Fuit enim Frontinus Vir &*

* 2 *rerum*

rerum publicarum administratione, & sapientiæ, & amore in patriam, & litterarum tutela præclarus: cum vero similibus de caussis VOS quoque mirabiliter excellatis; fieri non potest, quin ex ea, quæ in Nobilissimis Viris plurimum valet, dignitatum, morumque similitudine, Frontinum nostrum ametis. Commentarius autem ipse de Aquæductibus, hoc est de operibus, quæ inter maxime admiranda Romanæ Reipublicæ jure meritoque habita sunt, satis haud dubie faciet animis vestris, illustria & magna quæque adamantibus. Utinam vero is ego essem, qui Authore, & Opere hoc dignas annotationes adjicere potuissem: & quemadmodum in hujusmodi studia, mathematicis sane cognata, proclivis semper plurimum fui, ita ingenium propensioni meæ respondisset. Quod unum potui, non peperci diligentiæ, non labori assiduo, qualis prorsus requirebatur in re gravissima, variisque difficultatibus implicita, & perobscura; nimirum ut depravata loca restituerem, magnam quamdam lacunam ex certis

ratio-

ratiociniis explerem, totumque Commentarium explicarem: in quæ ut incumberem, præter materiam, illa etiam argenteæ ætatis elegantia me excitabat vehementer. Namque is Commentarius concinnitate ſtili multis illius ætatis Libris nihil concedit; etſi omnibus fortuna concedere debuerit. Quandoquidem reliqui omnes ejus temporis Libri Explanatores invenerunt illuſtres, qui diligentes emendationes explicationeſque in eoſdem contulere: verum Frontini Commentarius paucas, eaſque aut nimis breves, aut nimis (detur vero venia) oſcitanter ſcriptas, annotationes ſortitus eſt. Neque modo pauca ad illuſtrationem Operis Frontiniani pertinentia commentati ſunt Viri Eruditi; verum etiam, calamitate neſcio qua, non ea omnia, quibus Eruditorum deſudavit induſtria, prodiere. Illa enim deſideratur, quæ lucis plurimum Commentario Frontini afferre potuiſſet Gallica Interpretatio: de qua doctiſſimus Vir Io. Baptiſta du Hamel hæc ſcripſit in Regiæ Scientiarum Academiæ Hiſtoria ann. 1685. „ Cum

D. de

„ *D. de Louvois per D. Thevenot postulasset ab*
„ *Academia, ut eum Iulii Frontini Librum Gallice*
„ *redderet, qui de aquæ ductibus inscribitur, &*
„ *perobscurus semper visus est, plures ex Academia*
„ *volumen inter se partiti brevi temporis spatio illud*
„ *sunt interpretati. Tum suum quisque laborem in*
„ *medium contulit, & Domino Sedileau earum re-*
„ *rum admodum perito quidquid fuit elaboratum,*
„ *ut expoliret & cum exemplaribus interpretationes*
„ *conferret, traditum est. Quod quidem operis non*
„ *inutile fortassis, nec indignum publica luce futurum*
„ *est* „. *Sive tamen immatura D. Sedileau morte, sive aliqua alia de caussa, Illustrium illorum Academicorum labores vulgati haudquaquam fuere. In hac igitur tanta auxiliorum inopia quid mea industria præstare potuerit, nec scio; nec, si scirem, dicere auderem. Vtcumque est, si lucubrationes hæ meæ excitaverint alios ad optima super eodem Commentario proferenda; si illam, quæ susceptis rei litterariæ juvandæ caussa laboribus denegari non solet,*

ga-

gratiam collegero ; si VOS *præsertim* , VIRI AMPLISSIMI, *tum optimam meam benemerendi de illiusmodi Disciplinis voluntatem , tum hoc testimonium meæ erga* VOS *observantiæ & cultus æqui bonique feceritis ; laboris mei fructum uberrimum mihi profecto videbor esse consecutus. Valete.*

Patavii. V. Kal. Sept. CIↃIↃCCXXII.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato; *Sexti Iulii Frontini de Aquæductibus Urbis Romæ Commentarius antiquæ fidei restitutus, atque explicatus opera & studio Ioannis Poleni*; non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza a Gio: Manfrè Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 16. Settembre 1719.

(Alvise Pisani Kav. Proc. Ref.
(Gio: Pietro Pasqualigo Ref.
(Michiel Morosini Ref.

Agostino Gadaldini Segr.

IOANNIS POLENI
AD
SEX. IVLII FRONTINI
COMMENTARIVM
DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE
PROLEGOMENA.

CAPVT I.

Sex. Iulii Frontini Vita per Consules distincta.

IVlia Gens, in Patriciam Majorum Gentium, ac Plebejam divisa, plures habuit Familias, seu cognomenta. Patriciæ quidem cognomina fuere Cæsarum, Iulorum, Libonum, Mentonum: Plebejæ vero quæ cognomina fuerint, non æque certe constitui potest; cum de multis hujusce Familiæ Viris, num Patricii fuerint, an Plebeji, monumentorum inopia incertum faciat. Illud tamen verisimillimum reor, Iulios, qui Vespasiano Imperatore ac posterioribus temporibus floruere, ex antiquis Patriciis nequaquam fuisse; cum jam (teste Tacito in *Annal.* Lib. X. Cap. 25.) vel Claudii tempore pauci jam essent reliqui Familiarum, quas Romulus Majorum, & L. Brutus Minorum Gentium appellaverant: quamobrem Claudius Cæsar in numerum Patriciorum adscivit vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Morem vero hunc secuti etiam alii Imperatores, ac Vespasianus (eodem Tacito in *Agricola* Cap. 9. referente) Iulium Agricolam, præter ceteros, inter Patricios cooptavit. Quod cum notaverit Antonius Augustinus in Opere *de Gentibus Familiisque Romanorum*, ubi Iulios Consules, etiam suffectos, post Caligulam ad Maximinum Imperatorem enumerat; miror sane, Iulium Frontinum nostrum fuisse ibi prætermissum. Quod vero Fulvius Vrsinus, Richardusque Streinnius in ejusdem argumenti Operibus nihil de Iulio Frontino nostro dixerint, mirandum non est; cum ad Trajani tempora hi non descenderint. 1.

Porro ex iis, quæ paullo ante dixi, conjicio, Iulium Frontinum non fuisse 2.

ex veteri Patricia Familia ; fuisse tamen Patricium ; nimirum ex iis, qui aut ipsi, aut ipsorum parentes inter Patricios ab Imperatoribus fuerant adsciti. Cum enim diserte in Commentario *de Aquaeductibus* (Art. 1.) testetur, *Officium Aquarum administratum semper per Principes Civitatis Viros*, ipse vero id Officium administraverit, atque ideo vel hoc nomine liqueat, cum inter Civitatis Principes fuisse ; obtinuisse quoque locum inter Patricios, credibile prorsus est. Num vero Iulii Frontini Vrbs Roma patria fuerit, an alia regione (ut Iulius Agricola Forojuliensium Colonia, Tacito teste) ortus, non conjiciam : nihil enim usquam, unde conjecturas probabiles ordiri possem, inveni.

3. Nunc antequam annos propono, monebo, me in numerandis ab Vrbe Condita annis secuturum in vita hac scribenda supputationem Varronis, ut notiorem. Quod si ab annis, qui proponentur, duos detrahes, habebis annos secundum Frontinianam supputationem, quae in Annotationibus ad ipsum Frontini Commentarium necessario sequenda fuit.

ANNO AERAE VVLG. CHR. LXX. VRBIS CONDITAE DCCCXXIII.
T. FLAVIO VESPASIANO AVGVSTO II. T. FLAVIO CAESARE. COSS.

4. Vt patria, ita quoque in obscuro sunt res a Frontino gestae usque ad Praeturam. Quod enim primum de Frontino memoratur id est, ab eo Vrbano Praetore Senatum fuisse vocatum. En verba Taciti, qui postquam in *Historiarum* Lib. IIII. Cap. 38. narraverat, Vespasianum iterum, ac Titum absentes consulatum iniisse, in Cap. 39. ita pergit; *Kal. Ianuariis in Senatu, quem Iulius Frontinus Pretor Vrbanus vocaverat, Legatis exercitibusque, ac Regibus laudes grateque decrete. Et Tertio Iuliano Pretura, tamquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. Et mox, ejurante Frontino, Caesar Domitianus Preturam cepit*. Ejuravisse autem Frontinum existimo, ut Domitiano gratum faceret, qui non modo honorem Praeturae Vrbanae, sed *honorem* (ut Suetonius in ejus Vita Cap. 1. scribit) *Pretura Vrbana cum potestate consulari suscepit*. Credibile etiam est, studuisse Frontinum, ut hoc facto Imperatorem ipsum Vespasianum Domitiani patrem demereretur. Hunc vero Frontinum nostrum fuisse, qui *de Aquaeductibus* scripsit, neminem inveni, qui negaret.

5. Stephanus Vinandus Pighius (ad annum ultimum Lib. XVIII. *Annalium Romanorum*) suspicatur, superiore anno Praeturam gessisse Frontinum, cum *Kal. Ianuariis* citati a nobis anni, *posteaquam ipse Senatum (aberant enim novi Consules Vespasianus, & Titus) convocasset, abdicaverit*: pergitque Pighius ita ; *alioquin vix uno die Pretorem fuisse dicendum erit, nisi forsan ante Kal. Ianuarias novi Pretores Magistratum tunc inibant ; quod nusquam hactenus legi*. Sed, ubi Taciti verba considero, non possum non facere cum iis, qui rentur, Frontinum ante legitimum tempus deposuisse Magistratum ; quod non contigisset, si in superiorem annum incidisset ejus Praetura.

ANNO CHR. LXXIIII. V. C. DCCCXXVII.
T. FLAVIO VESPASIANO AVG. V. T. FLAVIO CAESARE III. COSS.

6. Hoc anno, aut circa hunc annum, Consulem Suffectum fuisse Frontinum, conjicio. Rationem conjecturae ut explicem, pro certo ponam, Frontinum Consulem fuisse, cum eum *consularem Virum* AElianus, in Praefatione Operis *de instruendis aciebus* perspicue nominet. Tum verisimillimum esse ajo, cum

in

in Britanniam iviſſe imperio proconſulari, & conſulatu jam functum; nam ferme omnes, qui cum imperio in eam Provinciam mittebantur, conſulares erant, prætereaque Frontinus eo tempore (ut paullo infra dicemus) miſſus fuit, quo tempore viro forti, atque prædito dignitate auctoritateque opus erat in ea regione. Deinde pono, credibile eſſe, Frontinum profectum fuiſſe in Britanniam anno V. C. 828 (ut mox exponam) quamobrem probabile fit, eum anno ante geſſiſſe conſulatum; quemadmodum conſtat contigiſſe Iulio Agricolæ Frontini ſucceſſori, qui ad Britanniam regendam profectus eſt anno conſulatum ipſius inſecuto. Adde, hoc anno V. C. 827. non alium reperiri Suffectum Conſulem præter Cæſarem Domitianum, cui collega Frontinus noſter eſſe potuit.

ANNO CHR. LXXV. V. C. DCCCXXVIII.

T. FLAVIO VESPASIANO AVG. VI. T. FLAVIO CAESARE IIII. COSS.

Hoc anno, conjicio, Frontinum in Britanniam miſſum. Vnus autem Tacitus eſt, ex cujus ſcriptis conjecturam facere poſſimus. Is in *Vita Agricolæ* Cap. 17. hæc habet; *& cum Cerialis quidem alterius ſucceſſoris curam, famamque obruiſſet, ſuſtinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque, & pugnacem Silurum gentem armis ſubegit, ſuper virtutem hoſtium locorum quoque difficultates eluctatus*. Ex his ergo colligendum videtur & Cerialem rexiſſe Britanniam, & Ceriali ſucceſſorem datum fuiſſe, cujus fama obruta geſtorum præceſſoris memoria, & huic Cerialis ſucceſſori ſubſtitutum fuiſſe Frontinum: cui deinde ſucceſſiſſe Iulium Agricolam, ea, quæ paullo infra citatum locum Tacitus ſubjicit, aperte commonſtrant. Porro doctis Viris probabile fit, Cerialem iviſſe in Britanniam anno V. C. 824 Agricolam vero anno V. C. 831. Fateor tamen non deeſſe, qui libentius in annum 832 profectionem Agricolæ rejiciant; ſed habita ratione eorum, quæ in *Hiſt.* Lib. V. & in *Agricolæ Vita* Tacitus habet, primis illis (ſi quid judico) eſt aſſentiendum. Itaque Cerialis, ejus ſucceſſor, & Frontinus ſeptem annis Britanniam rexere: cumque probabile ſit, ejus, cujus parum felix imperium fuit, brevius etiam tempus fuiſſe, tres anni Frontini imperio adſignari poſſe videntur; atque ideo ejus imperii initium in annum V. C. 828. poſſe referri. 7.

Quod ſi quis dicat, hujuſmodi diviſionem certam non eſſe, nihil quidem repugnabo: dummodo ne illud negetur, ex ea probabiliſſimum fieri, ſaltem circa illum annum (nimirum vel anno ante, vel anno poſt) Frontinum in Britanniam iviſſe. 8.

Marcus autem Zuerius Boxhornius, & plerique Interpretum in citato Cornelii Taciti loco anxie inquirunt, quo referantur verba illa, *quantum licebat*: ego vero facio cum Boxhornio, qui ad præcedentia verba, *ſuſtinuit quoque molem*, ea referenda contendit. Quaſdam enim alias interpretationes, quamvis honorificentiores geſtis Frontini noſtri, quod eas minus probabiles exiſtimo, miſſas facio. 9.

ANNO CHR. LXXVIII. V. C. DCCCXXXI.

L. CEIONIO COMMODO. D. NOVIO PRISCO. COSS.

His Conſulibus, cum Agricola (ut paullo ante diximus) Britanniæ tegimen ſuſceperit, credibile eſt, Frontinum reverſum fuiſſe Romam, ſubacta jam proximis ſuperioribus annis in Britannia Silurum gente, incolente regionem, 10.

quæ nunc principatus VValliæ pars est, & novis hodie nominibus (ut scribit Michael Virdungus in sua ad citatum locum Taciti nota) *Herefordschire*, *Radnorschire*, *Brecnocschire*, *Monmutschire*, *Glamorgenschire* appellatur.

11. Credibile quoque est, circa hæc tempora Frontinum admovisse manum scribendis Libris, qui *Strategematum*, sive *de solertibus Ducum factis & dictis* inscribuntur. Nam in Commentario *de Aquæductibus* (Art. 2.) profitetur, se alios Libros, præter ipsum *de Aquæductibus* Commentarium, *post experimenta & usum* composuisse. Nonne itaque probabile sit, post experimenta & usum rerum in bello gesto adversus Silurum gentem Libros ad bella omnino pertinentes cœpisse scribere?

ANNO CHR. LXXXIIII. V. C. DCCCXXXVII.
IMPERATORE DOMITIANO AVG. X. C. OPPIO SABINO. COSS.

12. Hoc anno *Strategematum* Libros Frontinum edidisse, existimo. Cum enim in Libris hisce quinquies Domitianus nominetur, semperque Germanici belli mentio fiat, atque Germanici titulus ipsi Domitiano sæpe addatur, nihil autem legatur in iisdem Libris, quod ad posteriora bella, præsertim Dacica, a Domitiano gesta pertineat; videtur quidem probabilissimum, hosce Libros fuisse editos post Domitiani e Germania reditum, ac post confirmatum ei Germanici titulum, quod (ut docti Viri colligunt) anno V. C. 837. contigisse, credendum est.

13. Falluntur autem Raphael Volaterranus (in *Comment. Vrb.* Lib. XVI. quo loco de Iuliis agit) & qui eum sunt secuti, reputantes, quattuor *Strategematum* Libros Trajano fuisse inscriptos. Quo enim modo id posset evinci? quo modo persuaderi posset, Frontinum inscripsisse Trajano Libros, in quibus Trajani nulla, Domitiani autem honorificentissima mentio? Domitiani, inquam, cujus nomen Frontinus in Commentario *de Aquæductibus*, edito Trajani tempore, ne inter Consules quidem ponere voluit, ut post Panvinium animadvertimus in Nota 27. Art. 102.

14. Sed ante hosce *Strategematum* Libros (quanto tamen ante incertum) Frontinus noster Libros, nunc deperditos, de Scientia militari ediderat: quod ex verbis, *quibus Strategematum* Libros exorditur, liquere contendit Gerardus Ioannes Vossius (*de Histor. Lat.* Lib. III. quo loco agit de Sex. Iulio Frontino) & recte quidem contendit. Sunt autem ea verba hujusmodi. *Cum ad astruendam rei militaris scientiam, unus ex numero studiosorum ejus accesserim, eique destinationi, quantum cura nostra valuit, satis fecisse visus sim; deberi adhuc instituta arbitror opera, ut solertia ducum facta* &c. Neque sane conferenti Libri primi exordium cum exordio quarti Libri dubium esse poterit, quin *frustra sit doctissimus Stevvechius* (utor Vossii verbis citato in loco) *cum suspicatur, Librum, qui quartus vocatur, esse opus de re militari*: & ante Vossium hoc idem animadverterat Sixtus Arcerius in suis ad AElianum Notis pag. 98. Porro Vegetius quoque in Lib. I. *de Re Militari* Cap. 8. fidem fecit, Frontinum Libros *de Re Militari* scripsisse: habet enim; *quæ Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit, quæ Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt* &c.

15. Non modo autem Romanæ, verum etiam Græcæ militaris Disciplinæ peritus erat Frontinus noster, teste AEliano, qui in *Tactica* suæ *Proœmio ad Adrianum Imperatorem* (ut de Græco in Latinum vertit Sixtus Arcerius) ita scripsit; *At posteaquam cum Deo patre tuo Nerva super eo consuli, ac Formiis transa-*

transactis aliquot diebus apud Frontinum, e clarissimis Consularibus virum, quique peritia bellica laudem asportavit, collatis cum eo quoque sermonibus comperi, non minore illum studio teneri disciplina Græcis usitata; cœpi non amplius, quod de conscribendis Tacticis conceperam vilipendere. Cave autem hoc in loco a Francisci Robortelli interpretatione, in qua hæc, inter cetera, habentur; *commoratus fui apud Frontinum, qui unus est inter consulares illustres*; ubi verbum *est* nos in suspicionem posset inducere, num Adriani tempore viveret Frontinus noster: at cum AEliani locum græce *ex optimo codice mediceo* emendatissimum dederit Iacobus Gronovius (in *Thesaur. Antiq. Græc.* Tomo III. pag. d d d d) vel ex eo aperte liquet, verbum illud *est* vi veluti quadam fuisse intrusum.

Incertum autem pariter remanet, quo tempore Frontinus ediderit opus (id quoque nunc deperditum) *de Tactica Homeri tempore usitata*, de quo Opere idem AEIianus in Tactica Cap. 1. ita scribit; *Ac de Tactica Homeri tempore usitata legi Scriptores, Stratoclem, Hermiam, ac Frontinum, virum nostro tempore Consularem*. Credibile tamen fit, hosce Libros Frontinum, rerum potiente Domitiano, scripsisse; quo tempore probabile est, multum otii habuisse. 16.

Nam circa annum supra commemoratum V. C. 837. atque etiam per reliqua Domitiani tempora, maximam partem, absuisse Roma Frontinum, credibile arbitror: ut dum frueretur quiete & otio (hæc enim ab assentatoribus Domitiani commendata Agricolæ viro simili Frontino nostro apud Tacitum legimus: ita etiam, Domitiano regnante, Tacitum ipsum Roma absuisse *tædio temporum* autumat Lipsius in Taciti vita) ut, inquam, dum frueretur Frontinus quiete & otio, sibi caveret a Domitiano, cujus aures verberabat fortium virorum fama. Hoc autem in secessu Frontinus aliquando secum habuit (ut opinor) Valerium Martialem poetam, qui Libri X. Epigramma 58. orditur hisce versibus: 17.

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Bajas, littoreamque domum;
Et quod inhumanæ cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineosque lacus;
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas, nunc nos maxima Roma terit.

Vnde etiam liquere potest, Frontinum non abhorruisse ab amœnioribus studiis, & fuisse ex iis, qui Martialem foverunt, atque amaverunt; quod ostendimus etiam in Nota 1. Art. 88.

Vt ut vero credibile est, Domitiani tempore secessisse Frontinum, satis tamen constat ex C. Plinii Cæcilii Epistolis, illum Roma prorsus non caruisse: quandoquidem in Epistola 1. Lib. V. de caussa Curiani filii a matre exhæredati verba faciens Plinius (qui unus erat ex institutis hæredibus) hæc habet; *adhibui in consilium duos, quos tunc civitas nostra spectatissimos habuit, Correlium, & Frontinum*. Id autem Domitiano rerum potiente contigisse, ex citata Epistola potest evinci: in qua Plinius scribit; *Cohæredes mei componere, & transigere cupiebant; non diffidentia caussæ, sed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent*. Qui metus ad Domitiani tempora proculdubio referri debet. 18.

Ex diligentia vero, atque cura in recensendis Lege atque Senatusconsultis in Commentario *de Aquaductibus*, & ex citato loco Plinii colligere licet, 19.

Iuris

Iuris quoque peritum fuisse Frontinum nostrum. Quid autem velint Cuspinianus, & Catanæus, qui de Frontino tradidere hæc; *Summus Iurisconsultus Secundo interdum respondit*, nisi id totum elici posse credant ex supra allatis Plinii verbis, haud facile liquet: certe Petrus Scriverius hunc eundem citatorum Authorum locum respiciens (sub initium Editionis Operum Frontini, quam ipse adornavit) scribit, *quid uterque velit, magis suspicari possum, quam intelligere*. Quod vero Hieronymus Magius in *Miscellaneorum* Lib. IIII. Cap. 2. Iulium Frontinum appellet *maximum Geometram*; id non pertinet ad nos: ibi enim Magius verba facit de Frontino authore Operis de *Re Agraria*, qui a Frontino nostro diversus fuit, ut suo loco ostendetur. Ceterum quæ perspecta haberet in Aquarum Fluentium Doctrina Frontinus noster, & sparsim indicavimus variis in Notis, & conjuncta exposuimus in Nota 1. IIII. Art. 113.

ANNO CHR. LXXXXVII. V. C. DCCCL.
IMPERATORE NERVA AVG. III. L. VERGINIO RVFO III. COSS.

20. Hoc anno (quo integro Nerva regnavit) Frontinum fuisse iterum Consulem opinor. Porro de secundo Frontini Consulatu dubitandum non videtur: nam Martialis in Epigram. 48. Lib. X. (in quo *convivium parat*) hos versus inter ceteros habet:

De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ bis Frontino Consule prima fuit.

Quoniam vero credibile prorsus est, ut mox ostendetur, Frontinum fuisse unum ex duobus, qui fuere Consules III. cum Trajano III. & quoniam ii, qui Consules III. cum Trajano III. fuere, secundum consulatum cum Nerva gesserant (id aperte testante Plinio in Panegyrico hisce verbis; *uterque nuper consulatum alterum gesserat a Patre tuo datum*) iccirco, secundum Frontini Consulatum rejiciendum in citatum annum, opinor.

21. Hoc autem eodem anno factus fuit Frontinus noster Curator Aquarum (quod ad finem vergente ejus consulatu contingere potuit; Nerva honores honoribus addente) ut ipse Frontinus in Art. 102. perspicue asserit; *Imperatore Nerva III. & Verginio Rufo III. coss. ad nos Cura Aquarum translata est*.

22. Ac statim quidem Commentarium *de Aquaductibus* scribere Frontinus cœpit; in ipso enim Commentarii (ut ita dicam) limine, Art. 1. hæc habet; *sitque mihi nunc ab Nerva Augusto nescio diligentiore, an amantiore Reipublicæ Imperatore Aquarum injunctum Officium*; & Art. 2. *sed*, *cum* hic Commentarius *inter initia administrationis meæ scriptus sit*. Commentarium tamen, quem hoc anno scribere cœpit, Nerva vita functo persecutus est, & absolvit, ut suo loco aperte demonstrabo. Præterea vero crediderim, ferme statim post susceptam Aquarum curam cœpisse Frontinum Aquarum copiam distributionemque metiri; ut indicavi etiam in Nota 1. Art. 87.

ANNO CHR. C. V. C. DCCCLIII.
IMPERATORE TRAIANO AVG. III. SEX. IVLIO FRONTINO COSS.

23. Collegam Trajani in tertio Consulatu fuisse Frontinum, pluribus doctisque rationibus Henricus Noris in *Consulari Epistola* pag. 59. erudite defendit. At Antonius Pagi in *Critica in Annales Baronii* Tom. I. pag. 94. Norisium a priore sententia recessisse scribit; contenditque, Trajani Collegam Frontonem esse habendum. Ego, quamquam in Norisii verba ferme juraveram, tanti

tanti tamen, quanti est facienda, faciebam Pagii authoritatem; ac verebar, ne propensione in eum, cujus Librum commentandum susceperam, transversus agerer: itaque rogavi Ioannem Baptistam Morgagnum in nostro hoc Gymnasio Primarium Anatomes Professorem doctissimum, celeberrimumque, cui meam hanc Frontini Editionem multum debere profiteor, rogavi (inquam) ut pro sua erga me benevolentia, atque amicitia gravioribus studiis detraheret aliquid, & ad amœniora studia hæc, in quibus etiam vehementer excellit, diverteret, aperiretque mihi suam de proposita controversia sententiam, unde reliquis novum beneficium accederet. En vero quæ ille benigne respondit.

IO. BAPTISTA MORGAGNVS

Doctissimo, Ornatissimoque Viro

IOANNI POLENO

Rei Mathematicæ Professori Celeberrimo

S. P. D.

„ ETsi tuæ me litteræ invenerunt nihil minus, quam Fastos cogitantem; 24.
„ morem tamen gessi: Falloppium, & Eustachium deposui; Norisium,
„ & Pagium in manus sumpsi. Ille in Epistola Consulari, ubi quærit, anno
„ *AEræ Christ.* 100. Fronto, an Frontinus Trajani III. Consulis Collega fuerit ordinarius, cum plura quæ infra memorabuntur, erudite, ut solet, in medium affert, tum vero ut ad Frontinum potius inclinem, duabus efficit rationibus. Quarum altera a Fastorum auctoritate, altera autem est a veterum Scriptorum testimoniis petita. Primum videlicet ut fatetur, Prosperi Fastos, sed omnium vitiosissimos, itemque Cassiodori, sed Prosperum describentis, habere *Frontonem*; ita ostendit, Fastos Anonymi apud Cuspinianum, qui omnium quidem procul dubio sunt optimi, habere *Frontinum*. Deinde etsi paullo ante agnoverat, Prosperi suffragatorem videri Dionem, cum de Frontone Consule, rerum potiente Nerva, mentionem faciat; propterea quia is quo de quærimus, Consul, Plinio in Panegyrico auctore, *nuper consulatum alterum gesserat* a Nerva *datum*; vicissim tamen producit qui vel clarius illi Cuspiniani Anonymo suffragetur, Martialem scilicet; de cujus quidem testimonii vi mox videbimus.

„ Pagius autem in *Crit. Baron.* & Frontonem ipse retinet, & docet, *Norisium nuper ad se scripsisse, M. Iulium Frontonem probabilius Collegam Trajani poni*. Vir omnino fuit Norisius non modo dignitate, atque eruditione, verum etiam moribus eminentissimus, quod intelligere plane licet vel ex ista ingenua mutatione sententiæ. Attamen quod ne ipse quidem fecit, ut majorem sui, quam veri rationem haberet, non puto ab reliquis esse faciendum; sed novæ ipsius sententiæ rationes eo animo esse excutiendas, ut si firmæ sint, haec probetur; sin contra, prior illa retineatur. Excutiendi autem labor ipse quidem meus; firmæ vero, an infirmæ sint, tuum, Vir Doctissime, erit judicium, præsertim quando Scriptores nobilissimi Pagius, & Tillemontius firmas jam videntur existimasse. 25.

Princi-

26. „ Principio illud eſt animadvertendum, prioris ſententiæ rationem primam „ non modo a Noriſio, ut par erat, infirmatam non eſſe, ſed ne memoratam quidem; credo, quia facilius confirmari poterat, quam infirmari. „ Nam ut in Faſtis Idatianis (quod Noriſius minime ignoravit) ſcriptum „ legimus: *Trajano III. & Pontino*; ita proclive admodum eſt aliis ex Fa- „ ſtis ſuſpicari, iſtud *Pontini* nomen forte eſſe mendoſum, ac legendum eſ- „ ſe *Frontino*. Id enim ſcripturæ vitium an facilius in *Frontino*, quam in „ *Frontone* ſcribendo oriri potuerit, etſi Tillemontius in medio relinquit, „ haud tamen difficile eſt exiſtimare.

27. „ Sed quam Noriſius rationem non attigit, hanc, ſi tibi videtur, in præ- „ ſentia ſeponamus: quas vero ad Pagium ſcripſit, eas omnes ex ordine at- „ tendamus. *Dio*, inquit, *in Nerva Frontonem tunc conſulem nominat*. Non „ modo hoc Noriſius cum ſcripſit Epiſtolam Conſularem, ut ſupra oſtendi- „ mus, non ignorabat, ſed ne illud quidem, Cuſpinianum vero *Frontinum* „ in Dione legendum putaſſe. Et ſane in Italorum nominibus perſæpe, & „ facile a Græcis Auctoribus, vel certe librariis peccatum eſſe, cum alii ani- „ madverterunt; tum præſertim Robortellus admonuit, Plutarchum in Po- „ plicola Λαίρτιω (Κλάσαι potius, vel Λάτιον, ut notavit Sigonius) ſcripſiſſe „ pro *Lartem*; in Cicerone autem Clodiam illam *Quadrantariam* vocaſſe „ Κουαδραντίαν: a Dionyſio quoque A. Verginium appellatum eſſe Μοντανὸν, „ quem Latini dicebant *Cælimontanum*. Quid multis opus eſt? In ipſis de „ quibus loquimur, *Frontini*, & *Frontonis* nominibus permutandis lapſos eſ- „ ſe librarios AEliani Tactica deſcribentes, facile eſt ex Sixti Arcerii in hæc „ Notis intelligere. Cum enim primum, idque recte, ſcripſiſſent τῷ Φροντίνῳ, „ alio deinde in loco perperam ſcripſere ϗ Φρόντωνι: quos ille cum repre- „ hendere debuiſſet, in alium ſe errorem abripere paſſus eſt, ut unum at- „ que eundem eſſe Virum, crederet, quem AElianus, Martialis, Dio modo „ Frontinum, alias Frontonem vocaſſent. Sed facilior nimirum fuit Arcerius „ in iis quos diſtinguere oportebat, confundendis, velut ibidem cum illum „ quoque Frontinum, qui in Galeni libro ultimo Remediorum κατὰ τόπους ſe- „ mel, atque iterum nominatur, eundem ac noſtrum eſſe, cenſuit, haud „ animadvertens, Heram Medicum, cujus verba de Frontino iſchiadico pro- „ fert Galenus, *natum eſſe ante Andromachum*, quod Galenus ſupra in VI. „ libro teſtatur: qui quidem Andromachus, ſi dubites, ille ſenior fuerit, „ *inter Neronis*, ut idem Galenus alibi docet, *Medicos primus*, an ejus fi- „ lius; id unum præſtiterit attendiſſe, Cornelium quoque Celſum Heræ me- „ dicamenta bis memoraſſe.

28. „ Verum nos Frontonem ponamus in Dione quidem eſſe legendum, & „ quando Noriſius illi hujus teſtimonio plus ponderis ineſſe, poſtea cre- „ didit; quale demum ſit, videamus. Etſi totus is locus ejuſmodi eſt, ut „ nonnulla habeat quæ aliter ab aliis intelligi poſſint; id tamen perſpicuum „ eſt, Frontonem conſulem inter ea memorari, quæ, ut Plinius ad Quadra- „ tum ſcribit, *primis diebus reddita libertatis* acciderunt, & prius certe, „ quam Nerva ipſe cum Virginio Rufo conſul narretur; ut permirum omni- „ no eſſet, Panvinium in Commentariis in Faſtos ſuis, ſcripſiſſe, Fronto- „ nem a Dione conſulem *anno poſt occiſum Domitianum fuiſſe referri*, niſi & „ id, & alia quæ ibidem peccat, facile eſſent in tanto & Scriptore, & „ Opere excuſanda. De ea re nullum certe verbum apud Dionem, multo- „ que minus quod ille Frontonis Conſulatus *ex Kal. Jul.* inceperit ejus de

quo

„ quo modo dictum est, anni: qui quidem dies illuxit prætcrlapso jam medio dominationis Nervæ tempore; non inter hujus initia; inter quæ initia, video Tillemontium quoque ipsum agnoscere, Frontonem consulem a Dione memorari. Quorsum hæc? inquies. Nondum eo dico, quod velim, Cassiodori *Chronicon*, alioqui, ut dictum est, vitiosissimum, in eo verum esse, quod Domitianum occisum tradit Frontone consule sic, ut hic consulatum sub Nerva quidem potuerit gerere; non tamen a Nerva *datum*. Sed eo dico, ut illud certe alterum intelligatur: qui inter initia dominatus Nervæ consul fuerit, de illo accipienda minus videri, quæ de eo, de quo quærimus, Trajani Collega Plinius pariter in Paneg. indicavit: ita *nuper* consulatum a Nerva datum gessisse, ut *adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrarent &c.* itemque illa: *modo prætextam exuerat, modo lictores abire jusserat, modo gratulantes amici recesserant*: qui enim convenit *modo*, & *paulo ante*, si intercesserat plane triennium?

„ Et rationem quidem primam satis excussimus petitam ex testimonio Dionis, vel potius (ut verum loquamur) Ioannis Xiphilini, qui sæculo XI. in epitomen contraxit Dionem. Nunc alteram videamus. Fronto, inquit, *erat Consul II.* Hoc vero aut demonstrandum, aut non attingendum omnino fuerat. Quantum enim ex sæpius laudato Panegyrico certum est, eum quo de quæritur, Collegam Trajani, *consulatum alterum* antea gessisse; tantum inter omnes liquet, neminem adhuc id ostendere potuisse de Frontone; posse autem omnes de Frontino, & verbis quidem Auctoris, non uno, imo non decem fere post sæculis scribentis, sed illis ipsis temporibus Romæ viventis, scribentisque, Martialis. Nam hic diserte *bis Frontinum consulem*, neque ita pridem fuisse, clarissime indicat in eo Libro (X.) cujus nonnulla Epigrammata anno 98. scripta esse, constat; ut hinc Norisius in Epistola Consulari illud quoque alterum erui posse, crediderit, Frontinum Consulem II. fuisse sub Nerva. Verum ego quod, ob alias causas, non sine controversia inferri, ostendique posset, remitto; illud autem quod negari non potest, urgeo: Frontonem bis Consulem fuisse, nullius veteris Auctoris fide probari; Frontinum bis Consulem fuisse, æqualis Scriptoris testimonio præclarissimo demonstrari. 29.

„ Iam vero tertiam Norisii rationem examinemus. Fronto, inquit, *erat vir togatus, non vero militaris, qualis Frontinus fuit.* Nimirum hic quoque ad Panegyricum Plinii respexit, qui de utroque in hunc annum Collega Trajani verba faciens, sic ipsum alloquitur: Tertii Consulatus decus *bellorum sociis olim, periculorum consortibus, parce tamen tribuebatur, quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis: utriusque cura, utriusque vigilantia obstrictus es, Cæsar*: itemque infra: *nempe enim hi sunt, quos Senatus cum publicis sumptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit quidem primos.* Ego tamen non video, quid tandem ex his omnibus non conveniat Frontino. Nam quod bellica laude plurimis ante annis floruerat, & Silurum gentem subegerat; num propterea insequentibus, suos inter cives pacis artibus vicissim excellere, & postremis denique annis, cura, ac vigilantia sua bene, ac fortiter de Trajano mereri non potuit in toga? Non opinor, cum Plinius ad Severum scripsit, se in Curiani causa *adhibuisse in consilium duos quos tunc civitas spectatissimos habuit, Corellium, & Frontinum*, & ex eorum sententia judicasse; vel cum ad Arrianum, *successisse* se in Auguratu *Iulio Frontino*, 30.

*** *principi*

„ *principi viro*; non, inquam, opinor, tunc spectatissimum, & principem virum „ in sago dixit, sed in toga. Quid verbis opus est? Procuratio Aquarum, „ res *administrata per principes semper civitatis viros*, Officiumne erat, quod „ non a togato, sed a militari omnino homine gereretur? Non contra vel „ ipsa Curatorum Tabula, a te, Vir Eruditissime, ut tot aliæ in tua ista „ eximia Frontini editione, & diligenter concinnata, & docte illustrata, in- „ ter Curatores fuisse, ostendit, qui Legum peritia, studiisque civilibus prin- „ cipem in civitate locum erant assecuti? Hanc autem Aquarum Procuratio- „ nem *ad usum, tum ad salubritatem, atque etiam ad securitatem Urbis per- „ tinentem*, certe Frontinus, utpote sibi a Nerva injunctam, jam fere bien- „ nium gesserat sub Imperatore Trajano, eaque fide, ac solicitudine gesse- „ rat, qua ex ipsius Commentario intelligitur, ut cum innumeras fraudes vel „ *per offensas* retexisset, magnoque cum Reipublicæ emolumento sustulisset, „ videatur, si quis alius, tunc dignus fuisse, ut & a Senatu publicis sum- „ ptibus minuendis in primis præficeretur, & cura ac vigilantia sua bene ac „ fortiter in toga de Trajano meritus diceretur. Certe Trajano tantundem a „ Frontone tunc præstitum fuisse in toga, non constat.

51. „ Quod si istud Plinii elogium Frontino ob eam causam non conveniret, „ quod olim militari munere functus esset; fortasse ne Frontoni quidem pos- „ set ob eandem causam convenire. Neque enim hic, pro quo disputant, „ Fronto ille est M. Cornelius Fronto, Rhetor nobilissimus, quem haud se- „ mel Gellius, Capitolinus, Xiphilinus, nonnunquam etiam Eumenius, Ma- „ crobius, Ausonius, Hieronymus, aliique laudarunt, ut Catanæus, Panvi- „ nius, atque alii passim existimabant, quorum opinionem ab Norisio in E- „ pistola Consulari, & a Tillemontio in Not. VIII. in *Trajanum* firmissimis „ argumentis convulsam video. Neque item est Fronto Catius, Orator in „ Epistolis Plinii laudatus, quem Catanæus, & Panvinius eundem ac prio- „ rem credebant; Tillemontius autem ne consularem quidem ejusmodi vi- „ rum, sed celebrem dumtaxat causarum patronum existimat; ego vero non „ eum certe, quem quærimus, Consulem fuisse, puto propterea quia cum „ in Senatu pro Mario Prisco causam dixit, eo ipso tempore Consul fuisset, „ ut ex alia Plinii Epistola ad Arrianum (11, Lib. II.) proclive est intelligere; „ non fuisse tamen, ex Plinii silentio apparet, qui in ea Epistola cum Ju- „ lium Ferocem, & Cornutum Tertullum ita nominet, ut *Consulis designati* „ titulum singulorum nomini adjungat, multo minus videtur fuisse in Fron- „ tone Catio nominando Consulis titulum præteriturus. Est ergo is pro quo „ propugnant adversus hominem clarissimum, a Tacito, Plinio, Martiale, „ AEliano celebratum, ac inter principes civitatis viros per ea tempora ne- „ mini ignotum, Frontinum, Fronto quidam, a Plinio in nulla, quod sciam, „ ex tot Epistolis nominatus, a Martiale autem, & Tacito (nam de AElia- „ no dictum est supra) vel non memoratus; quod vix de summo Viro, & „ III. ut contendunt, Consule credibile est; vel ita memoratus, ut milita- „ rem hominem contra atque ponitur, fuisse, constet. Nam Martialis in Li- „ bri I. Epigrammate 56. ad Frontonem scripto, sic ipsum, laudans allo- „ quitur:

„ *Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:*

„ quem quidem hunc ipsum esse posse quo de agitur, M. Iulium Frontonem, „ in sæpius laudata Epistola suspicatur Norisius. Cornelius autem Tacitus in „ I. Histor. hæc scribit: *Exauctorati per eos dies* (Galbæ scilicet extremos)

Tri-

„ *Tribuni, e pratorio Antonius Taurus, & Antonius Naso: ex urbanis cohortibus AEmylius Pacensis: e vigiliis Iulius Fronto*: itemque in proximo Libro: „ *Vinctus* (a Vitellianis) *prafectus castrorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem ejus Iulium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent*. Et Raderus quidem, „ a quo primus de duobus hisce locis producitur, non dubitavit, illum ipsum „ Iulium Frontonem, & eum ad quem scripsit Martialis, & hunc III. ut putant, Consulem, unum eundemque fuisse: sed & Iuvenalem in I. Satyra de „ hoc eodem locutum esse, censuit: quibus fere omnibus in rebus & praeuntem habuit Calderinum, & adstipulantes Farnabium, atque Schrevelium. Quid? quod non alium esse illum quoque credidit, quem Josephus libro VII. de Bello Iudaico inter Titi Duces, Consiliarios, Amicos „ bis memoravit, Frontonem. Verum ego, ut Titi Libertum (sic enim „ idem Iosephus altero in loco vocat) ad consulatum provectum esse, animum inducere non possum ut credam; ita superiora illa reliqua satis esse „ puto, ut intelligatur, istum quo de ajunt, Frontonem vel obscurum apud „ aequales fere omnes Scriptores fuisse, vel in militaribus etiam officiis contra atque urgent, fuisse versatum.

„ Qua in re ostendenda eam ob causam longior fui, quod quidquid deinde Pagius ait, ad se scripsisse Norisium, non eo pertinet, ut Frontonem „ illo praesertim ipso, quo quaerimus, tempore fuisse Consulem, sed ut togatum fuisse virum, non militarem, credamus. *In Lib.* inquit, 48. *Digest. L.* 5. *De poenis recitatur rescriptum Trajani ad Iulium Frontonem. Ejus filius fuit Prafectus classis sub Hadriano, Gruteri pag.* 573. Ad quae ne illud quidem dicam, Catanaeum, qui jam olim (*in Plin. Epist. cit,*) verba illa legis animadverterat, sic legisse: *Divus Adrianus Iulio Frontoni rescripsit*, „ quod ego quoque in nonnullis vidi editionibus, cum aliae tamen, eaeque „ (ut verum fatear) laudatiores habeant, *Divus Trajanus*. Neque item dicam, cautius Tillemontium facere, qui Iulium Frontonem classis praefectum, prioris filium non affirmat fuisse, sed tantummodo esse potuisse. „ Haec, inquam, atque alia praeterea omittam. Nam quanquam id, quod „ minime planum faciunt, ultro concederem, Frontonem, de quo sermo „ est, sic semper in toga floruisse, ut nullam unquam militaris officii partem „ attigisset; non tamen propterea sequeretur, in Frontinum quoque non cadere laudes istas, quae in Pliuii Panegyrico illi, de quo quaerimus, Consuli tribuuntur: velut antea probatum est. 32.

„ Quam ob causam de illa pariter Inscriptione apud Gruterum (*pag. CIC.* „ 1.) a Tillemontio (sed tamen post Norisium in Consulari Epistola) animadversa nihil adjiciam, nisi hoc unum: non apparere ex eo lapide, M. „ Iulium Frontonem IIIIVirum viis curandis fuisse anno 103. quod Tillemontius affirmat. Quod enim Trajanus ibi COS. V. scribitur, hinc illud „ tantum effici potest, non ante annum 103. Inscriptionem incisam esse: in „ quo tamen repugnat adscripta TRIBVNIC. POTEST. V. quae annum designat 102. vel etiam duos menses ultimos anni 101. Itaque mirum non „ est, Reinesium legisse TRIBVNIC. POTEST. VIII. i. e. A. V. 858. ut in „ altera Gruteri Editione indicatur, vel potius, ut in Syntagmate illius invenio, TRIB. POT. VIIII. A. V. 855. Veruntamen ut hoc in anno 855. „ apertissimum Typographi errorem omittam; respondet enim A. Chr. 102. „ cum respondere debeat A. 105. vel 106., certe si exemplari standum est, 33.

 quod

„ quod emendatum ex Gudii, qui bis contulerat, codice in memorata Gruteri Editione habemus; non post numerum V. qui extremum sinistrum occupat marginem, sed potius ante, cum justo aliquanto majus intervallum inter POTEST. & V. relinquatur, videtur esse supplendi locus. Accedit cognomen PARTHICI, quod in hoc etiam lapide adscribi, non animadvertit Reinesius, mox docens, Trajano haud ante Tribun. Potestatem XII. tributum esse, in hoc quoque a Fabretto reprehensus (*de Columna Trai. c. 9.*) negante, *in ullo vel marmore, vel nummo non suspecto titulum* PARTHICI *ante* XIX. *Trib.* (Trajani) *Pot. reperiri*. Quam ego litem hic quidem non faciam meam, ut neque illam alteram, V. Trajani Consulatum non in 103. (quod Tillemontio, & plerisque aliis paulo ante negare nolui) sed in annum, ut Fabrettus contendit, 104. incidisse. Hæc eo tantummodo attigi, ut intelligeretur, quænam aut suspiciones in istum lapidem, aut dubitationes in istum annum possint cadere 103. qui illo dicitur indicari; præsertim cum ipse Tillemontius alio in loco ponat, anno primum 107. Parthici cognomen Trajanum mereri potuisse, quod sibi anno demum 115. magis magisque confirmavit. Quid? quod idem Tillemontius alibi censuit, ad annum usque 111. istius lapidis tempus posse produci. Et mihi quidem omnia, quæ hic memoravimus, reputanti sic omnino visum est, aut PARTHICI cognomen esse inducendum, augendumque numerum Tribun. Potest. aut si retinere illud liceat sic tamen, ut hic maxime augeatur; neque Gruteri exemplar, ut ostensum est, neque notam COS. V. ullo modo pati ut ultra XV. augere possimus: quod si fiat; non annus 103. sed postremi duo menses anni 111. indicabuntur. Post quotum; non amplius; duorum mensium intervallum cum Trajanus Consulatum inierit VI. hinc est, ut minus illa me moveant, quæ Virum Eruditissimum Ioannem Massonium permoverunt, ut hoc in lapide non modo Trib. Potestatis, quam ipse quoque XV. legendam existimat, sed etiam Consulatus numerum censeret esse mutandum, & pro V. legendum VI. Verum hæc ἐν παρόδῳ.

34. „ Iam enim supra satis mihi præstitisse videor, quod receperam, ut Norisii rationes excuterem. Quæ tamen firmæ, an infirmæ sint, tu, Vir Doctissime, pro eo quo polles, acri judicio existimabis; ego vel firmissimas existimanti pro eo, quo unice moveor, veri studio facile assentiar. Hoc enim veri studium ita mihi animos addidit ad Summorum Virorum huic tertio Frontini Consulatui adversantium rationes agitandas, ut tamen ipse qui essem, & qui contra illi, non oblivisceret. Idem veri studium ne illud quidem dissimulare me, sinit, quod altera ex parte nunc demum venit in mentem, videlicet tertio isti Frontini Consulatui obstare facile posse illud idem Martialis Epigramma, quo demonstratur secundus. Versus enim extremi quatuor haud obscure videntur ostendere, Epigramma nondum reddita libertate, id est Domitiano adhuc rerum potiente, scriptum fuisse, & quod consequitur, alterum Frontino Consulatum ab Nerva quidem, ut oporteret, datum non esse. *Accedent*, inquit Martialis,

Accedent sine felle joci, nec mane timenda
Libertas: & nil quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur,
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

„ Permirum est, in hac controversia neminem, quod sciam, versus hosce atten-

„ attendisse, qui illam videlicet de altero Frontini Consulatu mentionem, & „ continuo quidem, sequuntur; nisi forte in aliam omnino partem accipiendos crediderunt, ut Poeta hoc diceret: sub civili, mitique Nervarum imperio jam non esse timendam, ut superiore tempore sub Domitiano, sermonum ac jocorum libertatem vel in ipsam Venetam, Prasinamve Factionem. Huc autem pertinet, quod *de Factionibus aurigatorum*, *& studiis Principis* in hunc locum adnotavit Farnabius: *periculosum erat sub Nerone, Vitellio, & Domitiano iis favere, a quibus alieni Principes. Prasina autem, & Veneta maxime favebant*. Eodemque trahere fortasse quis malit ultima verba explicationis Raderi: *nullus erit, qui nostros jocos insidiose excipiat, & deferat ad Caesarem, nosque reos faciat, ut Domitiani temporibus contingebat*. „ Sed quanquam in priorem illam interpretationem propensiorem esse me, „ fateor; tu tamen, Vir Praestantissime, hoc etiam dispicies, & quid sit verisimilius, constitues. Vale, & me, quod facis, redama.

Patavii XIII. Kal. Quinctiles. CIↃIↃCCXXII.

Hoc autem eodem anno Commentarium de *Aquaeductibus* a Frontino editum, opinor. In ejus Commentarii Art. 88. 89. 92. 93. 94. plura utilia Aquaeductibus ipsis, & Privatis aquam recipientibus enarrantur (ut animadvertimus etiam in Notis 1. Art. 87. & 5. Art. 93.) quae ipsi Trajano accepta referenda, Frontinus commonstrat; atque inter cetera de Trajano moliente Anionis novi aquam reddere puriorem verba facit, additque; purior haec Anionis novi aqua *veniet in locum deformis illius ac turbidae, novum authorem, Imperatorem Caesarem Nervam Trajanum Augustum, praescribente titulo*: quae sane verba, Frontinum (ut ut is quidem coeperit sub Nerva scribere) perrexisse sub Trajano Librum *de Aquaeductibus* commentari, manifeste adeo commonstrant, ut non possim non mirari, Fabrettum (in Dissertationibus *de Aquis, & Aquaeductibus*, Num. 345.) tribuisse Nervae Patri quaedam, quae Nervae Filio, nimirum Trajano, tribui debent, atque affirmavisse tum in citato Num. tum in Num. 105. Frontinum opus suum *de Aquaeductibus* Nervae illi nuncupavisse. 35.

Quod si nunc attendamus ea, quae (ut paullo supra diximus) Trajanus circa Aquas praestitit, ac Frontinus enarrat; satis comperiemus, non ante citatum V. C. annum 853. editum fuisse hunc *de Aquaeductibus* Commentarium: non enim credibile est, eum a Frontino edi potuisse eodem statim anno, quo Romam advenit Trajanus; Trajanus autem Imperator nonnisi anno superiore V. C. 852. Romam venit. Quo vero tempore abfuit Roma Trajanus, reor, Frontinum nostrum in diligenti Aquarum examine perrexisse: quamvis enim metitus fuerat copiam distributionemque eo tempore (id autem paucorum mensium fuisse credimus) quo sub Nerva Aquarum curam gesserat, quaedam tamen sub Trajano egit; ut, caussa exempli, illud, quod narrat in Art. 74. *uniuscujusque* Aquae *copiam, qua supra scripta est, tota deincept aestate durantem exploravi*. 36.

Cum itaque Commentarius hic editus fuerit anno V. C. 853. Strategematum autem Libri editi fuerint anno V. C. 837. sequitur, ut inter hasce Editiones anni sexdecim intercesserint. Quod temporis intervallum variare quidem potuit Authoris stilum; non tamen tantum est, ut det locum suspicioni, duo haec Opera diversis Authoribus esse tribuenda. 37.

AN-

ANNO CHR. CI. V. C. DCCCLIIII.
IMPERATORE TRAIANO AVG. IIII. SEX. ARTICVLEIO PAETO COSS.

38. Num forte Asiæ Proconsul fuerit hoc anno Frontinus noster, antequam pro pono; de Frontini nummo nonnulla dicam, oportet. Iacobus Sponius in *Miscellaneis Erudita Antiquitatis* pertinentem ad Frontinum exhibet nummum: ex quo, similitudine accurate servata, desumta est nostra nummi figura in Tab. S: nostri autem nummi diameter ad diametrum nummi ejusdem apud Sponium, habet rationem eandem, ac denarius numerus ad quaternarium. Sed ex iis, quæ de proposito nummo Sponius tradidit, subjiciamus hæc:

39. „ ΦΡΟΝΤΕΙΝΟC ΑΝΘΥπατος, idest, *Frontinus Proconsul a Smyrneis sub* „ *Præfectura* cujusdam *Myrti*, hocce nummo honoratus est, insolito aliis Pro- „ consulibus honore. Nonnullorum enim nummos videmus a Provinciis cu- „ sos, sed solo nomine insignitos, non vero capite, quod Cæsarum Princi- „ pumque jus erat. Quamobrem putabat Gallandius noster, qui nummum „ Smyrnæ reperit, non Frontini caput esse, sed Iovis apud Smyrnæos culti. „ Verum fortasse non erravero, si ipsiusmet Proconsulis esse affirmaverim. „ Deinde vero addit Sponius rationes, propter quas id posset affirmari, concludens tamen hisce verbis; „ sed quia hæ rationes non admodum validæ sunt, „ sitne Iovis, vel Frontini facies, adhuc sub judice lis sit „. At, genuinum esse nummum, vel ex eo colligi posse existimo; quod Author Anonymus, qui Librum edidit sub hoc titulo, *Numismatum Antiquorum Sylloge ex Cimeliarchio Authoris* (*Londini*. 1708) alium exhibet illi Sponii similem nummum.

40. Iacobus Facciolatus, vir doctissimus, & de præclaris omnibus artibus, ac latina lingua optime meritus, cum de hac re sermonem haberemus, animadvertit, Adrianum primum ex Rom. Imperatoribus barbam alere cœpisse; cujus deinde exemplum principes ceteri, & tractu temporis privati quoque secuti sunt. Quamobrem Frontinus noster, qui circa medium Trajani principatum vita excessit, is non videtur esse posse, cujus caput barbatum exhibetur. Sed quando Iacobus Gronovius (in *Thesauro Antiq. Græc.* Tom. III. pag. d d d d) certe majorum gentium antiquarius, voluit, caput nummo hoc exhibitum illius esse Frontini, de quo AElianus verba fecit, ille autem Frontinus noster est; nolui prætermittere, quin illud caput (cujuscumque sit) descriptioni vitæ Frontini præfigerem.

41. Ceterum, si Frontino nostro nummus ille esset tribuendus, lubens crederem, eum hoc anno Proconsulatum Asiæ gessisse. Nam regnante Domitiano, imperii anxio, conscientia timido, suspiciosoque, credibile non esset, tributum fuisse Frontino tantum, atque insolitum honorem. Regnante vero Trajano, prioribus annis ante annum hunc, Romæ in Aquarum cura mansisse Frontinum, ex ipso *de Aquæductibus* Commentario satis liquet. Ergo credendum esset, post tertium Consulatum missum fuisse Frontinum ad regimen honorificentissimum, atque nulli secundum, scilicet ad Asiæ Proconsulatum; Smyrnæ etenim, ubi nummus est percussus, Vrbs in Asiæ Provincia erat.

ANNO CHR. CVI. V. C. DCCCLVIIII.
L. CEIONIO COMMODO. L. TVTIO CEREALI. COSS.

42. Non ante hunc annum vita excessisse Frontinum, opinor. In Epistola quidem 8. Lib. IIII. Plinius scribit, se successisse in Auguratu *Iulio Frontino*, *princi-*

principi viro. Auguratum autem Plinius a Trajano petierat in Epistola, quæ octava est decimi Libri; unde liquet, Trajano regnante, Frontinum obiisse: nam Auguratus non adimebatur viventi, ut in superius citata Epistola Plinius affirmat, & Antiquarii omnes ad unum consentiunt; si sciremus quo anno Plinius creatus fuerit Augur, sciremus quidem etiam, quo anno Frontinus mortuus sit. Ioannes Masson in *Plinii Vita*, autumat, Plinium inter Augures fuisse cooptatum anno V. C. 856. sed quia Masson in eam sententiam fertur ob nonnulla verba ex Libro de *Agrorum Qualitate* desumta, qui Liber haud dubie Frontino nostro tribui non potest (ut, ubi agetur de Libris a Frontino nostro scriptis, demonstrabitur) iccirco caussam conjecturæ Viri, ceteroquin eruditissimi, probare non possum.

Itaque ingressus sum ad conjiciendum iter diversum. Scribit Plinius in superius citata Epistola; *utinam, ut Sacerdotium, idem & Consulatum multo etiam juvenior, quam ille* (nimirum M. Tullius Cicero, de quo supra sermo fuerat) *sum consecutus; ita senex* &c. Cicero autem creatus fuerat Consul anno ætatis 43. Augur anno ætatis 54. (ut perspicue ostendit Franciscus Fabricius in *Ciceronis Vita*) Atqui si Plinius factus fuisset Augur, aut eo ætatis anno, quo creatus fuerat Consul Cicero, aut ante eum annum; credibile sane est, Plinium, gloriæ profecto cupidum, hoc in loco id notaturum fuisse; igitur cum id non notaverit, verisimile fit, Plinium post annum ætatis suæ 43 Augurem factum fuisse; ideoque in nullum ante hunc annum V. C. 859. quo (ut ex citato Ioannis Masson Opere prorsus liquet) Plinius quadragesimumquartum ætatis annum explevit, cooptationem ejus in Augurum Collegium, &, ut consequitur, mortem Frontini referre possumus. Ex consideratione tamen Epistolarum Plinii facile crediderim, neque multo post hunc annum Frontini obitum contigisse. 43.

Illud quidem notatu dignum existimarunt Antiqui, nimirum Frontinum sibi fieri monumentum vetuisse: vetuerat autem (ut liquet ex Epistola mox citanda) verbis hisce; *Impensa monumenti supervacua est; memoria nostri durabit, si vitam meruimus*. Itaque invenimus apud Plinium (in Epist. 19. Lib. VIIII) a Rufone Frontinum nostrum fuisse laudatum, reprehensumque Virginium Rufum, qui jusserat, sepulcro suo inscribi duos hosce versus: 44.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam,
Imperium asseruit, non sibi, sed Patriæ.

Cui Rufoni Plinius respondens, utrumque, & Frontinum scilicet, & Rufum laudat: *meo quidem* (scribit) *judicio neuter culpandus, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos: alter, dum mavult videri contempsisse*.

Hæc habui, quæ de Frontini vita aut colligerem, aut conjicerem. Notitias omnes hausi ex ipsis fontibus; horum autem plures mihi indicaverunt ii, qui de Frontino scripsere. Porro Ioannes Cuspinianus in Commentariis *de Consulibus Romanorum* ad annum V. C. 823. multa pertinentia ad Frontini vitam congessit: quæ summa fide descripsit Ioannes Maria Catanæus in Notis ad Plinii Epist. 8. Lib. IIII. Neque tamen aut Cuspinianum nominavit Catanæus, aut alteruter loca, unde notitiæ illæ hauriendæ, commonstravit. Quod tamen hi non præstitere, præstitit Petrus Scriverius sub initium Editionis Operum Frontini, quam ipse adornavit, ubi Catanæi narrationi commentarium veluti quemdam subjecit. Nonnulla etiam de Frontino habet Gerardus Ioannes Vossius de *Historicis Latinis* Lib. III. Nonnulla Thomas-pope 45.

Blount

Blount in *Censura Celebriorum Authorum* ad annum Christi 85. Sed ordinate magis, quam priores in colligendis notitiis fecerant, vitam Frontini scripsit Nanius Tillemontius in eximia sua *Historia Imperatorum* post Imperatoris Trajani vitam. Nos hæc omnia diligenter expendimus, aliaque conquisimus, & per Consules digessimus, secuti exemplum Francisci Fabricii, atque Ioannis Masson: quorum ille Ciceronis vitam, hic inter ceteras Plinii vitam (de qua supra verba fecimus) hoc eodem ordine digessere.

CAPVT II.

De Libris a Frontino scriptis.

1. PLures Libri sunt, qui sub Frontini nomine circumferuntur: nos in præsentia recensebimus singulos, inquirentes quæ opera ad Frontinum nostrum, scriptorem *Commentarii de Aquaductibus*, spectent; & quæ huic tribui minime debeant. Ordiemur ab eo Libro, cui quidam hunc præfigunt titulum; *Sex. Iulii Frontini V. C. de Re Agraria Liber:* alii vero hunc; *Iulii Frontini de Agrorum Qualitate*. De cujus tamen Operis conditore non melius dici potest, quam dictum est a Goesio in *Notis in Rei Agrariæ Authores*; ubi celebrem illum Frontinum nostrum non esse habendum pro Libri propositi Scriptore, contendit. *Nam Scriptor*, inquit, *cum hæc emitteret, tyronem se fuisse, & scribendi novum, operis initio fatetur. Tempus autem illud fuit, „ cum Imperator victoria Daciam reseravit „. Qui Imperator fuit Domitianus, qui de Dacis triumphavit; post quem Trajanus, victo Rege Decembalo, Daciam fecit provinciam, ut tradit Eusebius in Chronicis. At e Tacito constat, jam Vespasiano iterum, & Tito Consulibus Frontinum* celebrem illum *Romæ Præturam gessisse* (quod ostendimus in Frontini Vita ad annum V. C. 823.) *non ergo ille sub Domitiano „ primum sedulitatis impendium „ aut „ Celso „, aut cuiquam alii obtulit. Atque magis hanc meam opinionem confirmat, quod hæc in Manuscriptis adscribi videam partim M. Iunio Nypso, partim etiam, ut est in Manuscripto, Domno Gerberto, Papæ & Philosopho.*

2. Sequitur Fragmentum *de Limitibus*; de quo ita Goesius; *Fragmentum hoc legitur in Manuscripto sub nomine „ Hygini de Limitibus „; in alio sub „ Iulii Frontini Siculi „. Petrus Scriverius ex suo Manuscripto præfixit nomen Sexti Iulii Frontini V. C.* Nullum tamen in sua Editione accuratissimus Goesius Authoris nomen huic Fragmento præfixit; quod si alicui Frontino sit tribuendum, certe Authori illi, qui *de Re Agraria* alium Librum scripserat, potius, quam Frontino nostro, tribuendum esse videtur.

3. Idem prorsus dicam de perexiguo alio Fragmento, quod inter varios Authores *de Limitibus* exstat, habetque præfixum titulum; *ex Libro Frontini secundo*. Hoc enim quoque Authori illi *de Limitibus* adscribendum plane est.

4. Venio ad duo illa Fragmenta Librorum *de Coloniis*, quæ Frontino nostro adtribui haud dubie non possunt; cum in utroque nominetur *Imperator Adrianus:* Frontinus autem noster fato functus est (ut jam in Cap. I. Sect. 42. ostendimus) antequam rerum potiretur Adrianus.

5. Restant Strategematum Libri, quos Frontini nostri esse reor; fateor tamen non deesse qui dubitent, permoti ab iis, quas faciunt conjecturas; conjecturas inquam, nullum enim satis firmum afferunt argumentum. Porro neque video cur dubitare debeamus, num ii, quos habemus, Strategematum

Libri

Libri *Epitoma* potius Librorum Frontini sint, ut dubitare visus est Caspar Barthius in *Adversariorum Commentariorum* Lib. LX. Et quod affert Samuel Tennullius in eruditissima Præfatione sua ad ipsos Strategematum Libros, vix, aut ne vix quidem roboris ullius esse videtur. Nimirum quærit ille, num Strategematum Author Frontinus ille sit, de quo Tacitus in Vita Agricolæ agit, (agit autem Tacitus de Frontino nostro) respondetque, *non puto; nam Britannorum, quos dicitur devicisse, nullam mentionem habet in Strategematibus*: sed ex ipso *de Aquæductibus* Commentario satis constat, Frontinum a gestis suis enarrandis abstinuisse: idque cordi multo magis illi esse debuit in Libro edito regnante Domitiano, Imperatore scilicet egregiis aliorum gestis vehementissime invidente.

Verum, ut in negotio hoc caute me gererem, Virum doctissimum celeberrimumque Ioannem Gratianum Primarium in hoc Gymnasio Philosophiæ Professorem consului; quippe quem non philosophicarum modo disputationum, sed hujuscemodi quoque rerum judicem peritissimum sciebam esse. Ille vero benigne, ut assolet, id dedit responsum, quod subjeci. 6.

IOANNES GRATIANVS

Viro Doctissimo, Clarissimoque

IOANNI POLENO

In Gymnasio Patavino Matheseos Professori Eximio

S. P. D.

„ QVæris a me, Vir eruditissime, putem ne ego duos fuisse Frontinos, 7.
„ quorum alter de Strategematis, de Aquæductibus alter scripserit, an
„ vero unus & idem operis utriusque auctor sit. Equidem haud existima-
„ rem operæ esse sententiam dicere post Criticorum gravissimorum hac de
„ re prolata judicia, nisi permoveret voluntas tua, quæ apud me valere
„ semper plurimum debet. Quando igitur, quod in quæstionibus istiusmodi
„ esse præcipuum adminiculum solet, comparatio temporum nihil adjuvat,
„ satis enim constat pene synchronos hos libros ortu esse; videtur ratio
„ omnis dubitandi petenda a forma ipsa locutionis, quæ utrobique est ad-
„ hibita. Effecit hæc, ut quidam suspicarentur non eundem esse Frontinum,
„ qui libros Strategematicos, & de Aquæductibus conscripserit. Ac negari
„ non potest, discrimen aliquod χαρακτῆρος intercedere, recteque videri Cl.
„ Rubenio puriorem & emendatiorem in Libro Aquæductuum sermonem
„ esse, quam in Strategematis. Verum attente scripta hæc inter se compo-
„ nentibus dissimilitudo tanta non apparet, ut propterea Frontinos duos fa-
„ cere sit necesse; cum præsertim hujus in Scriptore uno dissimilitudinis ra-
„ tio probabilis afferri possit. Strategemata enim ex scriptoribus aliis aliisque
„ tum Latinis tum Græcis conquisivit; neque proinde mirum est minus ele-
„ ganter multa enarrasse, quæ a minus elegantibus transtulit in libros suos.
„ Cur autem in describendis Aquæductibus sit oratio castigatior, non per-
„ peram affirmes factum inde, quod Aquarum Curator a Nerva Augusto
„ creatus, habere potuerit quasi promptuarium lectissimæ phraseos ex tabulis,
„ & monumentis magistratus ejus, indeque petere verba propria, genuinas

„ nomenclaturas , syntaxeis legitimas , coloremque sermonis ad germa-
„ nam latinitatem proxime accedentis. Quamquam ne illud quidem dederis
„ omnino, puriorem , & emendatiorem in Aquæductuum libro sermonem
„ esse. Nam ut in his non una occurrunt , in quibus satis cernitur lapsa la-
„ tinitas , propriaque ejus Sæculi , in quo scribebat ; ita in Strategematicis
„ crebro admodum ea legere est , quæ gravitate & nitore certare cum illis
„ possint, quæ scripta optimo ævo latinitatis ad nos pervenerunt. Non dis-
„ simulaverim, videri plus aliquanto esse discriminis inter præfationes utriuf-
„ que operis; cum quæ præfiguntur Strategematis, non solum sæculi vitium,
„ sed etiam , si fas est dicere, levitatem quasi quandam scribentis ostendant.
„ At qui inducam in animum credere non eundem esse Frontinum, ob non
„ servatam ubique diligentiam & curam eandem præfandi ? cum præsertim
„ Strategemata collegerit non necessitate officii, aut causa quæ similis neces-
„ sitati esset, sed ut amans militarium rerum animo obsecundaret suo, idque
„ cum junior esset (nam in Britannia primum militavit) contra vero cura-
„ tionem Aquarum susceperit jam Consularis ; quam a Nerva demandatam
„ putavit sibi gloriæ esse, quippe, ut ipse ait, administrari semper solitam a
„ principibus Civitatis Viris : ut quia magnitudo, atque amplitudo muneris
„ præcipuam solertiam postulabat , voluerit Imperatori eam testari scripto
„ edito, quo callentissimum se ostenderet eorum omnium, quæ ad Aquædu-
„ ctus pertinerent . Eo opinor in præfando etiam graviorem fuisse, limatio-
„ remque . Hæc habui, Vir eximie, quæ tibi interroganti responderem. Tu ,
„ qua doctrina es, expendes, censebisque judicio tuo . Vale .

Patavii v. Non. Quinct. CIϽIϽCCXXI.

8. Plura tamen opera scripsisse Frontinum nostrum , credibile est . Vegetius quidem in Lib. II. *de Re Militari* Cap. 3. hæc habet; *Nam unius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt , quæ vero pro utilitate Reipublicæ scribuntur , æterna sunt . Idem fecerunt alii complures , sed præcipue Frontinus , Divo Trajano ab ejusmodi comprobatus industria* : hinc plura pro Reipublicæ utilitate Frontinum litteris mandavisse , conjicere possumus . Adde autem majoris roboris probationem ex iis verbis, quæ Frontinus ipse in Art. 2. Commentarii *de Aquæductibus* scripsit ; *in aliis autem Libris , quos post experimenta , & usum composui* &c. quibus sane verbis opera plura indicantur . At, fato invidente , multa interciderunt ; quæ tamen ignotum est ; si excipias Libros *de Re Militari*, atque opus *de Tactica Homeri tempore usitata* , de quibus diximus in Cap. I. Sect. 14. & 16 .

9. Locus vero hic esset recensendi fusius errores eorum , qui sive ex præjudicata aliqua opinione , sive ex incuria varios Frontinos pro uno dumtaxat habuere ; & eorum etiam , qui nomina Frontinorum perperam cum Frontonum nominibus confuderunt : ita , caussa exempli, Iacobus Gaddius in Tom. I. *de Scriptoribus non Ecclesiasticis* pag. 193. scripsit hæc , *Frontinus Alexandro Severo Cæsari ad res componendas fuit adjumento* ; inde vero huic eidem Frontino *Libros Strategematum* tribuit : & Lucianus in Opere *de conscribenda Historia* animadvertit, fuisse qui eodem pacto, ac Græci, Romanorum nomina efferret, & *Phrontin diceret Frontonem*. Sed quoniam laudatus Morgagnus noster in Epistola superius posita, quæcumque ex hoc genere ad ejus argumentum spectabant, est optime persecutus ; iccirco hic eadem non iterabimus .

CA-

CAPUT III.

De Codicibus, ideſt de exemplaribus manu deſcriptis Commentarii de Aquaductibus.

NVnc quando ſatis (ut opinor) oſtenſum eſt, duo tantum Opera Frontini noſtri ſupereſſe; & de eorum altero Strategemata complectente in præſentia rerum plura dicere non vacat, ad alterum me convertam, ad ipſum ſcilicet Commentarium *de Aquaductibus*: atque principio de Codicibus agam. Ejus Commentarii unicum antiquum *Codicem barbariea vaſtationi* (ut Raphaelis Fabretti verbis utar) *ſuperſtitem* habemus. Codicem hunc, ut collegi ex eruditiſſimis Commentariis de Poggii vita præfixis ejuſdem Poggii Florentinæ Hiſtoriæ editæ illuſtratæque a Ioanne Baptiſta Recanato Patricio Veneto, cujus eximii Viri nunquam a me ſine laudis præfatione mentio facienda eſt; Codicem, inquam, hunc *Poggius eruit e latebris Montis Caſſini, ut narrat in deſcriptione ruinarum Vrbis Romæ, quo in Monaſterio ad hæc uſque tempora*, teſte *Mabillonio Viro diligentiſſimo, idem ille Codex aſſervatur, quem Poggius invenit, & unde cetera exempla ducta ſunt*. Ipſa autem Ioannis Mabillonii verba, ex Tom. I. ejus *Italici Muſei* pag. 123. deſumta, afferre huc liceat, quæ ſunt hujuſmodi; *& Frontini Librum de Aquaductibus* latini Codices Bibliothecæ Monaſterii Caſſinenſis *continent. Hoc Caſſinenſi Codice uſus eſt Poggius ad vulgandum prædictum Frontini Librum; quem, quia deficiente eduo conferre nobis non licuit, integrum deſcripſimus. Manus ad ſcribendum, & ſe ipſum totum in noſtros uſus impendit pius & cordatiſſimus Domnus Eraſmus a Cajeta*; ſive Abbas Eraſmus Gattola, ſi eum nunc a dignitate, quam eximiis meritis eſt conſecutus, & a gentilitio nomine appelles. 1.

Intercedente autem Viro Summo (cujus paullo poſt vita functi non ſine ingenti deſiderio recordor) Io. Maria Lanciſio, ab eodem Abbate Gattola exemplum habui Codicis illius Caſſinenſis deſcriptum diligentiſſime. Pro ea vero, qua præditus eſt Abbas ille humanitate, mihi deinde præſtitit ſummo ſtudio quæcumque ſum ab eo ſciſcitatus. Inter hæc illud in primis commemorabo, me, poſtquam omnia Commentarii loca tum in Codicum exemplis, tum in editis Libris expenderam, ad eum miſiſſe ſingula verba ipſius Commentarii, quæ difficiliora eſſe videbantur; eum vero ipſa verba in Caſſinenſi Codice, ductuum litterarum ratione ſedulo habita, tanta cura iterum examinaſſe, ut ſi meis ipſis oculis id feciſſem, tantundem nequiviſſem ſperare. Omnibus autem Libris typis æneis deſcriptis Codex ille plurimum præſtat: quamobrem facile credo, pro primis ejuſmodi editionibus adhibitos fuiſſe Codices, tum a Librariis imperitis veteris ſcribendi rationis, tum forte non ex illo ipſo Codice, ſed ex aliis exemplaribus, creſcentibus in unaquaque deſcriptione erroribus, exſcriptos. Non negaverim, vel illum Codicem collatum cum autographo Commentario Frontini, ſi quis Deus hunc in medium afferret, mendoſum viſum iri; ſed plane ajo, ex iis, quos habere poſſumus libris, eum ceteris omnibus antecellere. Is autem Codex membraneus eſt, ea forma, quam *in quarto* appellant: exterius recenti manu ſignatus eſt numero 361. In Tabula T exemplum illius ſcripturæ exhibui, quod Codicis initio ſimillimum eſt, reſpondentque forma, ductu, & magnitudine litteræ litteris, verſibus verſus; ac ut in exemplo, ita in Codice quoque primus verſus minio ſcriptus eſt: idque exemplum appoſui, *ut erudito ſæculi genio morem gererem*, imitaterque diligentiam, qua in communicandis Orbi 2.

 erudi-

erudito, atque Christiano Cassiodorii Complexionibus nuper usus est Marchio Scipio Maffejus, quem honoris caussa nomino.

3. Ceterum, *nulla in Codice vox* (verba sunt ex Epistola ad me data ab ante laudato Abbate Gattola) *insignis alicujus rei littera majuscula scripta est, atque ubi virgulæ esse deberent, puncta semper adhibita; ita ut nullum sit inter puncta finalia, & virgulas discrimen: initiales tamen litteræ cujusque periodi semper sunt majuscula. Intercapedines*, sive lacunæ, *punctis in exemplo quod ad te misi signata, reperiuntur quidem in Codice, sed ita, ut nullos unquam exaratos in iis fuisse characteres evidentissime appareat. Characteres in hoc Codice haud quidem valde lectu difficiles essent; verum maxime attriti sunt, & fere albescentes. Pauca admodum reperiuntur in Codice voces notis compendiosis scriptæ; præterquam in præpositionibus, & nominibus relativis; atque numeri fere semper integris vocibus exarantur, præterquam in mensuris recensendis* ubi Fistularum omnium diametri, perimetri, atque capacitates exponuntur.

4. Ex litterarum autem forma ductibusque Codicem vel sub finem decimitertii, vel sub initium decimiquarti sæculi fuisse scriptum, satis apparet. Qui vero hujus Commentarii sit in Codice titulus, in ipsa Tabula T distincte visitur. Neminem tamen futurum, opinor, qui neget, verba illa, *incipit prologus*, Frontino minime esse tribuenda. At fortasse neque verbum *Aquæductus* ipsi Frontino tribui potest, cum eo verbo nusquam in Commentario suo Frontinus sit usus. Ego quidem id verbum in Libri titulo adhibui, secutus alios; sed ferme pœnitet. Ex eodem autem Codicis titulo satis perspicuum fieri posse existimo, cur prætermiserim post Frontini nomen verba illa, *Viri Consularis*, quæ in Codice desunt: quæ tamen alias etiam ob caussas haud dubie omittenda esse viderentur. Præterea vel ex eo verbo, *Libro*, quod legitur in Codicis titulo, credibile fit, Frontini Commentarium non fuisse in duos Libros distinctum. Etsi enim in Cassinensi Codice verba illa (Art. 64.) *Persecutus ea, quæ de Modulis* &c. a prioribus videntur esse divisa, videnturque ante illa addita esse absoluti unius Libri indicia; hanc tamen additionem eidem authori, qui etiam principio addiderat verba, *incipit Prologus*, tribuendam putaverim. Porro alibi quoque (ut in Art. 23.) recenset Frontinus ea, quæ ante fuerat *persecutus*, neque tamen novum Librum exorditur. Adde, neque Vrbinatem Codicem, de quo paullo infra dicam, neque veteres editiones, neque editionem Scriverii ejusmodi divisione distingui. Et quod caput est, de hoc ipso Libro verba faciens Frontinus in Art. 2. & 3. cum utrobique Commentarium, non Commentarios appellat: cum ceteroquin opus Strategematum, quod in plures Libros divisum est, exordiens scribat, Strategemata *expeditis amplectar Commentariis*. Propter hæc verbum, *Commentarius*, in titulo præfixum a me est; dubius tamen fui, num ponerem potius id verbum, *Liber*.

5. Transeo ad alios Codices. Romæ in Vaticana Bibliotheca hic Commentarius *de Aquæductibus* exstat in Codice 4498, & in Bibliotheca Vaticano-Vrbinate idem Commentarius exstat in Codice 1150. Vterque Codex membraneus est, uterque nitide scriptus, uterque paullo post medium sæculum decimumquintum exaratus esse videtur: fortassis adhuc vivente Cassinensis Codicis inventore Poggio, qui vita excessit anno 1459. Vrbinas tamen alteri illi valde præstat: ille enim videtur per partes descriptus; partesque perturbato ordine inter se conjunctæ sunt: plurimis etiam scatet mendis, ut pro certo habeam, non ex ipso Cassinensi Codice, sed ex alio mendoso exemplari fuisse descriptum, novisque erroribus inquinatum. At Codex

Vrbi-

Vrbinas cum Cassinensi Codice ferme ubique mire consentit, editisque Libris in difficilibus locis multo est emendatior. Ad calcem hujus Codicis apposita sunt figuræ fistularum, ab homine tamen hujusmodi rerum imperito, ut ostendimus in Nota 1. II. Art. 39. Codicum horum exempla habui ab Iosepho Denghien diligenter exscripta, quæ etiam cum ipsis Codicibus diligentissime contulit Vir doctissimus Io. Antonius Vrsatus Celeberrimi Sertorii Vrsati Equitis nepos & imago; qui tunc degebat Romæ, nunc in Patavino hoc Gymnasio Sacros Libros interpretatur.

Sed antequam Caput hoc absolvo, non prætermittam monere, una cum Frontini Commentario in Cassinensi Codice alia opera contineri ab uno eodemque Librario exarata. Ex his autem duo commemorabo: nimirum Vegetii Libros, quorum primus est mutilus: & Fragmentum Libri quarti Varronis *de Lingua Latina*, in quo nomina plurium locorum Vrbis Romæ recensentur. Hujus exemplum ante laudato, amicissimoque Viro Io. Baptistæ Morgagno dedi: ipse vero quod in eo notabilius invenit, continuo in Epistolam conjecit, privatim quidem ad me datam; sed dignam omnino, quam finat aliquando cum omnibus communicari. 6.

CAPUT IIII.

De Editionibus Commentarii de Aquaductibus: idest de exemplaribus typis aneis exaratis.

**** AD calcem Vitruvii in Editione, quæ anni, loci, & Typographi indicio destituitur, exstat Frontini Commentarius de Aquæductibus, præfixo titulo hoc; *Sexti Iulii Frontini Viri Consularis de Aquis, qua in Vrbem influunt, Libellus mirabilis*. (fol.) Hujus autem Editionis Mich. Maittaire in eruditis suis *Annalibus Typographicis*, ut tempus quamproxime indicaret, verba hæc de nuncupatoria Libri Epistola descripsit: 1.

Raphaeli Riario Cardinali Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Camerario
Io. Sulpitius Fœlicitatem.

Quicquid curæ, studii, vigiliarum, & operæ in emendando, & vulgando Victruvio, posui tuæ dedico amplitudini — cui — Victruvium in deliciis haberi intelligo. — Tu primus Tragœdiæ, quam nos juventutem excitandi gratia & agere & cantare primi hoc ævo docuimus (nam ejus actionem jam multis seculis Roma non viderat) in medio Foro pulpitum ad quinque pedum altitudinem erectum pulcherrime exornasti — Sixtus Pon. Max. compluribus sacris ædibus instauratis pontem refecit, vias direxit, & stravit — Innocentius vero ad illum & Paullum superandum erectus omnia præclara & popularia cogitat &c. *Nunc Theatrum quin vel instaures, vel novum construas, cave ne differas* &c. *Interim vero nostrum hoc munusculum quæso ne asperneris. Vale.* 2.

Post hæc autem Sulpitii verba ita concludit Maittaire, cui plane est adstipulandum; *Innocentius VIII. qui hic nominatur, post Paullum II. & Sixtum IIII Sedem Romanam tenuit ab anno* 1484. *usque ad* 1492. *Intra illud igitur intervallum hanc oportet Editionem prodiisse.* 3.

Nunc addam, in hac Editione ad calcem Libri *de Aquæductibus* legi hujusmodi verba; *Libellum hunc de Aquæductibus, cum esset mendosissimus, Pomponius, & Sulpitius tanto studio sic emendarunt, ut perpaucorum in eo locorum correctio desideretur. Perquam rara sunt quæ Librarius corrupit, aut prætermisit. — In spatiis in ordine passim relictis, ubinam aliquando verba, aliquando* 4.

qui-

quinariarum, & fistularum figura desint, facile quisque poterit judicare. Vale candide Lector; & si quis ingratus esse voluerit, librum suum depromat, & cum hoc cigno nostram conferat. Hanc principem editionem esse reor.

1496. *L. (M.) Vitruvii Pollionis de Architectura Libri X. Sex. Iulii Frontini de Aquaductibus Liber unus. Angeli Policiani Opusculum, quod Panepistemon inscribitur. Angeli Policiani in priora analytica Prælectio. Cui titulus est Lamia. Florentiæ.* Sine Typographi nomine. (fol.) Editio hæc ex priore Editione descripta est, si unum, aut alterum locum excipias: exemplum unum dedi in Nota 4. Art 124. 5.

1497. *Cleonidæ* (sive Euclidis, ut nuperis quibusdam Scriptoribus placuit) *Harmonicum Introductorium: interprete Georgio Valla. L. (M.) Vitruvii Pollionis de Architectura Libri X. Sex. Iulii Frontini de Aquaductibus Liber unus. Angeli Policiani Opusculum quod Panepistemon inscribitur. Angeli Policiani in priora analytica Prælectio. Cui titulus est Lamia. Venetiis. Per Simonem Papiensem dictum Bevilaquam.* (fol.) Editio hæc ex Florentina (si excipias *Cleonidæ Harmonicum* anni superioris descripta fuit. 6.

**** Præter recensitas, Editionem aliam reperiri priorem Editione Iocundi, de qua mox dicam, pro certo habeo. Nam Opsopœus in suis Notis aliquando Iocundi Editionem, sæpissime vero *Editionem veterem* citat: hujus autem *veteris Editionis* loca quidem pleraque eodem modo leguntur, ac in tribus Editionibus, quas supra posuimus: nonnulla tamen loca ejusmodi sunt, ut cum respondentibus locis trium nostrarum veterum Editionum haudquaquam consentiant; *veteremque* illam Opsopœi *Editionem* a tribus nostris diversam fuisse persuadeant. 7.

1513. *Vitruvius iterum* (iterum, nam cura Iocundi Vitruvius editus fuerat Venetiis 1511: at in ea Editione Frontinus adjectus non est) *& Frontinus a Iocundo revisi, repurgatique quantum ex collatione licuit. Florentiæ. Sumptibus Philippi de Giunta.* (12.) Ante Frontini Librum legitur Epistola hæc: 8.

„ IVLIANO MEDICAE FRATER

„ IO. IOCVNDVS S.P.D.

„ IVlium Frontinum de aquæductibus optime Iuliane, Vitruviano codici adjiciendum judicavi, materia ejusdem disciplinæ exigente, quem cum uno dumtaxat exemplari contuli. Cui tamen quantum additum, quantumque in melius reformatus sit, ex collatione impressorum, quos nunc usque bibliopolæ circumtulerunt, explorari poterit, non quod me existimem illum, seu etiam Vitruvium ad integrum redegisse, sed utrosque tamen minus dilaceratos, pluribusque scaturiginibus repurgatos protulisse. Quarum reliquiæ si post me alius quis fidelioribus exemplaribus, & ea diligentia atque judicio, quæ in hujusmodi cura opus esse noscuntur, usus fuerit, forsan eos ita emundabit, ut qui legerit ipsum Vitruvium vel etiam Frontinum, sua quemque profitentem se audire censeat. Ego pro virili mea feci quod potui, alii in iis, vel aliis, quorum nobis reliquiæ constant, tantundem si fecerint conferendo, & ex collatione rimosa & cicatricosa sensibus & verbis autorum perceptis, recto judicio sarciendo, lingua restituetur & doctrina priscorum. Vale. 9.

Hæc Editio, ut ut plures lectiones a Codicum lectionibus differentes, pluresque errores contineat, prioribus tamen valde præstat. Videtur autem ex allatæ Epistolæ verbis hisce, *cum uno dumtaxat exemplari contuli*, Codex aliquis indicari: forte vidit Iocundus eam quoque *veterem Editionem*, quam habebat Opsopœus, & singulas reliquas: videtur enim contulisse omnes, quando spondet, Editionis suæ præstantiam posse apparere *ex collatione impressorum*. 10.

Certe

Certe præter tres illas nostras veteres Editiones, exemplar aliud Iocundus vidit: nam in sua Editione verba quædam posuit, quæ germana sunt, leguntur que in Cassinensi Codice, at in singulis illis tribus Editionibus desiderantur: de verbis illis dictum est in Nota 9. Art. 129.

Eadem autem æneorum typorum compositione, qua Typographi usi fuerant ad efficienda exemplaria Commentarii *de Aquaductibus* adjiciendi ad calcem Vitruvii, alia quædam exemplaria ejusdem Commentarii separatim excuderunt: quod ex comparatione evidentissime apparet. Huic separato Libello hujusmodi titulum præfixere; *Iulius Frontinus de Aquaductibus a Iocundo nuper revisus iterum; &, quantum ex collatione licuit, repurgatus*. Postremas tamen huic pagellas non adjunxerunt, quibus errata, annus editionis, locus, & Typographi nomen continebantur. Libelli vero titulum ita confictum fuisse, ut ipse Liber fieret vendibilior, nemo non videt. 11.

1522. *M. Vitruvii de Architectura Libri decem nuper maxima diligentia castigati atque excusi, additis Iulii Frontini de Aquaductibus Libris propter materiæ affinitatem. Florentiæ. Per Hæredes Philippi Iuntæ.* (12.) In hac Editione (quæ ex Editione anni 1513 descripta fuit) Epistola Iocundi, supra a nobis relata, desideratur: at errata, quæ recensita erant in ea Editione ad calcem, in hac suis in locis fuere emendata. 12.

1523. *M. Vitruvii de Architectura Libri decem, summa diligentia recogniti, atque excusi. Cum nonnullis figuris sub hoc signo * positis, numquam antea impressis. Additis Iulii Frontini de Aquaductibus Libris, propter materiæ affinitatem.* Sine loci, & Typographi indicio: ex typorum tamen figura hæc quoque Editio Florentina esse videtur. (12.) Descripta fuit Editio hæc ex priore Editione anni 1522, ne typographicis quidem illius erroribus emendatis. Dumtaxat novæ quædam figuræ Vitruvii Libris insertæ. 13.

1530. *Fragmenta vetustissimorum Authorum* (pleraque tamen sunt commentitia) *summo studio ac diligentia nunc recognita. Basileæ. Apud Io. Beb.* (4.) Frontini Commentarius de Aquæductibus, qui exstat ad pag. 60, ex Florentinis Editionibus (si perpaucas mutationes excipias) descriptus est. Adduntur in hac Editione ad oras paginarum nonnulla verba ex contextu desumta, quasi indicis caussa. Ceterum Ioannes ille Bebelius nimis depravatum id Frontini opus esse rebatur: in Præfatione etenim ad Lectorem hæc habet; *Annixi autem sumus, quantum per rei tum difficultatem, tum temporis longinquitatem licuit, ut quam emendatissima* (Fragmenta illa) *in manus tuas venirent: quamvis in Frontino id pejuscule successerit, adeo ut ne quidem nobis ipsi satisfecerimus; id tamen quod mirum non est in Authore tam depravato, nullo nobis fretis exemplo vetustiore, ut si jam ipse reviviscat, sit Delium natatorem habiturus in veris.* 14.

1543. *M. Vitruvii de Architectura Libri decem. Adjecimus etiam, propter argumenti conformitatem, Sexti Iulii Frontini de Aquaductibus Vrbis Romæ Libellum. Item ex Libro Nicolai Cusani Card. de Staticis Experimentis fragmentum. Argentorati. In officina Knoblochiana per Georgium Macharopœum.* (4.) Editio hæc ex Editione Iocundi (si unam, aut alteram mutationem a Machæropœo inductam excipias) descripta fuit. 15.

1550. *M. Vitruvii Pollionis de Architectura Libri X, locis quamplurimis hac Editione emendatis.* Adjunctis nunc primum *Gulielmi Philandri castigationibus, atque annotationibus in eosdem. Vna cum Lib. II. Sex. Iulii Frontini de Aquaductibus Vrbis Romæ, & Nicolai Cusani Dialogo de Staticis Experimentis. Argentorati. Ex officina Knoblochiana per Georgium Macharopœum.* (4.) In hac Editione 16.

emen-

emendatior Vitruvius est, at Frontinus similis prorsus illi superioris Editionis.

1588. *Onuphrii Panvinii Reipublica Romane Commentariorum Libri tres. Accesserunt in hac Editione Sex. Iulii Frontini Commentarii de Aqueductibus, & Coloniis: itemque alia veterum Scriptorum — Parisiis. Apud AEgidium, & Nicolaum Gillios.* (8.) Ad calcem hujusce Editionis exstant *Notæ quædam Ioannis Opsopœi*, qui forte præfuit huic Editioni. Certe ille, qui præfuit, ad hanc ornandam varias ex prioribus Editionibus contulit diligenter. Liceat autem hic animadvertere, Commentariorum Libros illos Panvinii anno 1597. Francofurti (fol.) a VVechelii Hæredibus fuisse recusos: in hac tamen VVecheliana Editione Commentariorum Frontini de Aquæductibus frustra requiri. 17.

1607. *Fl. Vegetii aliorumque aliquot Veterum de Re Militari Libri. Accedunt Frontini Strategematibus ejusdem Authoris alia Opuscula. Omnia emendatius, quædam nunc primum edita a Petro Scriverio. &c. Ex Officina Plantiniana Raphelengii.* (Antuerpiæ. 4.) Petrus Scriverius omnium primus cuncta Opera, sub nomine Frontini circumferri solita, collegit; deque opera sua atque studio sub initium Voluminis præfatus est ita; *reliquos etiam Scriptores bellicos recensendi impetum cepi: & in his præcipue Frontinum. In quo qui ante me laborarunt membranis nullis adjuti Conjectanea tantum, & leves Notas ediderunt. Mihi vero ea felicitas obtigit, ut Authorem illum ex septem manuscriptis Codicibus, facta eorum cum editis diligenti comparatione, emendare licuerit. Quibus hercules ducibus, locis quamplurimis medicinam feci. Sed & persanata nonnulla nostropte ingenio, uti videre est in ora: ibi enim emendationes, sive Notas exhibere, quam seorsim dare malui; ut parcerem labori tuo.* 18.

Commentarius de Aquæductibus exstat ad pag. 97. Hujus contextus a contextu Editionis anni 1588. tum differt in eo, quod emendationes aliquæ ab Opsopœo in Notis positæ relatæ in contextum fuere a Scriverio, tum differt etiam, quod loca quædam (perpauca tamen) ex ingenio suo mutavit ipse Scriverius. Ceterum in nulla præcedente Commentarii de Aquæductibus Editione Senatusconsulta, & Lex characteribus Romanis edita fuere, ut in hac edita sunt (quod facere didicisse videtur Scriverius ex Barnabæ Brissonii Libris *de Formulis*, in quos ex Frontino Senatusconsulta, & Legem Brissonius transtulerat) primum etiam in hac Editione ad calcem ipsius Commentarii subjectæ fuere *Leges, sive Constitutiones Imperiales de Aquæductibus*. 19.

1661. *Sex. Iulii Frontini Viri Consularis, quæ exstant. Robertus Keuchenius, S. F. Notis, & Emendationibus illustravit. Amstelodami. Ex Officina Ioannis a VVaesberge.* (8.) Opera, quæ sub Frontini nomine circumferuntur, omnia, & quæ ad eadem Opera Scriverius adjecerat, ex Scriverii volumine, de quo paullo supra verba fecimus, desumsit Keuchenius: festinanter tamen; namque nonnulla loca depravata ex incuria operarum haudquaquam emendata fuere. Perpauca autem sunt a Keuchenio mutata; qui Notulas adscriptas ad oram Scriverianæ Editionis Commentarii de Aquæductibus (Commentarius hic in Keuchenii Editione exstat ad pag. 219.) pagellis singulis subjecit; addiditque (pag. 369.) in Commentarium Notas, quas ipse conscripserat. 20.

1697. *Thesaurus Antiquitatum Romanarum congestus a Ioanne Georgio Grævio. Tomus Quartus. Trajecti ad Rhenum. Apud Franciscum Halmam. Et Lugduni Batavorum. Apud Petrum Vander Aa.* (fol.) In hoc Volumine post pag. 1624. *exstat Sex. Iulii Frontini de Aquæductibus Vrbis Romæ Commentarius*. Ex Keuchenii Editione descripta est Editio hæc; neque in hac desideratur quicquam eorum, quæ, ceu ad illustrationem Commentarii de Aquæductibus pertinentia, in Editione illa reperiuntur. Illud autem hic adjiciam, a Grævio 21.

in

in citata Præfatione scribi; *Tanto lubentius Frontinum recudi jussi, quod in paucorum manibus esset extra has oras, & a multis in Italia desiderari eum acceperim*. At ille Grævii Thesaurus multis hercle Frontini Editionibus rarior nunc est.

Has autem omnes Editiones hactenus recensitas (excepta illa una vetere, quam Opsopœum habuisse existimo) omnes, inquam, Editiones hasce expendi, atque inter sese quam potui diligentissime comparavi. 22.

CAPVT V.

De Scriptoribus rerum ad Aquaductus pertinentium.

QVæ de Aquæductibus apud varios Authores scripta reperiuntur; ad tria veluti summa genera possunt adduci. Ac primum, quædam referri queunt ad aquas per rustica prædia ductas; de quibus verba feci in Nota 8. II. Art. 99. Iureconsulti autem de his sæpius agunt, ubi Aquæductus nominant: sed hæ res ad institutum nostrum minime faciunt: nec magis pertinent quædam alia ab Iureconsultis tradita, quæ ab nonnullis eruditis referuntur ad Aquæductus; puta quæ Iacobus Cujacius in *Observationum*, & *Emendationum* Lib. XVI. Cap. 17. habet *de Dioptra*, *Specu*, *atque Cuniculo*. 1.

Venio ad genus alterum, ad quod ea possunt adduci, quibus continentur præcepta librandi, ducendive aquas, aut ædificandi Aquæductus, aut constituendi eorundem partes. De quibus sane rebus egit Vitruvius in Lib. VIII. *de Architectura* Cap. 6. & 7. pluraque addidere ii, qui Vitruvii Libros illustravere; præsertim Guilielmus Philander, Daniel Barbarus, & Claudius Perraultius: nonnulla etiam in Plinii *Naturali Historia* sunt, ut in Lib. XXXI. Cap. 6. nonnulla etiam apud Palladium Lib. VIIII. *de Re Rustica* Tit. 11. & 12. Ac præter veteres illos, scripsere de Aquæductuum Architectura Leo Baptista Alberti Lib. X. *de Re AEdificatoria* Cap. 7. Vincentius Scamotius in Opere, cui titulus, *Idea della Architettura*, Lib. III. Cap. 27. atque nonnulli etiam alii de Architectura Scriptores. Sed ad rem nostram ea tantum pertinent, quæ ad Architecturam Aquæductuum exstantium in Vrbe Frontini tempore, & de quibus egit Frontinus ipse, referri queunt. Cavendum enim est diligenter (& circa Architecturam Aquæductuum, & profecto circa res quoque alias) ne ad Frontini tempora, aut ad interpretationem ejus Commentarii faciendam transducantur ea, quæ nova posterioribus temporibus aut facta fuere, aut inventa. 2.

Demum ad genus tertium referri possunt ea scripta, quibus Romanorum Opera vestigantur, exponuntur, illustranturque. De Aquæductibus (qui sane inter Romanorum opera magnificentissima numerantur) scripsere, Raphael Volaterranus in *Commentariorum Vrbanorum* Lib. VI. ferme sub initium: Flavius Blondus Lib. II. *Romæ Instauratæ*: Bartholomæus Marlianus in *Topographia Vrbis Romæ* Lib. IIII. Cap. 10. huic autem Marliani Operi subjectæ fuere Notulæ quædam Fulvii Vrsini; nulla tamen exstat ad Caput, quod citavi: Onuphrius Panvinius sparsim in Libro, cui titulum fecit, *Antiqua Vrbis Imago*: Lucius Faunus sparsim in Libris *de Antiquitatibus Vrbis Romæ*: Aldus Manutius Paulli F. in Lib. I. *de Quæsitis per Epistolam* Num. II. ubi agit *de Aquis in Vrbem Romam olim influentibus* (sunt qui ad hoc Manutii opusculum indicandum citent *Lampadis Artium* Gruterianæ Tom. IIII. pag. 181. ibi enim est descriptum) Iustus Lipsius *de Magnitudine Romana* Lib. III. Cap. 11. Guido Pancirolus in *Descriptione Vrbis Romæ*, ubi proponit *Epilogum* 3.

rerum insignium Vrbis: Georgius Fabricius in Opusculo, cui titulus *Roma*, Cap. 17. Ioannes Rosinus in *Antiquitatum Romanarum* (adjecta sunt a Thoma Dempstero Paralipomena) Lib. I. Cap. 14. Andreas Baccius *de Thermis* Lib. VII. Cap. 4. Alexander Donatus in *Roma Veteri ac Recenti* Lib. III. Cap. 18. Famianus Nardinus in Opere, cui titulus, *Roma Antica*, Lib. VIII. Cap. 4. Raphael Fabrettus in tribus Dissertationibus *de Aquis & Aquaeductibus Veteris Romae*: Io. Georgius Graevius in Praefatione ad Tom. IIII. *Thesauri Antiquitatum Romanarum*: Bernardus de Montfaucon in Tomo IIII. Operis, cui latine (editum enim est Gallice & Latine) titulum fecit, *Antiquitas Explicatione, & Schematibus illustrata*, pag. 198-202. Adde Io. Albertum Fabricium, & Samuelem Pitiscum, quorum ille in *Bibliotheca Antiquaria* multos illustres rerum Antiquarum Scriptores recensuit; hic in *Lexico Romanarum Antiquitatum* plurima illustrium Scriptorum earundem Antiquitatum loca indicavit.

4. En itaque quos diligenter vidi Authores: neque sane alios, quos in manibus habui, minorum gentium Antiquarios recensere vacat. Lubens etiam praetermitto animadversiones, quae subjici hoc loco possent. Cur enim inculcem illud Fabretti (in Num. 14.) affirmantis, se in Aldi Opusculo *nil, praeter macerrimam Frontini Epitomen, mendis insuper scatentem, & alias quasdam ex Plinio quisquilias appositas cum nausea vidisse*; cur, inquam, id afferam? si quicumque oculis non lippis illud opusculum legat, per se id certe sit percepturus. Cur, de quibusdam aliis nonnullorum Authorum locis similia etiam dici posse, adjiciam? si, quid sentiendum de locis illis, uno veritatis studio urgente, jam in Notis expositum esse videatur. Cur plagia enumerem? si haec cuicumque, variorum Authorum loca comparanti, sese sint oblatura.

5. Quod si haec persequerer, atque deinde laudes debitas recte eruditeque scriptis adjicerem, nimius profecto essem. Illud tamen praetermittere non possum, quod pertinet ad Dissertationes *de Aquaeductibus* Raphaelis Fabretti; quippe quia mihi haud mediocre lumen attulere: etsi enim Fabrettus illustrare Frontini Commentarium sibi non proposuerat; attamen, cum res multas ex reliquiis antiquitatis summa cura vestigatas, incredibili diligentia mensuris definitas, bono in lumine collocaverit, ope earundem facilius deinde fuit etiam quaedam a Frontino tradita exponere, atque illustrare. Sane ille suppeditavit nonnullas Figuras singulari fide delineatas, quas si non habuissemus ab illo, comparare tamen nobis ad institutum nostrum debuissemus. Graevius quidem in jam citata Praefatione ita scribit; *vides quam pulchre sequantur Raphaelis Fabretti Viri amplissimi, qui cum maxime Romam ingenii fama illustrat, & de quo plura Resp. litteraria in dies sibi promittit, in primis ineditarum Inscriptionum volumen cum ejus Commentariis, quod expectamus cupidissime, tres de Aquis, & Aquaeductibus Veteris Romae Dissertationes*: quod Belgae eruditissimi perhonorificum de Fabretto judicium prae aliorum judiciis proponendum esse, prudens existimavi.

CAPUT VI.

De iis, qui operam dedere, ut Frontini Commentarium de Aquaeductibus illustrarent.

1. Marlianus in Topographia Vrbis Romae Lib. IIII. Cap. 10. postquam nonnulla de Aquis praefatus est, subdit; *Quae etsi Frontinus satis abunde declaravit; tamen, quia is alicubi truncatus est, & mendosus, nonnullis errori-*

erroribus sublatis, quæ utiliora &c. *conferre placuit*. Vt verum tamen fatear, comparatione locorum instituta, nullas emendationes in citato Capite inveni. Neque sane plura præstitit Aldus Manutius Paulli F. cujus Opusculum *de Aquis in Vrbem Romam olim influentibus*, jam in præcedente Capite a nobis etiam citatum, nominat Andreas Schottus (in Notis ad Cap. 24. Sex. Aurelii Victoris *de Viris Illustribus*) additque idem Schottus; *Vtinam* Manutius *Frontinum, ut pollicetur, nobis det emendatiorem*: numquam tamen dedit. Nescio enim quonam fato contigerit, ut plures voluerint opera sua adhibitis ex Frontini Commentario *de Aquæductibus* locis illustrare, ipsos autem Frontini locos aut vix, aut ne vix quidem expenderint: quorum tamen locorum plures, nonnisi aliarum etiam partium Commentarii habita ratione, expendi recte potuissent. Quid, quod Criticorum principes illustrationem locorum propositi Commentarii negligere, seu effugere visi quodammodo sunt? Porro in spissis illis septem voluminibus *Thesauri Critici* Gruteriani, *in quibus infiniti* Veterum Authorum *loci supplentur, corriguntur, illustrantur*, & in quæ Sabellici, Pii, Robortelli, Sigonii, Gyraldi, Pithœi, Mureti, Magii, Manutii, Iunii, Modii, aliorumque eruditissimorum Hominum critica opera sunt congesta, vix tamen unius, aut alterius loci Commentarii *de Aquæductibus* explanatio reperitur: quis vero credat, in eruditissimis illis triginta & octo Libris *Variarum Lectionum* Petri Victorii ne unum quidem citati Operis Frontini illustrari? ac plura quidem hujusce generis exempla addere possem, sed abstineo; video enim, me incaute eo divertisse, ut, dum proposueram verba facere de iis, qui incubuere in citati Commentarii illustrationem, contra fecerim de iis, qui Commentarium ipsum minime illustraverunt.

Redeo itaque in viam; ac primum dico de Ioanne Opsopœo, qui primus omnium Frontini Commentario Notas adjecit. Hæ paucæ sunt, ac breves, & pleræque ceu variæ Lectiones haberi queunt: at nonnulla optima continent; quæ, ubi opus fuit, opportunis in locis animadverti. Neque tamen integras Notas ipsas Frontini Commentario adjicere prætermisi; tum quia Editio Notas illas continens rara admodum est; tum quia magis in propatulo exstare volui, quid datum fuerit aliis ante me, & mihi quoque, per Notas illas proficere. Eas vero, ut & Leges, Notasque etiam aliorum Authorum, sine ulla mutatione, ac quales apud Authores leguntur, describi volui: itaque earundem ratio nulla a me exigi poterit. 2.

Opsopœus autem singulis Notis suis non præfixit singula verba illa contextus, ad quæ Notæ ipsæ referebantur. Vt ille fecerat, ita nos quoque fecimus, ubicumque verba editionis nostræ cum verbis editionis Opsopœi consentiebant: ubi vero differentiam aliquam invenimus, ibi primum intra hæc [ ] Parenthesis signa posuimus verba, quæ in nostra editione leguntur; deinde intra hæc alia ( ) Parenthesis signa inclusimus respondentia verba ex Opsopœi editione deprompta. 3.

Modo ex his liquere facile potest, qua ratione verba pertinentia ad ipsum Frontini Commentarium Notis Scriverii, & Keuchenii, ac variis Scaligeri Lectionibus præfixerimus: de quibus singulis jam ex ordine dicendum est. 4.

Petrus Scriverius ad oram suæ editionis Notas adjecit, aut si mavis Notulas, seu Varias Lectiones; nam ferme omnes Lectiones sunt variantes: ac, si operæ pretium foret, unde plerasque hauserit Scriverius, ostendere possem: habeo etiam pro certo, litteras quasdam a Scriverio positas pro compendiariis notis esse habendas: caussa exempli ad verba (pag. 17. ver. 1.) *Iungitur ei* &c. habet, *Alias* „ *Iungitur e. a. A. v. i. c. h. Torquatianorum* „ *Alsie-* 5.

„ *Alsietina Augusta ramus ab milliario ....* „; nempe recognoscenda sunt verba hæc; *Iungitur ei ad Anionem veterem in confinio hortorum Torquatianorum* &c. De nonnullis tamen variis Lectionibus ab eo positis mihi non tam liquido constitit; & quidem una etiam aut altera ab aliquo manuscripto Codice desumta esse videtur. Ubi autem de manuscriptis sermo incidit, duo sunt, quæ minime prætermittere debemus: primum scilicet, *septem* illos manuscriptos Codices, de quibus in Præfatione sua Scriverius verba fecit (ut videre est in superiore Cap. IIII. Sect. 18.) non omnes, ceu continentes Commentarium *de Aquaductibus* esse reputandos: ea enim in Scriverii Notis mihi videor videre indicia, propter quæ credere debeam, unum dumtaxat (si aliquem habuit) manuscriptum Codicem Commentarii *de Aquaductibus* Scriverium habuisse; eumque notæ vix melioris, quam Libri editi sint; ut ex comparatione ejus editionis cum editionibus aliis liquere potest. Deinde non prætermittam, adstipulandum haud esse Scriverio in citata Præfatione scribenti, *qui ante me laboraverunt membranis nullis adjuti* fuerunt; videtur enim Iocundus Codice aliquo manuscripto fuisse usus; ut supra in Cap. IIII. Sectione decima ostendi.

6. Post hæc autem animadvertere præstat, in Scriverii editione inter ea, quæ ad oram adscripta sunt, non semel reperiri verba hæc, *Vide Notas*; quæ certe verba ad ipsius Scriverii Notas referri non possunt, possunt autem ad Notas Opsopœi; pro singulis etenim illis locis, quibus Scriverius adposuit, *Vide Notas*, Opsopœus Notam scripserat. Illud quoque animadvertendum est diligenter, variis in locis, in quibus Scriveriana editio a prioribus differt, adposita esse ad oram verba hæc, *Ita legendum*; quos sane locos Scriverium emendavisse secundum Notas Opsopœi, plane comperi. Itaque miror, cur Scriverius, ubi post citatam Præfationem nominat eos, per quos profecerat, Opsopœum prætermiserit; & magis miror, cur Opsopœi Notas editioni suæ non subjecerit. Ego quidem, Scriverium ipsum Notas alias scripsisse uberiores, comprehendentesque etiam Opsopœi Notas, hasque, fato aliquo adversante, intercidisse, facile crederem; nisi viderentur contrarium persuadere ea Præfationis ejus verba; *ibi enim*, videlicet *in ora, emendationes sive notas exhibere, quam seorsim dare malui*. Præterea vero mirandum est, ad oram Legum (de quibus in sequente Sectione dicam) de Aquæductibus, quas primus Frontini Commentario Scriverius adjecit, tum legi illud, *Vide Notas*, tum etiam legi verba hæc, *Varietatem lectionis, & quomodo legendum, vide in Notis*: neque tamen Legibus Notas ullas, ad ea loca pertinentes, esse subjectas: quin etiam nonnullæ ex iis, quæ ad oram esse debebant, frustra quæruntur; plures enim sunt asterisci (ut ajunt) in contextu, quam in margine Notæ. Quæ cum ita se habeant, tum suspicandum est, Scriverium editioni Authorum, quos conjunxerat, & emendaverat præsentem non fuisse; tum profecto dicendum, vel eas citationes, de quibus paullo supra diximus, fuisse in Scriverii Editionem intrusas, vel in hac Editione bene multa desiderari. Utcumque est, eas quæ habentur, Scriverii Notas, operæ pretium me factutum existimavi, si editioni meæ adjicerem: ita illud quoque consequetur, ut, si quis eas cum Opsopœi Notis conferre velit, veritatem eorum, quæ paullo supra animadverti, oculis habeat subjectam fidelibus.

7. Nunc restat, ut dicam *de Legibus, sive Constitutionibus de Aquaductibus tam Romæ Veteris, quam novæ Urbis, scilicet Constantinopolitanæ*, in hac Scriverii editione (ut sæpius dictum est) primum Frontini Commentario adjectis: quæ tamen minus facere videntur ad illustrationem ejusdem Commentarii

scripti

ſcripti & ante multos annos, & de Aquis influentibus dumtaxat Vrbem Romam; ut fuſius animadverſum eſt in Nota 8. II. Art. 99. At quoniam in nonnullis editionibus hæ Leges reperiuntur, faciendum non exiſtimavi, ut in hac noſtra editione deeſſent.

Tranſeo ad Ioſephum Scaligerum. Sciebam in Bibliotheca publica Vniverſitatis Lugduno-Batavæ aſſervari editionem Vitruvii & Frontini, anni 1522; cui quædam adſcripſerat Scaliger. Eorum, quæ ſcripta erant ad oram Frontini, exemplum ad me miſit Hermannus Boerhaave, Vir ut doctrina celeberrimus, ita humanitate præſtantiſſimus; idemque ad me ſcripſit, *conſuevisse Scaligerum mire graciles minutaſque ſcribere litteras, inde edax horum tempus effeciſſe, ut notula illa haud ſatis alicubi appareant*: ex poſt Scriverii Notas, ut ederentur, curavi. Conjectando autem, ut credo, Notas illas ſcripſit Scaliger, quæ cum nihil aliud, niſi mutationes paucorum verborum (ut noſtris in Notis haud ſemel animadvertimus) contineant, Variæ Lectiones nuncupari quodammodo poſſunt. 8.

Quid vero de Roberto Keuchenio in hoc poſtremo loco dicam, neſcio. Fabrettus alicubi (in Num. 281.) interpretationem Keuchenii *menſtrum* (nolo autem acerbiora in Keuchenium eodem loco ſcripta referre) *interpretationis* appellat. Contra Grævius editionem, Notaſque Keuchenii aliis præferendas, inſerendaſque in Theſaurum Romanarum Antiquitatum exiſtimavit. Vt verum tamen fatear, plurima a Keuchenio oſcitanter fuiſſe poſita, atque ſcripta, negari non poteſt. Deſcripſit is Scriverii editionem, Scriveriique Notas puras putaſque (ſi unam aut alteram, & paucas Briſſonii citationes excipias) ceu varias lectiones paginis ſuæ editionis ſubjecit: ac minime advertens, Scriverium reſpexiſſe ad Opſopœi Notas; &, quod caput eſt, citationes cum Notis haudquaquam conſentire (ut in Sect. 6. hujuſce Capitis oſtenſum eſt) tum fidenter tranſcripſit verba illa Scriverii; *Ita legendum*; tum illa, *Vide Notas*: ex quorum deſcriptione tantæ ſane negligentiæ indicium apparet; ut, quomodo Keuchenium excuſem, non inveniam. Commentarium autem Frontini in Libros duos, ſecus ac Scriverius fecerat, diviſit Keuchenius. Sed quod attinet ad Notas, quas hic de ſuo addidit; nemo eas (ſi quid judico) expendet, quin fateatur, in earum plurimis res (detur vero venia) vel falſas, vel ineptas contineri, ut variis in locis opportune oſtendi. *Scriptum* vero neſcio quod, *ſcriptum codicem*, & *veteres ſchedas* nominat Keuchenius in Notis; ſed profecto, ex iis fructum ullum percepiſſe Keuchenium, non conſtat. Haud tamen prætermiſi, quin alicubi, ſi boni aliquid ex Keuchenii Notis ad rem faceret, indicarem. Verum eas integras poſt Scaligeri Notas ſubjeci; non modo ut quilibet facilius de Notis iiſdem judicium ferre poſſet; verum etiam ut eorum, quæ ſparſim in ſingulis Frontini Commentarii editionibus reperiuntur, nihil poſſet in hac noſtra editione deſiderari. 9.

CAPVT VII.

De tota ratione opera in hoc Commentario emendando illuſtrandoque adhibita.

AB extremis Libri partibus, iiſdemque haud majoris momenti, quæſo liceat ordiri; atque præfari pauca de Indicibus, quos ad Libri calcem adjeci. Quod itaque ad *Vocabulorum Indicem* pertinet; eum addidi, quoniam 1.

ejuſmo-

ejusmodi Indices in Libris ad usum Ser. Delphini editis haud levi in pretio jure meritoque semper habiti sunt: prætermisi tamen monosyllabas particulas ferme omnes, vocesque relativi *qui*, *quæ*, *quod*: hujusmodi enim vocabulis onerari potius, quam ditari Indices, experientia didici, & a Viris doctis accepi. Simili de caussa nomina clarissimorum Authorum, qui plurimi sane, argumento institutoque meo sic postulante, in Prolegomenis & Annotationibus citantur, in adjecto *Rerum præcipuarum Indice* (quamvis pene invitus) prætermisi: satis enim ad ejusdem Indicis institutionem visum fuit Authores illos indicare, in quorum locis vel emendandis, vel explicandis, aliquid præstare conati sumus. Post hæc vero ex occasione quædam hic de Benedicti Millini Indice adjungam: de quo Fabrettus in Num. 16. alias citati *de Aquis & Aquæductibus* Operis hæc scribit; *In hac aliisque Frontini nuncupationibus, Indicem M. S. Benedicti Millini, jam per omnes Urbanos codices diffusum, uti diligentissimum, & copiosissimum sequimur*. Is tamen neque Romæ in Bibliothecis Codicum refertissimis, neque inter Millini Libros, neque inter Libros Fabretti ab eis, qui ut gratum mihi facerent, conquisivere, inventus est. Verum, cum nihil aliud continuisse videatur, nisi Commentarii Frontiniani quamdam in Articulos divisionem, hancque haud multum diversam (ut ex ipso Fabretto colligere est) ab ea, quam ego institui; his de caussis, me illo Indice æquo animo carere posse, plane existimavi. Sed hæc hactenus: nunc pergamus ad res momenti quidem majoris; nimirum ad emendationes.

2. Corrupta Authorum loca aut ex conjectura, aut ex veterum Librorum, qui manuscripti sunt, vel impressi, scriptione emendantur; ut recte quidem & ratione animadvertit Franciscus Robortellus in sua *de Arte corrigendi Antiquorum Libros* Disputatione. Quod autem attinet ad conjecturas, iis parcissime utendum ratus, nihil quicquam in emendando, nisi urgente necessitate, ex conjectura mutavi, aut supplevi. Neque sane putabam, loca omnia obscura ceu vitiata esse habenda; obscuritatem enim ex ipso Authorum stilo aliquando proficisci, dubitari non potest: neque vero propositæ rei veritatem potius, quam Frontini de re eadem sententiam, sequi volui (ut etiam in Nota 5. IIII. Art. 73. dictum est) cum verborum Frontini explicatio id profecto esset, quod proponebatur. Hinc sententias singulas, rerumque, quibus de agebatur, naturam diligenter expendi, ut de verbis dubiis conjicerem. Ubi tamen dubia verba insolentia, atque nova esse videbantur, malui ea prætermittere; ut feci, caussa exempli, in verbis *flagnino*, & *Pupula* (vide Notas 28. Art. 7. & 1. Art. 24.) ad horum enim vel probandam sinceritatem, vel emendationem tentandam, nullam satis probabilem conjecturam inveni. Nonnullis autem in locis mendorum origines licuit inquirere; ut in variis numerorum mutationibus ortis ex eo, quod iidem numeri aliquando verbis integris scripti, aliquando Romanis litteris designati fuerint, & in depravatione notarum repræsentantium partes Assis (de quibus rebus plura in Notis 1. V. XV. Art. 79. ac 6. I. II. Art. 26.) & etiam alibi: quæ sane originis mendorum consideratio haud exiguam opem affert conjecturis. Huc etiam spectat (ut non semel observavimus) ratio ductuum litterarum, quibus dubia verba componuntur, diligenter habenda: interdum enim accidit, ut integrum aliquod verbum mutatione unius litteræ diversam induat significationem. Ceterum me liberius gessi in casibus, ut loquuntur, relativorum *qui*, *quæ*, *quod*: ea enim relativa in Codicibus, vetustisque editionibus plerumque designata visuntur littera *q* cum addita aliqua nota; quæ nota, pluribus casibus communis, neque casus ipsos determinat, neque adimit libertatem resti-

restituendi ex conjectura eos, qui cum veritate consentire maxime videantur.

Vt tamen principio indicavi, conjecturis parce usus, quam maxime fieri potuit, Codices secutus sum: ut ex variis lectionibus, quas in Notis diligenter posui, satis est manifestum. Vbi vero in Cassinensi Codice, & in Vrbinate consentientes lectiones inveni, quod sæpissime accidit, eas præsertim adhibui: mihi enim facile persuasi Cassinensis Codicis exemplo illi, quo utebar, maxima quidem diligentia atque cura tum descripto, tum iterum collato, fidem in primis esse habendam; proxime vero Codici Vrbinati (huic autem exemplum meum tam simile est, quam ovum ovo) illi nimirum, qui magna & ipse fuit diligentia exscriptus: quamobrem ab utroque consentiente, nisi firmissima ratio aliqua in contrarium cogeret, recedere minime licere, existimavi. Quod si dissensum aliquem inter eos Codices offendi, ferme semper Codicis Cassinensis lectiones lectionibus alterius hujusce prætuli, & vix unus aut alter locus est, in quo ad Vrbinatem potius accesserim ob eas rationes, quas habes in Notis. 3.

Inter Libros autem æneis typis descriptos ante ceteros principem Editionem expendi. Pluries in ea ex collatione inveni a Codicibus variantes lectiones, quarum tamen plerasque non notavi, tum quia ejus Editionis fides ubique præstans non est (ut ut alicubi cum Codicibus magis, quam posteriores Editiones consentiat) tum quia nolui operi jam satis superque prolixo accessionem hanc quoque fieri. Sed ubi collationes aliquæ utilitatem afferre posse visæ sunt, ab eis non abstinui. Potissimum vero citata a me est Editio Iocundi; quippe quæ præcedentibus multo melior, subsequentibus vero quasi exemplar ubique ferme extiterit. Hac tamen Editione ita sum usus, ut in differentiis inter ipsam, atque Codices, hos præsertim attenderim; nisi ubi paucis in locis, iisque emendatione plane indigentibus, magna verisimilitudo lectionis a Iocundo positæ contrarium persuasit: ceteroquin præeuntem aliquem, si fieri potuisset, semper prosequi placuisset magis, quam ingredi diversam viam. Nunc autem restat, ut moneam, me alicubi scripsisse, *Iocundus de suo addidit*, aut similia verba; quod tamen caute intelligi velim, cum fieri potuerit, ut in Codice (Codice enim usum fuisse Iocundum, dixi jam in Cap. IIII. Sect. 10.) additiones illas, sive mutationes invenerit. Ita ubi scripsi, *Editiones, quæ Iocundi Editionem præcessere*, eas, quas vidi, indicatas velim haberi; & eam excipi, de qua in Cap. 4 Sect. 7. dixi. 4.

Quoniam vero, ut superius innui, jam nimium creverant nostræ Annotationes; idcirco variis in locis differentias momenti levioris inter Codices, & editos Libros, notare prætermisi; sive illæ consisterent in diphthongis, sive in quibusdam verborum desinentiis alias satis claris, sive in similibus rebus, sive etiam in aliqua transpositione verborum: in quibus quoque, ubi potui, Codicibus ipsis adhæsi. Porro fides Codicum ita apud me valuit; ut, siquando mihi ab iisdem recedenti scrupuli aliquid remansit, appositas aut meas, aut aliorum emendationes in contextu typis diversæ scripturæ exarari curaverim; ut vel ex forma litterarum ea verba perspicue distinguerentur. 5.

In Annotationibus autem ad res pertinentibus, ut feceram in emendatione verborum, diligentissime attendi (quod Ioannes Clericus recte & sapienter in eximiis suis *Criticæ Artis* præceptis, Vol. I. pag. m. 286. universim inculcat) ut res, de quibus agit Scriptor noster, mihi notæ plane essent, atque perspectæ: ad quas sane cognoscendas, fateor, haud parum conferre potuisse ea studia, quibus semper plurimum sum delectatus. Neque id prætermisi, de quo alibi non semel dixi, ne scilicet in Inscriptionibus, Legibus, 6.

aliis-

aliisque scriptis vel multo ante, vel post Frontini tempora, incaute Frontini ævo affigerem ea, quæ ævo illi minime convenirent. Atque ubi Authorum loca citata ab aliis inveni, ipse diligenter cum Authorum operibus eadem loca contuli, qui labor, contra ac principio putavissem, profecto sæpe utilis evasit. In iis vero rebus, quarum mentio apud unum Frontinum reperitur, ut in quorundam Consulum nominibus, ac tempore magistratus eorundem secundum rationem a Frontino nostro adhibitam in annis ab Vrbe Condita computandis, non nimis fisus sum aliorum authoritati, sed rationes facientes ad rem, de qua agebatur, conquisivi. Et, ut constaret de quibusdam antiquis locis, de nonnullis Officiis, deque similibus rebus a Frontino indicatis, addidi horum seu explicationes, seu descriptiones. Quod si quis forte dicat, & in Lexicis & apud Antiquarios hujusmodi res jam plus satis explicatas esse, atque descriptas; hunc rogabo, ut attendere velit, neque omnia jam tradita fuisse, neque ab aliis eo fine, ut ad Authoris nostri illustrationem applicarentur; quod tamen facere in animo mihi fuit.

7. Illud quidem magis vereor, ne nimis longus in commentando fuisse, & ne minutas interserendo notas *fluctus in simpulo* (ut in proverbio est) alicubi *movisse*, videar. Neque enim ignoto, eos in scribendo excellere, qui verbis paucis multa complectuntur; nimiamque diligentiam obscuræ diligentiæ loco haberi, viderique *ambitionis* (ut Manutius in Libro *de Legibus* pag. m. 257. contendit) *inepte speciem præseferre*. Sed velim animadverti, Frontinum multis de rebus scripsisse, quæ a nemine ea tempestate ignorabantur; nunc vero, nisi aut eruantur ex antiquis Scriptoribus, & ex Antiquariis, aut deficientibus apud illos notitiis vestigentur perquiranturque conjecturis, ignorentur necesse sit. Hinc quædam Annotationes in dissertationum veluti formam coaluere; ut etiam quædam aliæ in quibus, cum de supputationibus ageretur, harum principia atque rationes ex necessitate debuerunt afferri. Divertendum etiam aliquando a propositis rebus necessario fuit, ut in nonnullas aliorum observationes animadverteretur. At cur plura congero? quasi spem capiam, fore ut nihil culpandum possit remanere; vel Lectores benevolos, ut ab iisdem quæso, optimam, quam habui voluntatem, æqui bonique consulturos esse desperem.

FINIS.

SEX:

SEX. IVLII FRONTINI
DE
AQVAEDVCTIBVS
VRBIS ROMAE
COMMENTARIVS.

CVM omnis res ab Imperatore delegata intentiorem exigat curam; & me seu naturalis sollicitudo, seu fides sedula non ad diligentiam modo, verum ad amorem quoque commissæ rei instigent; sitque mihi nunc [1] ab Nerva Augusto, [2] nescio diligentiore, an amantiore Reipublicæ Imperatore,
Aqua-

1. *ab Nerva Augusto*] Fuit hic Nerva Cocceius: nam infra in Art. 102 ita ipse Frontinus scribit; *Imperatore Nerva III. & Virginio Rufo III. COSS. ad nos A-quarum cura translata est.* Itaque, cum totum eum annum, quo Ordinarii Consules fuere Nerva III. & Rufus III. idem Nerva Cocceius Imperator vixerit, haud dubium esse potest, quin ab Nerva Cocceio Aquarum Officium Frontino nostro fuerit iniunctum.

2. *nescio diligentiore, an amantiore Reipublicæ Imperatore*] Verbum illud *diligentiore*

non

[3] Aquarum iniunctum Officium, [4] ad usum, [5] tum ad salubritatem, [6] atque etiam ad securitatem Vrbis pertinens, [7] administratum per principes semper Civitatis nostræ Viros; primum ac potissimum existimo, sicut in ceteris negotiis institueram, nosse quod suscepi.

¶ Att. 2. ¶ [1] Neque enim ullum omnis actus certius funda-

---

non ad amorem pertinere, sed ad diligentiam, ad solertiam conjicio; cum subsequens verbum *amantiore* ad amorem certe pertineat. Et quidem conjecturæ huic favent verba Frontini, qui paullo supra dixerat; *se instigari non ad diligentiam modo, verum ad amorem*; si hæc quidem verba cum superioribus conjungantur.

3. *Aquarum iniunctum Officium*] Aquarum scilicet Curator factus fuerat Frontinus, ut ipse perspicue infra in Art. 102 ita affirmat; *Cum rem produxerimus ad initium Curatorum, non est alienum subjungere, qui post Messalam huic Officio ad Nos usque præfuerint.*

4. *ad usum*] Ita habet Codex Cassinensis: alii Codices, & Libri editi habent; *tum ad usum*. Multiplex autem erat aquarum usus, ut Frontinus ipse varios usus pro Privatis, pro Castris, pro Muneribus, pro Lacubus, pro Operibus publicis infra enumerat: atque adeo Curator hisce omnibus usibus præerat.

5. *tum ad salubritatem*] Quam conducere Hominum sanitati aquarum puritas queat, nemo ignorat. Sed salubres Vrbi cum dicebantur Ductuum aquæ; præsertim dicebantur propterea quod aquæ, abluendo Vrbis immundicias, aeris puritatem juvabant. Huc spectant quæ Frontinus, de providentia Imperatoris Nervæ Trajani verba faciens, infra in Art. 88 posuit; *Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt: nam immunditiarum facies, impurior spiritus, & caussæ gravioris Cæli, quibus apud Veteres Vrbis infamis aer fuit, sunt remotæ.* Ad ipsam ergo salubritatem, ut Imperator, sic Curator Aquarum tenebatur respicere.

6. *atque etiam ad securitatem*] Aquam conferre *ad* Vrbis *securitatem* dici potest primum ea de caussa, quod aqua ad extinguenda ædificiorum incendia plurimum valet. Quo respexisse Frontinum nostrum, verisimillimum est, cum infra in Art. 117 scripsit; opus fuisse, ut Servi omnes in Vrbe urgerent opera, *in primis ad subitos casus* (hos autem subitos casus incendia præsertim fuisse, opinor) *ut ex compluribus Regionibus, in quas necessitas incubuerit, converti posset præsidium aquarum abundantius*. Frequentia autem per ea tempora fuisse Romæ incendia, liquere potest vel ex Satyra tertia Juvenalis, qui certe Frontino aut æqualis fuit, aut ferme æqualis.

II. Deinde *ad securitatem* Vrbium illud pertinet, ne desint res vitæ sustentandæ necessariæ (harum autem nulli secunda aqua est) his enim deficientibus, nequeant extinde Vrbes diu ab hostibus defendi. Neque desunt sane exempla civitatum, quæ ob aquæ inopiam se dedere hostibus coactæ fuerint. Quin Romam ipsam cum obsiderent Gothi, ut narrat Procopius Lib. II. de Bello Gothico, conati sunt eos, de quibus verba hic fiunt (præsertim, ut reor, subterraneos; facillime enim poterant aquæ supra terram averti) aquarum Ductus disturbare, ut Vrbis securitatem minuerent. Credibile autem fit, puteos aquæ puræ, & fontes non satis fuisse iis temporibus, quibus Romanus Populus numerosissimus erat.

7. *administratum per principes*] Per eos scilicet, qui magna pollebant auctoritate, aut in majoribus Magistratibus versati fuerant. Omnes autem Curatores infra in Att. 102. a primo ad se usque Frontinus enumerat.

¶ Att. 2. 1. *Neque enim ullum &c. aut aliter quæ facienda, quæque vitanda sint, posse decerni*]

Vt

fundamentum crediderim, aut aliter quæ facienda, quæque vitanda fint, poſſe decerni, [2] aliudve tam indecorum tolerabili Viro; quam delegatum Officium ex Adjutorum agere præceptis (quod fieri neceſſe eſt, [3] quotiens imperitia præceſſit, *(t) Adjutorum decrevit* uſum) quorum etſi neceſſariæ partes; [4] ſunt ad miniſterium tamen ut manus quædam, & inſtrumentum agentis. Quapropter ea, quæ ad univerſam rem pertinentia, contrahere potui, more jam per multa mihi Officia ſervato, in ordinem, & velut [5] in *unum* corpus deducta, in hunc Commentarium contu-

---

Vt nos edidimus, ita Codex Caſſinenſis: at in Editione Iocundi pro his verbis; *aut aliter quæ facienda &c.* ſunt hæc; *quam quæ facienda, quæque vitanda ſint poſſe decernere*. Satis tamen perſpicue apparet (ſi attendantur ſuperiora verba; *noſſe quod ſuſcepi*) præſtare eam Codicis lectionem, ac Frontini verborum ſententiam hanc eſſe; *neque enim crediderim ullum fundamentum omnis actus certius* eſſe cognitione rei agendæ, ſeu ſuſceptæ; *aut aliter*, quam eadem illa cognitione *poſſe decerni quæ facienda, quæque vitanda ſint*.

2. *aliudve tam indecorum tolerabili Viro*] Ita Codices Caſſinenſis, & Vrbinas: Editio princeps habet; *Nam quid vere tam indecorum Viro, & intolerabile*: Editio Iocundi; *Nam quid Viro tam indecorum & intolerabile*: itaque (ni peſſime fallor) perſpicuum eſt, in Editionibus quædam ex ingenio fuiſſe mutata. Ego vero malui a Codicibus non recedere: puto enim adhuc ſubaudiendum eſſe illud, *neque crediderim*, ut ſententia hæc ſit; *neque crediderim*, *aliud* quidpiam eſſe *Viro tolerabili tam indecorum, quam &c.* Præterea reliqui verba *tolerabili Viro*; nam nimia mutatio videbatur ea, quæ fiebat, ut verbum *tolerabili* in verbum *intolerabile* poſſet tranſmutari. Puto, Frontinum intellexiſſe, pro *Viro tolerabili*, Virum præditum mediocri virtute ac habilitate ad agendum; qui licet excellens non eſſet, tolerari tamen poſſet.

3. *quotiens imperitia præceſſit*, & Adjutorum decrevit *uſum*, *quorum etſi neceſſariæ partes*] In Codice Caſſinenſi, & ferme eodem modo in Codice Vrbinate legitur, *quotiens imperitia p̃ eo ſit ei adi.... arua decurrit, uſum quorum, etſi neceſſariæ partes &c.* Vt emendaverim, palam eſt. Sane videntur pauciora mutata, & ſententia melior, quam ſit in Editione Iocundi, ubi legitur; *quotiens imperitia præceſſit ejus, cui decernitur, uſus quorum &c.* qua in lectione fragmentum *adi.... arua* prætermittitur; *uſum* vertitur in *uſus*; & quid ſit id, quod decernitur non apparet. At ſi quis forte dicat *decernitur officium*: reſpondebo, id mihi non apparere.

4. *ſunt ad miniſterium tamen ut manus quædam, & inſtrumentum agentis*] Ita habent Codices Caſſinenſis, & Vrbinas, Editioque princeps: at Editio Iocundi habet; *ſunt, tamen ad miniſterium ut manus quædam & inſtrumentum agentis, eſſe debent*: verba autem hæc, *eſſe debent*, reor, vi fuiſſe intruſa.

5. *In* unum *corpus*] Codex Caſſinenſis; *in hunc corpus*: particulam *hunc* mutandam putavi in hanc *unum*; quia hæc dictio *in unum corpus* viſa eſt ad rem propoſitam ſignificandam aptior: neque valde credibile ſit, particulam *hunc* (ideſt *hoc*) a Frontino fuiſſe poſitam, cum ſtatim ſequatur; *in hunc Commentarium*. Editio Iocundi prætermittit cunctas particulas, & habet; *in corpus*.

contuli, quem pro forma administrationis respicere possem. [6] In aliis autem Libris, quos post experimenta & usum composui, Succedentium res acta est: hujus Commentarii fortassis pertinebit & ad Successorem utilitas, sed, cum inter initia administrationis meæ scriptus sit, in primis ad meam institutionem regulamque proficiet.

¶ Art. 3. ¶ Ac, ne quid ad totius rei pertinens notitiam prætermisisse videar, nomina primum Aquarum, quæ in Urbem Romam influunt [1] ponam; tum per quos quæque earum, & [2] quibus Con-

---

6. *In aliis autem Libris, quos post experimenta & usum composui, Succedentium res acta est, hujus Commentarii fortassis &c.*] Ita Codices omnes, & Editio princeps. Non nego, sententiam aliquid obscuritatis habere; non possum tamen Iocundi mutationes, quæ certe fuere ex ingenio, sequi: in ejus editione sic legitur; *in aliis autem Libris, quos post experimenta & usum composui antecedentium res acta est, in hoc vero & insequentium, cujus fortasse &c.* Profecto, si Frontinus dixisset *actam a se rem antecedentium*, quid opus fuisset, ut commemoraret, se *scripsisse post experimenta & usum*? At ubi citata verba cum subsequentibus verbis conferuntur, rectaque ponitur (ut posita est in nostro contextu) interpunctio; multum quidem aufertur obscuritatis sententiæ, quæ talis fit: *in aliis Libris, quos composui, Succedentium* utilitati consultum est: *sed hujus Commentarii utilitas*, ut ut *ad Successorem* possit pertinere, cum tamen Commentarius hic *inter initia administrationis meæ scriptus* sit, equidem in primis *ad meam instructionem regulamque* pertinebit.

¶ Art. 3. 1. *ponam*] Keuchenius narrat, se legisse, pro *ponam*, *promam*: sed illud magis placere, quod consentiat cum iis, quæ habet Frontinus infra (Art. 64.) *Persecutus ea, quæ de modulis dici fuit necessarium, nunc ponam quemadmodum quæque aquarum &c.* Adde, in Codicibus Cassinensi, & Urbinate legi, *ponam*.

2. *quibus Consulibus. & quoto post Urbem Conditam anno*] In numerandis ab Urbe Condita annis & olim dissensere Viri Docti, & dissentiunt hoc tempore: itaque non omnes, cum annum aliquem ab Urbe Condita designant, ex iisdem Consulibus ipsum nominant. Cur varii diversas rationes sequantur, variæ caussæ sunt. Porro Auctores, qui non conveniunt inter se, usque ad quingentesimum ferme annum V. C. non semper uno eodemque constanti annorum numero in ordinandis iisdem Collegiis Consulum differunt: sed aliquando differunt uno, aliquando duobus, aliquando tribus, aut quattuor annis: at ab eo quingentesimo anno (ut animadvertit Carolus Sigonius in eruditissimis Commentariis in suos Fastos, & Triumphos, pag. m. 14.) hæc constans inter dissentientes Auctores controversia invenitur *quod alii alios uno, alii duobus, alii tribus, alii quattuor annis antecedant, aut subsequantur.*

II. Qua vero Frontinus noster ratione unumquemque post Conditam Romam annum cum Collegio Consulum (hoc est cum binis illis Consulibus, qui eo anno fuerint in dignitate) conjungeret, subobscurum primo visum mihi fuit; propterea quia consulens Fastos, facile comperiebam, Doctos Viros prolatis annis Frontinianis curavisse potius, ut illustrarent aliquo modo proprios Consulares Fastos, quam ut ex propriis Fastis Chronologiam Frontini illustrarent. Quapropter asseveranter statuere nolui quam Urbis Conditæ Epocham secutus Frontinus sit (etsi conjecturam de ea ponam infra in Nota ad verba; *anno post Urbem Conditam* CCCXVIII. Art. 9.)

Pro-

Consulibus, & quoto post Vrbem Conditam anno, [3] perducta sit; deinde quibus ex locis, & [4] a quoto *millia-*

Propter hæc itaque aliis rationibus (ut suis locis constabit) tentavi, cum vestigare qui annorum numeri in Libris recte positi sint; tum vero inquirere, ut possent illi emendari, qui essent depravati.

3. *perducta sit*] Codices Cassinensis, & Vrbinas; *perducta sint*: Editio Iocundi; *perductæ sint*.

4. *a quoto* milliario *cœpisset*] Codex Cassinensis; *a quoto cœpisse*: Codex Vrbinas; *a quoto cœpissent*: Editio Iocundi; *a quoto milliario duci cœpissent*: nos illud *duci*, ceu minus necessarium, non addidimus; ut verbum *milliario*, tamquam omnino necessarium, addidimus, credentes a Frontino positum periisse. Nunc autem, ut cognosci possit quanta ea esset, secundum Vias, ab Vrbe distantia, ex qua ducebantur aquæ, & quanta ductus cujusque longitudo, & alia id genus; scire juvat, quæ esset eo tempore Milliarii longitudo. Quoniam vero id ex millibus Passibus constabat, singuli vero Passus ex Pedibus quinque; ex nota Pedis longitudine reliqua etiam innotescunt. Variæ admodum fuere ante hæc tempora sententiæ de longitudine antiqui Romani Pedis: & hac in re definienda quidam etiam docti Viri (quorum errores recensere nihil interest) lapsi sunt. Verum inter Celeberrimos recentiores, qui, perspectis antiquorum sententiis, novisque observationibus habitis, in hac re diligentius fuere versati; nominandi sunt Ioannes Dominicus Cassinus, Raphael Fabrettus, & Philippus de la Hire.

II. Cassinus igitur in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ anno 1702. scriptis (pag. 15.) plura argumenta docte attulit ad probandum, Pedis Romani antiqui, ejusdemque usurpati in nonnullis mensuris recensitis in Strabonis Geographia, atque in Itinerario Antonini (quod Itinerarium etsi variis Autoribus tribuitur, vix tamen aliquis est, qui idem valde antiquum non reputet) Pedis, inquam, Romani antiqui longitudinem eam esse habendam, quæ Pedis Regii Parisiensis (mensuræ genus est ubique notissimum) contineat Pollices undecim, & vigesimamquintam Pollicis partem.

III. Raphael Fabrettus multa de Pedis Romani antiqui magnitudine edisserit, Capitolinumque Pedem pro vero antiquo agnoscit, in aureo Libro de Aquis & Aquæductibus, a Num. 122 ad Num. 132; ex quo, ut fiet manifestum, quædam sumus transducturi in rem nostram; servaturi etiam in Figuris, ab eo desumtis (facilitatis caussa) ejus mensuras. Vt ergo cognoscerem, quæ ratio inter Pedem a Fabretto usurpatum, & Pedem Regium Parisiensem interesset; hunc contuli cum mensuris Ioannis Baptistæ Villalpandi, & Ioannis Baptistæ Riccioli ex ratione, quam ipse Fabrettus in Num. 131 indicavit, prætereaque contuli cum mensura latitudinis X Z (*Fig. I.*) *Arcus recentis Portæ S. Laurentii*, cujus figuram exhibuit idem Fabrettus, citati Operis pag. 4, definiens latitudinem X Z Pedum 18; quam latitudinem X Z Amicus Romæ degens, virga adhibita in quattuor Pedes Regios ac subtilius etiam divisa, solerter metitus est. Factis autem hisce collationibus, inveni; Pedem Romanum antiquum, a Fabretto positum, continere Pollices decem, & circiter totidem Lineas: nimirum ab undecim Pollicibus Pedis Regii Parisiensis deficere duabus circiter Lineis.

IIII. At de la Hire in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ anno 1714 scriptis, pag. m. 394, pluribus usus est argumentis (quæ præsertim desumsit ex veterum ædificiorum mensuris) ut evinceret, Pedem Romanum antiquum longitudine fuisse omnino æqualem Pollicibus undecim Pedis Regii Parisiensis. Quoniam vero sæpe tutum est, extrema non amplecti; iccirco, inter illam a Cassino definitam, illamque a Fabretto traditam, longitudo quodammodo media Pollicum unde-

milliario cœpisset; quantum [5] subterraneo rivo, quantum [6] substructione, quantum [7] opere arcuato; [8] postea altitudinem cujusque, [9] modulorumque rationem, &

---

undecim pro vera longitudine Pedis Romani antiqui assumi posse videtur.

V. Ceterum illud etiam hoc loco monendum est: me sequi eam sententiam, qua pro certo ponitur, distantias ab Vrbe (quæ ut notæ fierent, singula milliaria dimensa diligenter, lapideis columnis distinguebantur) a veteribus Portis metiri Romanos consuevisse.

5. *subterraneo rivo*] Subterraneus rivus est canalis sub terra effossus, & cujus etiam pars superior terra contegitur: quod per se perspicuum oppido est, neque indiget declaratione. Si indigeret, præsto esset Frontinus noster, qui infra in Art. 121 habet; *minus injuria subjacent subterranea, nec gelicidiis, nec caloribus exposita*: ibi enim cum loquatur de ductibus, id indicio est manifestissimo, etiam subterraneos rivos terra fuisse protectos: quod & per se, ut jam innuimus, vox *subterraneo* addita *rivo* declarat.

6. *substructione*] Vox hæc *substructio* proprie significare videtur ædificiorum partem infimam, sub terræ superficie structam. Ex Vitruvii Lib. VI. Cap. 11 id satis colligitur, sic enim scribit; *maxima autem esse debet cura substructionum, quod in his infinita vitia solet facere terræ congestio*. Daniel autem Barbarus in doctissimis suis Commentariis ad Vitruvium (Lib. II. cap. 8 sub initium) hæc statuit; *substructio fundamentorum, structura frontium, instructio est partium mediarum*. At a Frontino nostro sumitur substructio pro muro, & quocumque alio solido opere structo, etiam supra terram, præsertim ad sustinendos canales, per quos aqua ducebatur.

7. *opere arcuato*] Opus arcuatum est quod fornices pilis suffultos habet, neque solidum est, scilicet non undequaque solidum. Vt vero facilius voces quædam intelligantur, lubet hic figura (*Fig. IV.*) ex Fabretti Operis citati pag. 8 desumta rem illustrare. De arcuato opere Ductus Aquæ Alexandrinæ ille in Num. 6 ita scribit: *Opus undique lateritium apparet, expolita laterum facie, & exacte ad lineam dispositis ordinibus. Pilæ quadratæ octo pedum crassitiem implent. Distantia Pilarum, sive Arcuum apertura, est ubique pedum XII. præterquam in ultima valle versus fontes, ubi X, ac semis; unica ubi demissiores, duplici vero in altioribus laterum bipedalium serie efformati. Quo vero major operi soliditas accederet, eminentiorem ex istis arcubus fornicem alium inferius curvatum habent, quo pilæ inter se colligentur, neve immenso hiatu fatiscant. Specus mensuram, retractiones, ornamenta, mutulos, ac cetera minutiora, adjecta exhibet delineatio, quæ opus Vrbi propinquius repræsentat*. In hac pars CDEF refert Opus Arcuatum. Quædam opera, efformata ex una tantum Arcuum serie, ea sunt, quæ repræsentantur in Figura (*Fig. II.*) ex Fabretti itidem pag. 17 desumta.

II. Specus autem (quamvis proprie significat idem, ac spelunca) sumitur pro canali, per quem aqua ducitur. Sic Vitruvius in Lib. VIII. Cap. 7; *sin autem medii montes erunt inter mœnia & caput fontis, sic erit faciendum, ut specus fodiatur sub terram*: præcipit etenim, ut subterraneus canalis fiat, quo perforetur mons, eundemque canalem *specum* appellat. Præterea specus dicitur via, seu rivus ille fornice contectus, qui supra substructiones, aut supra arcus superstruitur, ut aqua per ipsum duci queat. Quemadmodum in Figura (*Fig. IV.*) *Specus* est B *latus ped. II. & semis*, altus usque *ad curvaturam Fornicis pedes IIII. & semis. Fornix ipse ped. I. unc. IIII. Latera hinc inde crassa pedes II. unc. III.*

III. Specuum etiam nomine venisse aliquando cuncta Aquæductuum opera supra terram, probabile esse potest; ut infra ostendemus ad verba, ET. CIRCA. RIVOS. Art. 127.

8. *postea altitudinem*] Satis per se perspicuum est; altitudinem cujusque aquæ, de qua se dicturum pollicetur Frontinus, nullam aliam esse, nisi eam, quæ Libræ refer-

& ab illis [10] erogationes; quantum extra Vrbem [11] quantum intra Vrbem unicuique [12] Regioni, [13] pro suo modo, unaquæque Aquarum serviat; quot [14] Castella [15] pu-

refertur. Vbi enim, Art. 18, incipit de hac altitudine verba facere, incipit verbis hisce; *Aquæ omnes diversa Libra in Vrbem proveniunt*: ubi definit de eadem altitudine dicere, hæc in Art. 23 habet; *Quoniam Auctores cujusque Aquæ, & ætates, præterea ordines & longitudines rivorum, & ordinem Libræ persecutus sum &c.* Quid autem Libra sit, dicam fusius infra (ad verba, *diversa in Vrbem Libra*, Art. 18) Quam turpiter autem hallucinatus sit in sua Nota ad citata verba Keuchenius, qui hanc altitudinem, ceu *altitudinem subterraneorum meatuum & fornicum* sumere visus est, si quis scire cupit; is consular Fabrettum, ad Num. 281, a quo satis jam, immo fortasse nimis, Keuchenius vapulavit.

9. *modulorumque rationem, & ab illis erogationes*] Ita ferme Editio princeps, & Editio Iocundi; quas, in sensu satis claro, hic sum secutus. Codex Cassinensis; *modulorumque erogationes habiles factæ sint*: Codex Vrbinas; *modulorumque rationem habilis erogationes*.

II. Modulorum vocabulo Frontinus intelligit fistulam quandam, efficientem veluti primam partem fistulæ recipientis aquam; quæ pars lumine suo, idest capacitate sua, determinet quantitatem aquæ per ipsam fistulam derivandæ. Atque ideo constitutum erat, modulos habere capacitatem tantam, quanta, pro ratione impetratæ aquæ, impetrata fuerat. Hæc fistulæ pars, ut ex iis, quæ mox dicemus, patebit, ænea (saltem plerumque) erat, & appellabatur Calix: idque diserte Frontinus ipse infra in Art. 36 docet; *Est autem*, inquit, *Calix Modulus æneus, qui Rivo, vel Castello induitur; huic fistulæ applicantur* (seu, cum hac fistula, quæ Calix dicitur, fistulæ continuantur) *longitudo ejus habere debet digitos non minus duodecim; lumen, idest capacitas, quanta impetrata fuerit*. Videntur autem Moduli sic dicti, quasi essent parvi Modi, seu parvæ Mensuræ: quin vox Modulus aliquando pro ipsa Mensuræ voce usurpatur. Notum illud Horatii Epistol. Lib. I. Epist. 7.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.

10. *erogationes*] sunt ipsæ aquarum a fistulis eductiones; nam idem ferme est, aquam erogare, ac aquam certa cum mensura distribuere.

11. *quantum intra Vrbem unicuique Regioni, pro suo modo, unaquæque Aquarum serviat*] Ita Codex Cassinensis, nisi quod verbum *intra* supplevimus: id enim ita necessarium videbatur, ut fidenter ipsum reposuerimus. In Codice Vrbinate verba hæc valde depravata sunt. In Editione Iocundi ita legitur; *quantum intra, quisque modus cuique regioni pro modulo suo unaquæque aquarum serviat*. Sed præstare visa est lectio Codicis Cassinensis, & clarior esse: nam quid in Iocundi Editione illud *quisque modus*?

12. *Regioni*] *Regio* (ut ait Onuphrius Panvinius in Libro, cui titulus, *Vrbs Roma*, pag. m. 163) *a Rege derivatur; quod, priusquam Provinciæ fierent, Regiones sub Regibus essent, atque ab iis regebantur: postea ab earum similitudine, majores in Vrbe partes, Regiones appellari captæ*. Eæ singulæ in Vicos, ut in membra minora, dividebantur: & erant, quo ævo Frontinus scripsit, Regiones numero quattuordecim.

13. *pro suo modo*] Ita Codex Cassinensis, ut supra diximus: ita etiam alii Codices, & princeps Editio. Non, *pro suo modulo*, ut in Editione Iocundi. Significatur autem pro sua copia, pro mensura suæ quantitatis.

14. *Castella*] Castellorum Aquarum quæ esset vera figura non omnes eadem ratione definiunt Auctores; & pleræque ex ædificiorum reliquiis illis, quæ Castellorum Aquarum a nonnullis esse putantur, eorundem reliquiæ minime esse ab aliis censentur. Illud profecto certum est, nonnullos noluisse, nonnullos etiam nescivisse

[15] publica, [16] privataque sint; & ex his quantum publi-

---

visse distinguere inter Castella, limarias Piscinas, & Puteos (de his autem infra erit dicendi locus) præterea vero Castella varia obtinuisse figuras varias, prout vel unam, vel plures Aquas reciperent; quas diversis modis in alia Castella, aut in loca alia transmittere deberent. Quoniam vero aqua ex Castellis divisa effluebat, Priscis *Dividiculorum* vocabulo Castella nuncupabantur. Vniverse iccirco dicam, fuisse Aquarum Castella ad instar earum munitionum clausarum muris, quæ Castella dicuntur; unde nomen ad hæc, de quibus loquimur, translatum: hæc itaque ex rivo, aut ex specu, aut ex fistulis aquam recipiebant; quare ab aliquibus (inter quos Guilielmus Philander in suis Annotationibus in Vitruvium ad Lib. VIII. Cap. 7. & Bartholomæus Marlianus in Topographia Vrbis Romæ Lib. IIII. Cap. 10. sunt nominandi) *Receptacula* dicta sunt. Guilielmus Budæus in Annotationibus in Pandectas pag. m. 106. Castella definit; *Derivacula quædam laxiora, certis spatiis emodulata, ex quibus per fistulas aqua in varia loca distribuitur.*

15. *publica*] Publici Castelli nomine id significatur Castellum, in quod influit aqua ex publicis rivo, specu, aut fistula. Porro videtur solis publicis Castellis posse convenire definitio, quam tradit Baldus in Lexico Vitruviano. *Castellum*, scribit, *Aquæ Conceptaculum est, unde ex Aquæductu distribuenda est publicitus per Vrbem aqua. Hoc fere ex Vlpiano Pandect. Lib. 43. de aqua cotid. L. I.* Castelli publici mentionem fecit Vitruvius in Lib. VIII. cap. 7, cujus verba Daniel Barbarus, in suis ad Vitruvium Commentariis, sic explicat: ubi aqua ad mœnia sit perducta, efficiendum est Castellum, idest amplum Receptaculum, quod aquam suscipit: cui Receptaculo tria alia Receptacula sunt conjungenda (hæc Immissaria dicuntur) unde postea erogatur aqua. Ab his per fistulas sic erogari debet aqua, ut quæ profluit a medio Immissario derivetur in omnes lacus, & salientes; quæ ex altero in balneas; quæ ex tertio in privatas domos (Hæc autem Barbari explicatio Castello, quem descripsit Vitruvius, quanto congruat exactius explicatione illa ejusdem Castelli a Ioanne Georgio Grævio tradita in Præfatione ad Tom. IIII. Thesauri Antiquitatum Romanarum, Viri docti, sed simul hujuscemodi rerum periti, judicent) Ceterum si ex hoc, aut alio publico Castello ad usus publicos aqua erogata inducebatur in alia Castella, ut ex ipsis divideretur ad varia loca: hæc quoque alia Castella appellabantur Publica.

II. Post hæc lubet Vitruviani Castelli figuram & explicationem ex Perraultii Commentariis (pag. 265. E.) in Vitruvii Libros transferre huc, de Gallico in Latinum conversam. Itaque sit Castellum (*Fig. III.*) A B C instructum tribus fistulis A, B, & C, quæ distribuant æqualiter aquam tribus receptaculis D E, HI, & FG, quorum primum D E aquam ad balneas transmittat per fistulam K, tertium F G transmittat in domos privatas per fistulam M, medium vero H I transmittat ad omnes lacus & salientes per fistulam L: &, cum aqua in Castello A B C solito magis abundaverit, ipsa altius intumescet in receptaculis D E & F G; quare, primo D E, & tertio F G habentibus fistulas P, & R collocatas supra eas K & M, transmittentes aquam ad balneas & ad domos privatas, aquæ altius pertingenti patebit aditus per ipsas fistulas P, & R in receptaculum medium; poteritque hæc aqua misceri cum aqua, quam idem receptaculum medium recipiebat eodem modo, ac alia receptacula recipiebant a Castello A B C. Propter materiæ cognationem hæc haud dubie poni debebant: ceterum præstabit animadvertere, a Vitruvii ævo ad ævum Frontini nostri quædam in Architectura aquarum Ductuum, Castellorumque fuisse mutata. Ideoque videtur Grævius (in Præfatione ad Tom. IIII. Antiq. Rom.) nimis confidenter citatum Vitruvii locum ita protulisse, quasi ex eo de Castellorum omnium structura constaret: sed & quædam alia de Castellis ita festinanter scripta ibidem sunt, ut si diligentius expendantur, recipi haud facile queant. Quod vero ibidem Grævius asserit, a Vitruvio *mœnia vocari Vrbis ædificia*; id verisimilius videtur.

16. *priva-*

[17] publicis Operibus, quantum [18] Muneribus (ita enim cultiores [19] appellant) quantum [20] Lacubus, quan-

16. *privataque*] Castella privata illa erant, quæ ex publicis Castellis aquam recipiebant, aquam scilicet deinde in privatos solummodo usus per fistulas dividendam. Quod si quis Privatus Castellum proprium haberet; id Castellum, Privati proprium, dicebatur domesticum, sive privatum Castellum. Monere autem debeo, Frontinum polliceri, se dicturum, *quot Castella publica, privataque sint*, collective (ut ajunt) nusquam etenim illa ab hisce distinguit, aut illorum numerum ab horum numero separatum commonstrat.

17. *publicis Operibus*] Quæ intra Vrbem erogabatur aqua, erogabatur (ut constat manifeste ex iis, quæ habentur infra in Art. 78 partim nomine Cæsaris, partim Vsibus privatis, partim Vsibus publicis: Vsus autem publici ad quatuor rerum species pertinebant; ad Castra, ad Opera publica, ad Munera, ad Lacus. Vsus ergo publici quasi genus, Opera publica quasi species sub eo contenta, debent haberi.

II. Quæ vero Opera publica hic indicet Frontinus, haud possumus undequaque constituere. Prætoria, Aquæductus, Portus, Theatra, ac id genus alia, publica Opera dici a pluribus consueverunt; sed hæc non significari a Frontino satis manifestum est: verisimillimum autem fit, significari loca, in quibus Operarii aqua usuri essent. Certe hæc duo Opera, Balnearum, & Fullonicorum publica erant. Nam Frontinus infra, in Art. 94, de aqua caduca verba faciens, habet: *& hæc ipsa antiquitus non in aliam usum, quam in Balnearum, aut Fullonicorum dabatur* Privatis: paullo autem inferius, Art. 95, de hac eadem aqua, *quam Privati ducebant*, affirmat, eam ipsam *ad Vsum publicum* pertinuisse: quod nequivisset affirmari, nisi Opera Balnearum & Fullonicorum, pro quibus Privati aquam ducebant, fuissent publicorum Vsuum genere contenta, dicique potuissent publica Opera. His itaque Opera etiam Coriariorum, & similia addi posse, conjicio.

18. *Muneribus*] Munerum vocabulo nominabantur aliquando spectacula; doni etenim cujusdam loco erant: idque inter alios testatur Tertullianus (de Spect. Cap. 12) Hac ratione a nobis vox hæc est accipienda, ut subaudiamus loca aquam continentia, in quibus aliqua munera, aliqua scilicet spectacula edebantur; talesque præsertim erant Naumachiæ. In hæc autem loca, ne aqua deesset, aliquid aquæ ex Aquarum ductibus continenter fuisse immissum credibile est. Spectacula tamen vocabulo munerum non fuisse vulgo appellata, indicat Frontinus noster; cum post vocem *muneribus* subdit; *ita enim cultiores appellant*. Quidam conjunxerunt ambas voces spectaculum & munus: ut Suetonius in Domitiano, Cap. 4; *Congiarium Populo nummorum trecentorum ter dedit: atque inter spectacula muneris largissimum epulum*. Num etiam Ludi spectaculorum & munerum nomine veniant, sunt qui dubitent: sed hæc ad nos minus pertinent. Quid Frontinus significare voluerit, ex dictis primo loco satis intelligi posse videtur.

19. *appellant*] Codices, & Editio Iocundi habent; *appellantur*. Sed mendi sublatio tam manifesta erat, quam necessaria.

20. *Lacubus*] Vbique in Codice Cassinensi, ubi hoc verbum occurrit, legitur *lacibus*. Ex Varrone constat, Lacum dici (ut habet Barthius in Adverf. pag. 98.) ubicumque aqua continetur. Quare cum iis facio, qui putant, Lacus in Vrbe fuisse alveos, in quibus aquæ ex Aquæductibus reciperentur, ut usui essent jumentorum potui, lotionibus, extinguendis incendiis, aliisque similibus commodis. Haud tamen assentiri queo Marliano in Topographia Vrbis Romæ Lib. IIII. Cap. 10, & Philandro, in Annotationibus in Vitruvium ad Lib. VIII. Cap. 7, qui scripsere; præterea ex Lacubus *balnearum*, *fullonum*, *coriariorum*, *aliorumque opificum* necessitatibus satisfactum fuisse, postremum hortos fuisse irrigatos. Credibile enim esse,

quantum [21] nomine Cæsaris, quantum Privatorum usui beneficio Principis detur; [22] quod jus tuendarum sit earum; quæ id sanciant pœnæ [23] ex Lege, [24] Senatusconsultis, & [25] Mandatis Principum irro-

---

ad balneas, fullones, coriarios, aliaque publica Opera, aquam propriam distincte fuisse assignatam, supra in Nota 17 hujusce Art. ostensum est.

II. Ingens autem fuit Lacuum in Vrbe numerus; Barthiusque putat, loco citato, excrevisse ad nongentos: certe Plinius narrat (Hist. Nat. Lib. XXXVI. Cap. 15) unum Agrippam in AEdilitate sua Lacus septingentos fecisse. Quidam insigniores fuere Lacus, ut Lacus Pastoris in Regione III, cujus tamen aquam ex fonte provenisse quidam autumant; Lacus Promethei in Regione V, quem veterem Naumachiam quidam credidere; Lacus Vespasiani in Regione I, a Vespasiano, qui eum fieri voluerat, nominatus. Ceterum cum Antiquorum nemo perspicue litteris mandaverit quid Lacus sint, sequar eam, quam supra posui, definitionem.

21. *nomine Cæsaris*] In Codice Cassinensi legitur; *nomine Iulii Cæsaris*: sed cum infra sæpe Frontinus dicat *nomine Cæsaris*, numquam vero *nomine Iulii Cæsaris*; illud *Iulii* prætermittendum, ut alii fecerunt, existimavi. Conjicio autem erogationem *nomine Cæsaris* fuisse in ea commoda, in eos usus, in ea loca, in quæ ad arbitrium suum vellent Cæsares.

22. *quod jus tuendarum sit earum; quæ id sanciant pœnæ ex Lege, Senatusconsultis, & Mandatis Principum irrogata*] In Codice Cassinensi legitur; *quod jus tuendarum, quæ sit earum quæ id sanciant pœna, e lige Senatusconsulto, & Mandatis Principum irrogata*: eodemque ferme modo in Codice Vrbinate: in Editionis autem Iocundi Emendationibus ad calcem positis ita legitur; *quod jus tuendarum sit earum, quæ contumaces afficiantur pœna, ex lege Senatusconsultis, & mandatis principum irrogata*. Hæc tamen pejor lectio est: in quam verbum *contumaces* vi ac violentia intrusum plane videtur. Itaque lectio Codicis Cassinensis, quoad ejus fieri potuit, adhibita a me est. Visum autem fuit perspicuum, dici potuisse a Frontino, *pœnæ irrogata*; cum Horatius (Satyrarum Lib. I. Satyra 3.) habeat

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

Deinde, *pœna id sanciant*, idest firment, tutum reddant, dici potuisse non dubitavi. At particulam *quæ* post verbum *tuendarum*, nihil ad rem faciens, atque intrusa (ut credibile est) incuria Librarii attendentis proximam particulam *quæ*, delevi. Quibus ita constitutis, non visa est amplius adeo obscura sententia proposita, quam sic interpretor: *quod jus sit tuendarum earum, quæ pœnæ irrogatæ ex Lege, Senatusconsultis, & Mandatis Principum id* jus *sanciant*, idest tutum reddant, firmentque.

23. *ex Lege*] Legum, ut videre est apud Iureconsultos, plures sunt divisiones; ideoque significationes plures etiam sunt vocis hujusce *Lex*. At hoc in loco Lex sumitur secundum significationem veram hujusce vocis apud Romanos, & significat quod Populus Romanus, ferente uno ex Majoribus Magistratibus, constituebat. Talisque est ea, de qua Frontinus noster infra in Art. 128 verba facit; & quam deinde subjicit.

24. *Senatusconsultis*] Quidam, antequam explicant quid Senatusconsultum sit, nituntur, ut differentiam tradant aliquam inter Senatusconsultum, & Decretum Senatus; sed nil certi apparet in hujuscemodi differentiis: quare satius puto pro re nostra, adstipulari iis, qui definiunt, Senatusconsultum esse id, quod Senatus decernit.

25. *Mandatis Principum*] Mandata Principum ab Iano Vincentio Gravina (in Libro, cui titulus, de Ortu & Progressu Iuris Civilis pag. 119) definiuntur: *monita & præ-*

irrogatæ. ¶ Ab Vrbe Condita per annos CCCCXXXXI [1] contenti fuerunt Romani usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. ¶ Art. 4.

præcepta, quæ Rectoribus Provinciarum, aliisque Magistratibus Reipublicæ, vel Provinciæ recte administrandæ, civilisque disciplinæ regendæ, palam, vel arcano litteris dabantur. Credibile autem est, Leges, & Senatusconsulta statim obligavisse omnes: Mandata vero Principum tunc obligavisse omnes, cum ii, quibus data fuerant Mandata, quid jussisset Princeps, promulgabant.

1. *contenti fuerunt Romani*] Videtur Frontinus hoc loco innuere, ante annum V. C. 441 nullum Aquæductum in Vrbe extitisse. Non omnes tamen qui de Aquæductibus verba fecere, id sibi persuasisse videntur. *Ait Paullus Iurisconsultus* (ut indicat Keuchenius in sua ad hunc locum Nota) in Lege *Si per publicum* V. ff. tit. *Ne quid in loco publico, vel itinere fiat*; ait, inquam, *si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit privato actio ex lege XII. Tabularum, ut de noxa domino caveatur*. Hinc ab aliquibus arrepta ansa dicendi, diu ante annum V. C. 441 leges pertinentes ad Aquæductus conditas fuisse, ideoque credendum etiam, exstitisse Aquæductus ante illum annum. Sed minimi momenti hæc est conjectura: tum quia in reliquiis legum XII. Tabularum, quæ ad nostra tempora pervenerunt, ne verbulum quidem de Aquæductibus reperitur: tum quia verisimillimum est, *actionem fuisse privato ex lege XII. Tabularum, qua noxæ domino*, universali quadam ratione, non peculiariter pro Aquæductibus cautum esse: ut alia argumenta contra eam conjecturam prætermittam. ¶ Art. 4.

II. At in hac re Frontino videtur adversari etiam C. Plinii Secundi auctoritas; qui in Natur. Hist. Lib. XXXI. Cap. 3, de Marcia Aqua verba faciens, hæc habet; *primus eam in Vrbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus ex Regibus; postea Q. Marcius Rex in Prætura*. Id *evidentissimum esse*, etiam *ex Dionysio Halicarnasseo*, asserit Keuchenius in citata Nota, in qua tamen minime indicat Dionysii locum, qui nusquam est: equidem in Dionysii Antiquitatum Romanarum Lib. III. quæ gesserit in Republica Ancus Marcius Rex, invenies; at inter ea nihil prorsus de Aqua Marcia reperies. Sed redeo ad Plinium, qui, loco citato, originem Aquæ Marciæ esse *in ultimis montibus Pelignorum* affirmat; Peligni autem Populi Anco Regi minime parebant; & quidem *Romanum Imperium* (ut observat ex Sex. Ruffo Panvinius in Libro, qui inscribitur *Imperium Romanum*, pag. m. 14) *primorum Consulum anno non amplius quam ad XVIII. ab Vrbe lapidem, cum finitimæ circum Civitates premerent, se extendit*: quare Anci Regis (post cujus ævum, ante primos Consules, aliqua ditioni Romanorum accessio facta fuit) regnum erat angustissimum. Hincque, ex valde dissita alienaque regione Ancum aquam ducere fuisse auspicatum, haud verisimile fit pluribus Viris doctis, quibus non assentiri non possumus. Atque inter hos, Fabrettus, in Num. 237, ut indicet caussam erroris, in quem Plinius inciderit, nummi (*Fig. V.*) argentei exhibet figuram; deinde hæc adjicit: *hujus nummi apud Plinium authoritatem ita invaluisse puto, ut Ancum, quem in regale gentilitatis cum eo communis decus in altera parte Philippus reddidit, hinc forsan (nec aliunde profecto, quia merito hoc vix persuasibile reputat P. Donatus Lib. III. Cap. 18) hinc, inquam, Aquæductus aversa parte signati Ancum Authorem Plinius conjecerit*. Hactenus ille. Video tamen, fieri potuisse; ut Ancus etiam ex aliena regione auspicatus fuerit aquam ducere, populis regionis illius vel ob fœdus aliquod, vel ob aliquod tributum, vel ob aliam caussam permittentibus: sed non video, ut eo tempore, ea (ut Florus ait) imperii infantia, Ancus moliri potuerit id opus; quod sane ingens habitum fuit etiam Q. Marcii Regis tempore, hoc est, imperio ipsa juventa, ac quadam robusta maturitate florente. Quæ cum ita se habeant, & cum alia contra Frontini senten-

bant. Fontium memoria [2] cum ſanctitate adhuc exſtat, & colitur: [3] ſalubritatem enim ægris corporibus afferre creduntur, ſicut [4] C. *Ammaranius* Apollinaris meminit. Nunc autem in Vrbem influunt Aquæ Appia, [5] Anio vetus, [6] Marcia, Tepula, Iulia, Virgo, [7] Alſi-

ſententiam ab aliquibus allata, minimi ſint momenti; concludendum puto, nullo modo eſſe a Frontino diſſentiendum.

2. *cum ſanctitate adhuc exſtat & colitur*] Teſtimonia Auctorum, qui de ſanctitate & cultu fontium verba fecere, omnibus (quos viderim) diligentius collegit Ioannes Chifletius in Libello cui titulus; *Aqua Virgo fons Romæ* &c. *ex Gemma annulari*. Quo in Libello Vir eruditus ſcribit, *aquas in ipſo ortu fuiſſe adoratas, illiſque ſtatuas & Sacella erecta, ut Virgini ex hac* (nimirum ex ea, de qua agebat) *Gemma liquet*. Porro creditum fuiſſe, Aquarum, quæ ducebantur in Vrbem, fontes ſanctitate ſua præditos, ſatis aperte declarat Tacitus in Annalium libro XIIII. Cap. 22, his verbis: *Iiſdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni attulit, quia fontem Aquæ Martiæ ad Vrbem deductæ nando inceſſerat: videbaturque potus ſacros, & cæremoniam loci corpore toto polluiſſe. Secutaque anceps valetudo iram Deum affirmavit*.

II. Hoc tempore quatuor fontes aquarum naſcentium Romæ commendat in Diſſertatione de Nativis Romani Cæli qualitatibus, Cap. 8 Io. Maria Lanciſius.

3. *ſalubritatem enim ægris corporibus*] Particula *enim*, ſi quid judico, ſatis indicat, hiſce verbis a Frontino cauſſam afferri, cur fontes cum ſanctitate colerentur; propterea ſcilicet quod in ipſis quidpiam ſupra Naturæ vires ineſſe crediderunt Antiqui, cum viderent mirandos ſane effectus ab aquis fontium poſſe produci. Quod ſi Naturali Philoſophiæ addicti magis fuiſſent, percepiſſent facilius qua ratione (ut, qui ſcite docteque de Thermis egere, oſtenderunt) ſecundum ipſam naturam fontium aquæ ſint medicatæ, valeantque corporibus ægris ſalutem afferre. Adeo verum eſt, etiam tollendæ ſuperſtitioni Phyſicam Scientiam conducere poſſe.

4. *C.* Ammaranius *Apollinaris*] Codex Caſſinenſis; *ca:amaras & Apollinaris*: Codex Vrbinas; *Camaras Apollinaris*. Editiones princeps, & Iocundi; *C. Ammaranus Apollinaris*. Ego quoque *C.* tanquam notam prænominis diviſi ab *ammaras*; atque loco *ammaras &*, poſui *Amaranius*, nulla enim ſeſe obtulit melior nominis conjectura. Addam, me de hoc Apollinari nihil certi apud veteres Auctores inveniſſe.

5. *Anio vetus*] Ita Codices, & Libri typis æneis deſcripti, ſive (ut ajunt) editi. Aqua nuncupata *Anio vetus* a flumine Anione, a quo derivabatur, nomen ſortita eſt. Id flumen a quibuſdam antiquis Scriptoribus dictum fuit *Anien*, unde *Anienis*, *Anieni*, & ſic in reliquis caſibus: at a quibuſdam aliis dictum fuit *Anio*, unde *Anionis*, *Anioni*, & eadem ratione in caſibus reliquis. Quin probati Scriptores, quibus nominativus *Anio* fuit, deinde nomen per *e* flectentes, *Anienis*, *Anieni*, atque ita etiam caſus reliquos ſcripſere: ita ferente uſu, ut ut analogia adverſari videretur. Ego tamen ſecutus ſum Codices Caſſinenſem, & Vrbinatem; in quibus legitur *Anio*, *Anionis*, *Anioni*, & ſic porro.

6. *Marcia*] *Martia*, per litteram *t*, in Frontini Libris editis legitur, & in Codice Vrbinate: ſed *Marcia*, per litteram *c*, legitur in Codice Caſſinenſi, & legi debet. Nam a *Marcio*, quo a nomine Aquæ nomen derivatum eſt, *Marcia* provenire debet, non *Martia*; quin dilucide idem apparet in Inſcriptionibus, quæ a Fabretto (pag. 20. & 152.) & ab aliis referuntur. Vnam huc transtuli.

D . M
TIMBRAEO . AVG. L
CASTELLARIO
AQVAE . MARCIAE
CLAVDIA . DYNAME
MARITO . OPTVMO

7. *Alſie-*

[7] Alsietina, quæ eadem vocatur Augusta, Claudia, Anio novus. ¶ [1] M. Valerio Maximo, P. Decio [2] Mu- ¶ Art. 5.

7. *Alsietina*] Hujusce Aquæ nomen deest in Codice Cassinensi; ac ubi esse deberet, lacuna est. Dubitari tamen non potest, quin in Codice Vrbinate, & in Editione Iocundi recte suppletum lacunæ fuerit, posito nomine hoc, *Alsietina*.

1. *M. Valerio Maximo &c.*] Totus hic locus in Codice Cassinensi ita est; *M. Valerius Maximus, P. Decio Mure Consulibus, Anno post initium Samnitici belli vicesimo, aqua Appia in Vrbem inducta est, Appio Claudio Crasso Censore, cui postea ...... fuit cognomen .... & viam Appiam ...., Capena usque a .... Capuam munienda curavit.* Hoc autem in Codice numerus annorum post Samniticum bellum alio in loco, ac in Editione Iocundi est; ita etiam verba *Aqua Appia* alio in loco posita sunt; quin verbum illud *Aqua* in Editione Iocundi prætermissum est. Quod vero ad lacunas attinet, earum tres suppletæ sunt in Codice Vrbinate (& quidem, ut videtur, apposite) sic; *cui postea .... fuit cognomen, qui & Viam Appiam a Porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Prima vero lacuna repleri haud dubie sic debet; *cui postea Caco fuit cognomen.* Eadem verba, quibus hæ lacunæ repletæ sunt, etiam in Editione Iocundi leguntur. ¶ Art. 5.

II. Porro ille, qui hanc aquam duxit, ille idem Appius fuit, qui primus Cæci cognomen habuit; quemadmodum perspicue Cicero protulit in Oratione pro M. Cælio, in qua induxit Appium illum Cæcum loquentem cum Clodia, dicentemque (præter cetera) *ideo aquam adduxi? ut ea tu inceste uterere? ideo viam munivi? ut eam tu alienis viris comitata celebrares?* Præterea vero idem diserte Livius in Lib. VIIII. Cap. 29 testatur; qui narrat, eundem Appium annos aliquot post Censuram cæcum redditum fuisse, quod *eodem auctore Potitia gens, cujus ad Aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos, ministerii delegandi caussa, solennia ejus sacri docuerat.* Diodorus tamen Siculus *narrat, ipsum simulasse* (ut habet Stephanus Vinandus Pighius in Annal. Rom. Vol. I. pag. 362) *cæcitatem, & domi mansisse, ut invidiam Senatus effugeret, omnibus ob pravam lectionem exosus.* Vtcumque vero sit de cæcitate, certissimum est; huic Appio, qui Censuram egit anno V. C. 441 fuisse cognomen Cæco; & huic tribuendam esse Aquæ perductionem. Quæ diligenter attendi, cum viderem, Ioannem Harduinum non in eadem esse sententia. En quæ ille protulit in Notis ad Plinii Librum XXXV. Tom. V. pag. 316; *Appius Claudius Cæcus, Appii Claudii, qui primo Cæcus cognominatus est, Abnepos, Censor anno CCCCL. P. Sempronio Sopho, P. Sulpicio Saverrione Consulibus, aquam adduxit, quam & suo prænomine Appiam, ut Scriptores plerique appellant, vel e nomine Claudiam, ut Cassiodorus & alii, nuncupavit. Livium vide Lib. IX. Vetus inscriptio apud Gruterum.*

APPIVS. CLAVDIVS
C. F. CAECVS
VIAM. APPIAM. STRAVIT
ET. AQVAM. IN
VRBEM. ADDVXIT

Hæc Harduinus: sed in his, quæ de Abnepote Appii primo Cæci cognominati, quæ de Censore anni CCCCL dicuntur, falsa sunt, ut satis ex iis, quæ supra diximus, & ex probatis omnibus Fastis constare potest. Verum doctissimus Vir aliis locis (propter quæ meritus est optime de Plinio) intentus, hæc & quædam alia minus animadvertit: neque enim illi res istas, aut similes animadvertenti veritas ignota esse potuisset.

III. Nunc venio ad annum, quo hi Consules magistratum gessere. Itaque, si Romani per annos 441 Aquæductibus caruere (ut jam supra dictum) prima vero Aqua inducta fuit his Consulibus, credibile est, hoc Consulum Collegium a Frontino referri in annum V. C. 441, quo certe adhuc, dum aqua ducebatur, Aquæductibus Romani non utebantur. Id etiam clarius fiet, cum inferius de Ser.

B Sulpi-

[2] Mure COSS. [3] anno post initium Samnitici belli XXXI, Aqua Appia inducta est ab [4] Appio Claudio Crasso Censore, cui postea Cæco fuit [5] cognomen, *qui* & Viam Appiam *a Porta* Capena, usque [6] ad *Vrbem* Capuam [7] muniendam curavit. Collegam habuit [8] C. Plautium, cui ob inquisitas ejus aquæ venas [9] Veno-

---

Sulpicio Galba, & L. Aurelio Cotta coss. verba faciemus.

2. *Mure*] Ita omnes Codices & Editio Princeps. In Libris editis legebatur *Murena*; sed lectio illa præstat: nam in Capitolinis fragmentis supersunt horum Consulum nomina integra, quæ ita leguntur;

M. VALERIVS. M. F. M. N. MAXIMVS. P. DECIVS. P. F. Q. N. MVS.

Præterea, ut animadvertitur in Indice ad Annales Romanorum Stephani Vinandi Pighii, *Murena* cognomentum in Ablontis, Liciniis, ac Varronibus invenitur; *Muris* autem in Deciis. Adde etiam, Panvinium, Sigoniumque (in Commentariis in Consulares suos Fastos) cognomentum *Mus* huic Decio adjungendum cognovisse.

3. *anno post initium Samnitici belli XXXI.*] In Codicibus, & in Libris editis exstat numerus *XX*: quidam vellent substitui *XXX*: nos putavimus XXXI esse reponendum. Nam ortum Samniticum bellum est Marco Valerio M. F. M. N. Corvo III. & A. Cornelio P. F. A. N. Cosso Aruina coss. post hos vero Consules anno trigesimo primo (ut ex accuratis Fastis omnibus constat) Consules fuere ante nominati M. Valerius Maximus & P. Decius Mus; ergo annus V. C. 441 fuit annus XXXI. post initium Samnitici belli.

4. *Appio Claudio Crasso Censore*] Ioannes Opsopœus animadvertit, Eutropium Lib. II. Hist. Rom. scribere; T. Veturio, & Sp. Posthumio coss. aquam Claudiam (nomen dedit aquæ ipsi Eutropius non a prænomine Appii, sed a nomine Claudii) ab Appio Claudio Censore inductam esse; qui bello Samnitico bis Consules fuisse reperiuntur, primum anno belli X. iterum XXIII. sed in nostro Authore tutius esse annorum ab initio Samnitici belli numerum explere (quod supra feci) quam Consulum nomina mutare, ratus sum: quod Opsopœus etiam monuerat.

5. *cognomen*] Putavere multi, secuti Diomedem, Priscianum, & quosdam alios Grammaticos, agnomen esse quod quarto loco ponitur, & extrinsecus cognominibus adjici solet ex aliqua ratione, vel virtute, vel corporis nota quæsitum. Contra horum opinationem afferuntur, loca aliqua illustrium quorundam ex antiquis Scriptoribus; qui etiam quarto loco positum, cognomen, non agnomen appellavere. Hoc autem ex Frontino exemplum illis adjici posset, si Appio Claudio Crasso cognomen Cæco primis temporibus positum quarto loco credatur: sin vero loco cognominis *Crassi* putetur substitutum, hic etiam animadvertatur mutatio cognominum.

6. *ad urbem Capuam*] Hæc via Capuam usque munita fuit ab Appio, cum ulterius non extenderetur Romanum Imperium; deinde vero ab alio (sed quis fuerit in obscuro est) Brundusium usque producta. Strabo in Lib. V. Rerum Geographicarum pag. m. 161 scribit; *viam Appiam Terracinæ Mare primum attingere, & Brundusium usque stratam esse.*

7. *muniendam*] munire vias, ut ex tritis exemplis constat, idem est ac substruere, lapidibus sternere.

8. *C. Plautium*] Codex Cassinensis, & Codex Vrbinas habent; *C. Plautium*. Etsi vero Libri Frontiniani editi dant Appio Collegam in Censura *C. Fabium*; non dubi-

[9] Venocis cognomen datum est. [10] Sed quia is intra annum & sex menses, deceptus a Collega [11] tamquam id idem facturo, [12] abdicavit se Censura, [13] nomen Aquæ ad Appii tantum honorem pertinuit: qui multis tergiversationibus extraxisse Censuram traditur, donec & [14] Viam, & hujus Aquæ ductum consummaret. Concipitur Appia in Agro Lucullano, [15] Via

---

dubitavimus tamen *C. Plautium* esse reponendum. Præter enim quamquod in Livii Libris Appio C. Plautius Collega adscriptus reperitur, illud etiam accedit, in Fragmentis Capitolinorum marmorum (ut habet Panvinius in Appendice Commentariorum in Fastos suos Consulares pag. 41) hujusce Censorum Paris superesse nomina hæc, ita scripta;

CENSS. AP. CLAVDIVS. C.F.AP.N. CAECVS. C.PLAVTIVS. C.F.C.N. QVI. IN. HOC. HONORE. VENOX. APPELLATVS. EST.

9. *Venocis cognomen*] Id nomen *Venox* derivatum est a *vena*: ut Frontinus quoque noster commonstrat dum scribit: *Venocis cognomen datum est* C. Plautio *ob inquisitas* Appiæ *Aquæ venas*. Consentit autem locus hic cum iis, quæ legi in Fragmentis Capitolinorum Marmorum, modo ostendi.

10. *Sed quia is*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas.

11. *tanquam id idem*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent; *ibidem*: Editio Iocundi; *idem*. Cum dicatur *id ipsum* a Cicerone; etiam *id idem*, propter analogiam quandam, dici potuisse, ratus sum.

12. *abdicavit se Censura*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: Editio Iocundi; *abdicavit se a censura*. Caussam, cur Censura se abdicaverit Plautius ita affert Livius in Lib. VIIII. Cap. 29; *Censura clara eo anno Appii Claudii, & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad Posteros nomen Appii, quod viam munivit, & aquam in Vrbem duxit; eaque unus perfecit: quia ob infamem, atque invidiosam Senatus lectionem verecundia victus Collega, Magistratu se abdicaverat. Appius jam inde antiquitus insitam pertinaciam familiæ gerendo, solus Censuram obtinuit.*

13. *nomen Aquæ ad Appii tantum honorem pertinuit*] Animadverti debet, ut Fabrettus in Num. 236 animadvertit, non a nomine Claudio, sed a prænomine Appio fuisse Aquam nuncupatam. Id tamen, si vocis hujus *prænomen* vim præcise attendamus. Ceterum si nomen, non tanquam nomen gentilitium, sed generatim sumatur; tunc dici poterit, fuisse nuncupatum a nomine id, quod reapse a Prænomine nuncupatur. Cassiodorus quidem in Chronico hæc habet; *M. Valerius & P. Decius. His coss. per Ap. Claudium Censorem via facta, & aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupatur.* Via autem ab omnibus haud dubie dicebatur Appia: quare, si dixit Cassiodorus, Viam Appiam de ipsius Appii nomine nuncupatam; idem etiam de Aqua intelligendum est; fuisse scilicet Aquam nuncupatam de Appii nomine (generatim sumto pro prænomine) Quæ cum ita se habeant, plane non video, cur affirmari possit, ut quidam sine hæsitatione ulla affirmant, a Cassiodoro Aquam, ab Ap. Claudio inductam, Claudiam fuisse appellatam.

14. *Viam, & hujus Aquæ ductum consummaret.*] Cum scribat Frontinus noster *hujus Aquæ*, & particulam *hujus* cum voce *Aquæ* conjungat; satis credibile fit, noluisse Frontinum ex duabus hisce vocibus *aqua* & *ductum* unam vocem componere: neque vero in hoc ejus Commentario vox *Aquæductus*, tamquam una ex compositione resultans, reperitur.

15. *Via*

[15] Via Prænestina, [16] inter milliarium VII & VIII; [17] Diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. Ductus ejus habet longitudinem a capite usque [18] ad Salinas, qui locus est [19] ad Portam Trigeminam, passuum XI millium CLXXXX; [20] *sub terram* passuum XI millium CXXX; [21] supra terram substructione & arcuatione [22] proxime ad Portam Capenam [23] passuum LX. [24] Iungi-

15. *Via Prænestina*) Hæc & aliæ, quas Frontinus nominat, Viæ erant Militares: hoc est, quæ exitum ad Mare, aut in Vrbes, aut in Flumina publica, aut ad aliam Viam Militarem haberent.

16. *inter milliarium VII. & VIII.*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent ita; *intra milliarium septimum & octavum*: Libri vero editi habent; *inter milliarium VI, & VIII.* Præstat tamen Codicum lectio; tum quia assignantur ubique fines inter milliaria, quæ continua sunt; tum quia Fabrettus diligentissimus vestigator originum Aquarum. quæ ducebantur Romam, scribit in Num. 15; *Appia inter milliarium VII. & VIII. Viæ Prænestinæ sinistrorsus concipiebatur*.

17. *Diverticulo*] Diverticula, teste Servio, appellabantur semitæ transversæ, quæ erant a latere alicujus Viæ Militaris.

18. *ad Salinas*] Hæ Salinæ (namque Ostienses Salinæ aliæ fuere) habendæ sunt pro ædificio non longe a Tiberis ripa, in quo Sal e navibus deportatum asservabatur, ut quibusdam placet: & ubi Sal venale etiam erat, ut placet aliis. Fuisse id prope Portam Trigeminam constat ex Frontino nostro; *ad Salinas*, scribit, *qui locus est ad Portam Trigeminam*. Fuisse vero intra Vrbem constat ex Livio (Lib. IIII. Cap. 47) narrante hæc; *Romæ fœdum incendium per duas noctes, ac diem unum tenuit: solo æquata omnia inter Salinas, & Portam Carmentalem*.

19. *ad Portam Trigeminam*] De loco Portæ Trigeminæ varii varia dicunt. Fabrettus tamen, ac alii docti Viri, *inter Aventinum, & Tiberim* eam ponunt. In Figura nostra (*Fig. VI*) designatur littera *p*. Quare Salinæ, quæ erant intra Vrbem proxime ad Portam Trigeminam *p*, videntur ubi *b* ponendæ. Ibique ferme etiam Publicii clivus, quem eo loco fuisse, infra demonstrabimus.

20. sub terram] Codices Cassinensis & Vrbinas; *super situm*: Editio Iocundi; *subterraneo rivo*. Ea, quæ infra scribuntur a Frontino, sane indicant, corrigendum esse sic, *sub terram*, ut feci: subdit enim Frontinus *supra terram*; cui dictioni hanc *sub terram* oppositam fuisse, credibile est.

21. *supra terram substructione & arcuatione proxime ad Portam*] Codices Cassinensis, & Vrbinas ita habent; *supra terram substructio & arcuatura proximum Portam*: Editio Iocundi; *substructione & supra terram opere arcuato proxime ad portam*: sed locus hic haud bene a Iocundo emendatus fuit; ut conferenti locum ipsum cum verbis Codicum, & cum similibus locis aliis, liquere profecto poterit.

22. *proxime ad Portam Capenam*] Cum constet, aliquam Aquam fuisse ductam supra fornicem Portæ Capenæ, hæc Frontini verba plane ostendunt, ut animadvertit Fabrettus, Num. 49, eam Aquam non fuisse Appiam. Namque, si fuisset Appia. Frontinus supra Portam, non *proxime ad Portam* scripsisset. Fuit vero ea Aqua Marcia, quemadmodum infra apparebit. Igitur Appiæ ductum (*Figura VI.*) non pervenientem ad Portam Capenam, sed intrantem per mœnia (ubi littera K indicat substructionem, arcuationemque passuum LX.) proxime ad Portam ipsam delineavimus, repræsentavimusque partem Ductus Appiæ prope Vrbem, & partem intra Vrbem, ea ratione; quam indicant litteræ *g y s Q K b*.

23 *passuum*

24 Iungitur ei ad Spem veterem in confinio Hortorum

23. *passuum LX.*] credibile est, hunc & præcedentes numeros recte se habere; namque inter se consentiunt. Tota Ductus longitudo dicitur passuum 11190, quæ dividitur in partes duas; altera passuum 11130 est rivus sub terram; altera passuum 60 est substructio & arcuatio; quæ duæ partes numerum restituunt 11190: hæc autem, ob inferius dicenda, notare oportuit.

24. *Iungitur ei ad Spem veterem &c.*] Ventum est ad unum ex inquinatissimis locis: ut eum purgare studuerimus ac restituere, per partes ostendemus. Et primum in Codice Cassinensi ita legitur; *Iungitur ei ads.....em veterem*: in Codice Vrbinate; *Ingitur ei ad anien ecr veterem*: in Editione Iocundi; *Iungitur ei ad anionem veterem*; hancque posteriores secutæ sunt. Hæ lectiones mihi difficillimos scrupulos injecerant; verum postea diligentius attendens ea, quæ infra in Art. 65 scribuntur a Frontino, visa est prodire certa atque perspicua emendatio. Ibi etenim Frontinus, de hoc ipsissimo loco verba faciens, habet; *Ad Gemellas tamen, qui locus intra Spem veterem, ubi Appia jungitur cum ramo Augustæ*. Si itaque Appia jungebatur intra Spem veterem, omnino perspicuum videtur, fuisse hic scriptum, Appia *jungitur ad* (quæ particula *ad*, hoc in loco, idem atque particula intra, significare potest) *Spem veterem*. Vide etiam infra Notam 2 Art. 65.

II. At ubi esset hic locus, cui nomen Spei veteri, haud facile dictu, visum est. Id vero etiam difficilius, qua ratione explicari possent quæcumque a Frontino de diversis Aquis tunc dicuntur, cum Spes Vetus nominatur. Ad eum etenim Spei Veteris locum septem Aquæ, Anio novus, Claudia, Iulia, Tepula, Marcia, Anio Vetus, Appia, ut res dicendæ commonstrabunt apertissime, perveniebant. Panvinius in eo Libro, cui titulus *Vrbs Roma*, pag. m. 176, *describens*, ut ipse ait, *cum Sex. Ruffo & P. Victore Vrbis Regiones*, recenset Spem veterem in Regione V. inter Figlinas (loca scilicet ad terras argillosas in duritiem excoquendas) sic, ut vides

Figlinæ
Puticuli, alias Puticulæ in Esquiliis.
Spes Vetus.

Sed unde Panvinius notitiam hanc hauserit, non inveni: nempe Sex. Ruffus, & P. Victor in descriptione Regionis V. nihil omnino habent de Spe veteri. Quamvis autem non dubito, a Panvinio id alicubi repertum; plura tamen faciunt, ut hoc in loco id non inveniam, quod inquiro.

III. Alexander Donatus in Opere, quod inscribitur *Roma Vetus ac Recens &c.* Lib. III. Cap. 23 hæc habet; *Vbi vero fuerint Horti Spei veteris Heliogabali aliquot in locis indicat Frontinus*: in Art. 20, ,, *partem tamen sui Claudia prius in arcus, qui vocantur Neroniani, ad Spem veterem transfert*: ,, & in Art. 21, ,, *Rectus vero ductus secundum Spem veterem veniens intra Portam Exquilinam in altos rivos per Vrbem deducitur* ,,. *Ex quibus locis deducitur, Spem veterem ad Portam Næviam, nunc majorem, fuisse; ubi incipiunt Arcus Neroniani, & transeuntes ab Exquiliis in Cælium montem ad templum S. Stephani terminantur. Iam vero quod spectat ad nomen ab aliquo Spei antiquo Delubro derivatum est: quod indicant hæc Lampridii verba* ,, : *secessit* ,, *Heliogabalus* ,, *ad Hortos Spei veteris contra novum Hominem vota concipiens* ,, : *jusserat enim occidi consobrinum Alexandrum, ideoque ad Spei Delubrum contendit, quasi speraret factum iri quod jusserat, reique prosperum successum precaretur. A Templo autem ad Hortos se transtulit, ut aurigandi certamen instrueret. Fuere quidem & alia in Vrbe Spei Templa.* Hæc ille. Porro ÆEdium Spei mentionem quidam ex antiquis Scriptoribus fecere: sed ad rem nostram illud omnino pertinet, quod P. Victor in Regione VII ponit *Templum Novum Spei*; quare ex verbo *Novum*, fuisse etiam Vetus Templum Spei, ostenditur; ex quo Hortorum, vicinorumque locorum denominatio. Immo

vero etiam locum, ubi esset Vetus Spei Templum, cognosci posse existimo ex verbis Dionysii Halicarnassei (Antiquit. Rom. Lib. VIIII.) quibus narratur, cum Etruscis, qui occupato Ianiculo Tiberim deinde transierant, pugnatum *primum ad Spei Fanum, octavo ab Vrbe Stadio:* quam pugnam refert etiam Livius in Lib. II. cap. 51 scribens; pugnatum fuisse *ad Spei æquo Marte, iterum ad Portam Collinam.* Pugnata autem fuit ea pugna C. Horatio, T. Menenio coss. anno V. C. 277 secundum computationem Dionysii; 276 secundum Livii computationem: quare ex notis hisce temporis haud spernendum argumentum habetur, id Templum optimo quidem jure, posterioribus temporibus, Spei Veteris Templum potuisse appellari: præterea ex eo intervallo stadiorum octo manifestum fit, quanto intervallo distiterit a veteri viciniore Vrbis Porta id Templum Spei. Itaque Templum Veteris Spei in Figura (*Fig. VI.*) posui ubi littera *s*. Primum, quia locus, ubi Claudia incipiebat *transferre*, ut scribit Frontinus in Art. 20, *partem sui in Arcus Neronianos*, exstantibus ibi ad hunc diem insignibus principii eorum Arcuum ruinis, notus est; denotaturque ex littera a: quæ translatio aquæ Claudiæ in Arcus Neronianos cum fieret *ad Spem Veterem* (ut testatur Frontinus citato in loco) non poterat Templum *s* Spei Veteris procul poni ab ipso loco a. Secundum, statui id Templum in loco *s*; ut a Porta Exquilina (magis, quam Portæ aliæ, vicina principio a Neronianorum Arcuum, atque ideo etiam magis vicina Templo *s*) distaret circiter stadiis VIII; quare ea servaretur ab Vrbe distantia, quam eidem Templo tribuit Dionysius.

IIII. Neque me movit illa modica distantia inter a, atque *s*: his enim verbis *ad Spem Veterem* indicari parvam quandam veluti regionem prope id Templum, prorsus credidi. Namque, si Lampridius nominat (verbis ante citatis) *Hortos Spei Veteris*, jam tractus ille integer ab Hortis occupatus a Spe Veteri nomen accipiebat: præterea Frontinus Arcuum Neronianorum originem ad sinistram adeuntibus Vrbem Romam Via Labicana ponit *ad Spem Veterem*, ut diximus; & ponit etiam, in Art. 19, *ad Spem Veterem* locum, ubi *pars Iuliæ excipiebatur*, cum tamen Iulia esset ad dexteram Labicanæ Viæ: aliæ insuper rationes idem suadent. Itaque dedi Spei Veteri tractum illum, qui litteris n *y*, Templo *s*, & litteris o E continetur: nimirum tractum contentum litteris n o E *s y*.

V. Expensis accuratioribus Vrbis Romæ Topographiis, atque inter se collatis; Montes ac Mœnia cum vetera, tum recentiora Vrbis a Fabretti jam laudato Opere pag. 140 desumsi. His autem partes ad rem nostram propius pertinentes, conferendo Antiquorum Scriptorum verba in primisque Frontini nostri, adjecimus. Id vero in ponendis omnibus Aquis sic sum executus; ut curaverim, minime impediri narrationum a Frontino factarum explicationes. Quam rem sane arduam expertus sum, magnisque difficultatibus involutam, & quam nonnisi multo opere potuerim explicare: ut facile intelliget qui omnia Frontini loca ad rem hanc pertinentia attendat, atque conferat inter sese. Facilitatis autem comparandæ caussa, ac ut curæ nostræ sub unum veluti aspectum cadant, earundem partium, quæ in *Figura VI.* repræsentantur, descriptionem quasi compendio quodam subjicimus.

N N N N. Vetera Mœnia Vrbis Romæ.

L L L L L. Recentiora Mœnia Vrbis Romæ.

s. Templum Spei Veteris. De ejus loco dicitur in Nota hac 24 II. III.

o E. Bini Horti; quorum alii pro Hortis Torquatianis habendi; alii pro Hortis, quorum periit nomen, positis *in confinio Torquatianorum*. De his Frontinus in hoc eodem Art. 5.

3. Amphitheatrum Statilii Tauri.

n o E *s y*. Tractus omnis his litteris designatus contentusque, Spei Veteris vocabulo appellabatur. De hoc Tractu agitur ista in Nota 24 IIII.

C F s. Pars Augustæ Rami, quæ prope Vrbem conjungebatur cum Appia ad s; ut dicitur in Nota 26 III. hujus Art.

s. Locus, cui erat cognomen *Gemellarum*: de quo Frontinus in hoc eodem Art.

g y s Q K *b*. Pars Ductus Appiæ prope Vrbem, ejusdemque Appiæ intra Vrbem Ductus: de quo Ductu verba fiunt in Nota 22 hujusce Art.

p. Locus, prope quem fuit Porta Trigemina; ut ostenditur in Nota 19 hujus Art.

4 *b* 5 B c. Rivi Aquarum Iuliæ, Tepulæ, & Marciæ; qui super eosdem arcus ferebantur usque ad B: exinde mergebantur infra terram, & emergebant ubi e ad Portam Viminalem: de his & in Frontini Art. 19: & in Nota 7. II. III. IIII. Art. 19.

5 5. Locus, ubi unus ex iis arcubus, super quos ferebantur Iulia, Tepula, & Marcia, qui erat ornatior reliquis ab Augusto exstructus (cujus superiorem partem exhibuimus *Fig. I.* Tab. G) Et ibi, ut credibile est, Aquæ illæ trajiciebant Viam Collatiani. De hoc verba fiunt in Nota 7. III. Art. 19.

v a *m* h. Arcus, super quos ferebantur Aquæ Claudia, & Anio novus; qui finiebantur ad 1 *x post Hortos Pallantianos*: ut habet Frontinus in Art. 20.

c a. Ichnographia, sive planta, ut ajunt, eorum arcuum (hos exhibuimus *Fig. VII.* Tab. L) Aquarum Claudiæ, & Anionis novi, super quos hæ Aquæ trajiciebant Viam Labicanam; atque ideo magis ampli, magisque magnifici Arcus erant: qui enim ex Romanis *Aquae vel duxerunt* (utar verbis Fabretti in Num. 252) *vel restituerunt, ubi ad Vias pervenerant, ad illarum ornatum, neve illæ angustarentur, præcipuo insignique opere Arcus ampliabant, ut Claudius ad Labicanam*. De iisdem Arcubus plura sunt in Nota 7. II. Art. 13.

x i. Ichnographia, sive planta Castelli, ad quod finiebantur arcus Aquarum Claudiæ & Anionis novi. Castelli hujusce majorem ichnographiam exhibuimus *Fig. XIV*: atque de eodem plura habentur in Nota 2. Art. 20.

z u. Horti Pallantiani. De his verba fiunt in Notis, 9 Art. 19, & 2 IIII. Art. 20.

Z X O I. Rectus Ductus Anionis Veteris *secundum*, ut Frontinus scribit in Art. 21 *Spem veterem 1 veniens intra Portam Exquilinam* &c.

a j D A. Arcus Neroniani, in quos *Claudia*, ut habet Frontinus in Art. 20, *partem sui ad Spem veterem* (prope a) *transferebat. Ii directi per Cælium montem juxta Templum Divi Claudii terminabanetur* (ad A)

A. Templum Divi Claudii. De hoc Templo in Nota 5. Art. 20.

n 2 T V. Ductus, quo *pars Iuliæ, ad Spem veterem excepta Castellis Cælii montis diffundebatur*. Frontinus in Art. 19.

h *æ*. Rivus, per quem ad Iuliam (ubi *æ*) transferebantur quinariæ CLXII., deductæ ex Claudia (ubi h) *post Hortos Pallantianoe*. De hoc in Nota 5 Art. 69.

« r. Rivus, per quem aqua excepta ex rivo Marciæ deferebatur in locum r post Hortos Pallantianos, ubi erat principium Rivi Herculanei; in hunc autem se dejiciebat illa aqua: ut habetur in Nota 11 Art. 19.

r Q P *d*. Rivus Herculaneus, in quem pars Marciæ post Hortos Pallantianos dejiciebat se. Ejus pars Q *d* dirigebatur per Cœlium montem, & finiebatur in *d* supra Portam Capenam. De hoc & in Frontini Art. 19; & in Nota 12 Art. 19.

f R U *q*. Specus Octavianus, per quem pars aquæ Anionis veteris deferebatur. Frontinus in Art. 21.

q f. Linea, secundum quam per fistulas aqua Specus Octaviani perduci in Regionem Viæ Novæ, proximumque in tractum poterat. De hae directione agitur in Nota 3. Art. 21.

H. Horti Asiniani. De his verba fiunt in Nota 3. II. Art. 21.

G. Circus Maximus.

8. Amphitheatrum Vespasiani.

Y. Naumachia Augusti.

& S. Postremi arcuum Ductus Aquæ Alsietinæ, qui in S post Naumachiam finiebantur. De Naumachia Augusti, & de hisce arcubus dicitur in Nota 4 Art. 22.

Æ. Horti Luciliani: de quibus in Nota 1. Art. 22.

M 6. Septa, in quibus Pop. Rom. suffragia ferebat; quorum frons, ut credibile est, secundum lineam 6 posita, respondebat Flaminiæ Viæ. De his, de Templis, Pantheon & Divi Ignatii, de arcubus Aquæ Virginis agitur in Nota 2 Art. 22.

rum [25] Torquatianorum, & .... [26] Ramus Augustæ [27] ab *Augusto* in supplementum ejus additus, [28] *impo-*

---

g f. Arcus Aquæ Virginis, qui habebant initium in f *sub Hortis Lucilianis Æ*, finiebanturque ubi 9, *secundum Septorum frontem 6*. Frontinus in Art. 21.
7. Pantheon: Templum a M. Agrippa exstructum.
k. Templum, recens ædificatum, Divo Ignatio sacrum.

25. *Torquatianorum &* ....] Codex Cassinensis; *in confinio Hortorum Torquati anos &* .... *norum*: Codex Vibinas; *in confinio hortorum Torquatianorum &* ...... *norum*: Editio Iocundi; *in confinio hortorum Torquatianorum*. Ex eo fragmento .....*norum*, quod in Codicibus legitur, visum mihi fuit, perspicue declarari; alios Hortos, præter Torquatianos, fuisse nominatos. Ex omnibus autem antiquis Romanis Hortis, quorum nomina ad seram hanc ætatem pervenere, nullos reperi, qui ad hunc locum pertinere proprie viderentur. Itaque in Figura (*Fig. VI.*) binos Hortos posui o, & E, *in* quorum *confinio* Augustæ ramus C F s, & Appiæ pars *g y* s conjungerentur in s, ut paullo infra dicetur. Quapropter eorundem Hortorum o, & E, alii habendi sunt pro Hortis Torquatianis; alii pro Hortis, quorum periit nomen.

26. *Ramus Augustæ*] Codices omnes habent; *ramum Augustæ*: Libri editi; *Alsietinæ Augustæ ramum*, alii *ramus*. Aquæ fluentis ramus ea aqua dicitur, quæ primo per proprium alveum fluens, inde alveum suum conjungit cum alveo alterius aquæ, & huic alteri commiscetur. Potest autem ramus originem habere vel propriam, vel ab alia aqua. Ramus, de quo hic sermo est, ab alia aqua non provenit: duæ enim Aquæ sunt, quas Augustas Frontinus appellat (neque vero nuncupatas Augustas ab aliis Scriptoribus hoc loco attendere oportet) sed illarum neutra huc pertinet. Vna etenim illarum est Alsietina, de qua supra in Art. 4 dixit; *Alsietina, quæ eadem vocatur Augusta*; sed hæc, quæ trans Tiberim ex Alsietino Lacu in Transtiberinam Regionem ducebatur, nullo modo Appiæ ex opposita plaga ductæ conjungi poterat.

II. Altera Aqua, quæ infra in Art. 12 Augusta a Frontino dicitur, ea est, quam in supplementum Marciæ Augustus duxerat ad rivum usque Marciæ, cujus erat longitudo passuum 800; concipiebatur hæc proxime a milliario 37: quis itaque putet ex hac Ramum perductum in Appiam, cujus origo totis 28 milliaribus Vrbi vicinior? Propter hæc de proposito Ramo dicendum est, legi in editis Libris ita, *Alsietinæ Augustæ ramus*, ita (inquam) legi, *ex glossemate quod in Frontini textum irrepsit*; ut indicavit Famianus Nardinus in Lib. VIII. Cap. 4 sui Operis, cui, de Italica in Latinam Linguam translato fecit titulum; *Roma Vetus*: magisque perspicue scripsit Fabrettus in Num. 356.

III. Ergo habuit hic Ramus Augustæ propriam originem, quam etiam Frontinus paullo infra describit. Quod si alia argumenta deessent, vel id unum rem totam conficeret, quod cum infra, post Art. 64, Frontinus singularum aquarum mensuras demonstret, ex nullius tamen aquæ mensura detrahit id, quod mensura Augustæ Rami facile invenire potuisset; si hæc aqua, non a propriis fontibus, sed a rivo alterius aquæ fuisset deducta. Sic ergo propositus locus intelligendus videtur eo modo, ac si, pro *Augustæ Ramus*, dixisset Frontinus, *Ramus aquæ, quæ Augusta dicitur*. In figura (*Fig. VI.*) hujusce Rami prope Vrbem pars, quæ conjungebatur cum Appia *g y* s *Q* K *b* ad s, est C F s.

27. *ab* Augusto *in supplementum ejus additus*] Codices Cassinensis, & Vrbinas; *Ab a* .... *in supplementum ejus additum*. Editio Iocundi *ab milliario* .... *in supplementum ejus additum*. Sed hanc postremam lectionem mittendam prorsus existimavi: si enim Aquæ Ramo nomen erat *Augustæ*, ex initiali littera *a*, quæ post parti-

[28] *imposito cognomine respondenti* Gemellarum. [29] Hic Via Prænestina ad milliarium VI, Diverticulo sinistrorsus passuum DCCCCLXXX, proxime [30] Viam Collatiam accipit fontem, cujus Ductus usque ad Gemellas efficit rivo subterraneo passuum VI millia CCCLXXX. [31] Incipit distribui Appia sub Publicii clivo ad

---

particulam *Ab* in Codicibus legitur, aperte indicatur; Augustum, ex cujus nomine appellabatur Ramus, Ramum junxisse. Ideo emendavi; *ab Augusto* &c.

28. imposito cognomine respondenti *Gemellarum*] Codex Cassinensis habet; .... *Tocco nomen* .... *denti Gemellorum*. Codex Vrbinas; ....*to cognomino* .... *denti gemellorum*: Editio Iocundi ....*to cognomen decem Gemellorum*. Ordine inverso hunc locum (quam optime potui) emendavi. Pro *Gemellorum* posui *Gemellarum*: nam subaudiri *aquarum*, manifestum est: & in aliis etiam locis, ubi de eo loco verba Frontinus facit, *ad Gemellas* legitur, tum in Codicibus, tum in Libris editis. Illud vero *decem*, quod in Libris editis reperitur, prorsus respui; neque enim ulla ratio visa est inter geminas aquas in unum coeuntes, & numerum *decem Gemellarum*. Substitui itaque *respondenti*, cujus vocis pars postrema *denti* jam in Codicibus legebatur: nam pro *cognomine respondenti*, cognomen Gemellarum geminis aquis proportione respondere, seu convenire, intelligi posse ratus sum. Locum *Gemellarum* (*Fig. VI.*) littera s designat. Demum deerat participium; supplevi participio hoc, *imposito*; nempe cognomen imponere Latini dixere; & ultimæ syllaba *to* in Codicibus legebatur. Clariora in depravatissimo loco, incipiente a verbo *Iungitur*, neque vidi, nequedum video.

29. *Hic*] idest, Hic Ramus Augustæ.

30. *Viam Collatiam*] Multi sunt, qui Viam hanc nominantes, eam nominant *Viam Collatinam*: & quidem, ut Via ferens Præneste Prænestina, Via ferens Tibur Tiburtina, dicebatur, ita Via hæc, ferens Collatiam, *Collatina* dicenda videretur. At quoniam & in Codicibus, & in editis Libris cum hoc in loco, tum alibi legitur *Via Collatia*, iccirco eodem a me etiam modo scribendum esse, putavi.

31. *Incipit distribui Appia sub Publicii clivo*] Codex Cassinensis; *Incipit distribui* .... *uno publicu cilvo*: Codex Vrbinas; *Incipit distribui Anio imo Publicii alvo*: Editio Iocundi; *Incipit distribui vetus Anio vico publicii*. Vt obscuri hujusce loci emendationis rationem ostendam, non proferam (quod fieri facile posset) Anionem veterem, de quo infra continuo Frontinus loquitur, minime distribui incœpisse *ad salinas*: sed quid pro certo habeam, scriptum hic fuisse, statim commonstrabo. Scribit Frontinus infra in Art. 22; *Rivus Appiæ sub Cælio monte & Aventino actus emergit, ut diximus, infra Clivum Publicii*. Ergo pars extrema K *b* (*Fig. VI.*) Rivi Appiæ, ducta per Cælium, emergebat ultra Aventinum in *b*, ubi salinas fuisse ostendimus ante; atque ubi Publicii clivum fuisse mox ostendemus: sic illa, quæ distribui eo loco incipiebat aqua, Appia erat haud dubie. Præterea Frontinus ibidem affirmat, se dixisse (*ut diximus*) *Appiæ Rivum emergere infra clivum Publicii*, quod si hic de Appia sermo non esset, nuspiam mehercle dictum reperiretur id, quod a se dictum Frontinus verbis illis, *ut diximus*, affirmat: posita autem *Appia* Aqua, omnia bene cohærent.

II. Attendens itaque Codicem Cassinensem, pro *uno*, posui *sub*; pro *Publicu alvo*, posui *Publicii clivo*; quæ verba potuere faciliter a Librariis transformari. Porro hujuscemodi emendationem efflagitare visa sunt inferiora illa ex Articulo 22 citata jam Frontini verba: *Rivus Appiæ* &c. Erat autem locus, dictus *clivus Publicii*,

conti-

ad Portam Trigeminam, qui locus appellatur Salinæ. ¶ Art. 6. ¶ Post annos XXXX, quam Appia perducta est, [1] anno ab Vrbe Condita CCCCLXXXI, [2] Man. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papyrio Cursore gessit, [3] Anionis, qui nunc dicitur vetus, aquam perducendam in Vrbem [4] ex munubiis de Pyr-

---

contiguus loco, qui dicebatur *Salinæ*, ut hæc eadem Frontini verba commonstrant: *sub Publicii clivo ad Portam Trigeminam, qui locus appellatur Salinæ.*

III. Suborta, fateor, mihi erat quædam species dubitationis; num, loco *clivi Publicii*, clivi *Publici legendum* esset: namque *clivum Publicum* in regione, quæ dicebatur Aventinus, nominat P. Victor. Nulla tamen ratio visa est, cur in illis vicinus etiam clivus, qui Publicii diceretur, existere non potuerit.

¶ Art. 6. 1. *anno ab Vrbe condita CCCCLXXXI.*] Codex Cassinensis; *anno ab Vrbe condita quatringentesimo octogesimo uno*. Codex Vrbinas, & Libri editi habent; *CCCCLXXXIX*; sed in his error est. Si enim hæc Aqua perducta fuit *post annos 40, quam Appia perducta fuerat*; Appiæ vero perductio pertinuit ad annum V. C. 441, sequitur, ut hæc alia Aqua ducta fuerit anno V. C. 481; ad quem annum (non quidem ad annum 489) recte pertinere possunt Consules, quos nominat Frontinus, Spur. Garbilius, & L. Papirius. Idque etiam manifestius apparebit, cum infra dicetur de Ser. Sulpitio Galba, & L. Aurelio Cotta coss.

2. *Man. Curius Dentatus*] Haud dubie credo, hunc Manium Curium, qui Aquam de manubiis Pyrrhi locavit perducendam, eundem illum fuisse, qui de Samnitibus, Sabinis, & Pyrrho triumphaverat. Licet enim Cicero in Libro, qui inscribitur *Cato Major*, affirmet, hunc Curium in vita rustica *consumsisse extremum* tempus ætatis; fieri tamen potuit, ut hoc anno Censuram gesserit: quemadmodum *a villa* (eodem Cicerone ibidem narrante) *in Senatum accersebantur & Curius & ceteri Senes*; ita etiam ad censuram gerendam Curius potuit a villa advocari.

II. De hoc Manio Curio Dentato Sextus Aurelius Victor in Libro, cui titulum fecit *de Viris Illustribus*, Cap. 33, hæc habet; *Aquam Anienem de manubiis Hostium in Vrbem induxit*. Quæ verba si momento suo ponderes, animadvertere facile poteris, cautius scripsisse Frontinum nostrum: quoniam enim Ductum Anionis inchoavit Curius, perfecit Fulvius, haudquaquam scripsit Frontinus, Curium induxisse; sed inducendam locavisse: nam hæc verba absolutionem perfectam operis non commonstrant. Illud tamen in Sexto Victore pejus est, quod pene statim, nimirum Capite sequenti, de Appio Claudio Cæco verba faciens habet; *Aquam Anienem* in Vrbem induxit; quod falsissimum est. Si quis vero hunc errorem Librariis imputare velit (quod facere noluit Andreas Schottus) non repugno.

3. *Anionis, qui nunc dicitur vetus*] Aquam hanc Anionem ex Anionis Fluminis nomine fuisse appellatam, liquet ex iis, quæ Frontinus habet infra in Art. 90, ubi de Aquis Anione vetere, & Anione novo haud dubie verba faciens, ait, eas minus permanere limpidas; *nam sumuntur ex Flumine*; idest ex Flumine Anione. Quo ex Flumine quando una tantum Aqua ducebatur, ea nuncupabatur Anio; at postquam ex eodem Flumine excepta alia Aqua in alium Ductum immissa fuit, illa cœpit Anio vetus dici, hæc Anio novus; ut earum vel in nomine proderetur differentia. Hanc autem nominum Anionum, *Veteris*, & *Novi* differentiam tradit ipse Frontinus infra in Art. 13.

4. *ex manubiis*] Manubiæ, ut Nonius scripsit, erant pecuniæ ex præda vendita redactæ. Vsus ergo est Curius pecuniis redactis ex præda, quam de Pirrho ceperat.

5. *loca-*

Pyrrho captis [5] locavit, [6] Spurio Carvilio, L. Papirio [7] coss. iterum . Post biennium deinde actum est in Senatu de consummando ejus Aquæ opere [8] .... [9] Tum ex Senatusconsulto Duumviri

5. *locavit*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: in Editione Iocundi legitur; *curavit*. Illa tamen lectio plurimum præstat, ut videbimus infra. Hic autem verbum *locare* significat, aliquid alicui faciendum tribuere, constituta mercede. Ita Cicero in Verrina III. *Quod opus HS. DLX. millibus faciendum locasti*.

6. *Spurio Carvilio*] Ita Codex Cassinensis: atque etiam a Pighio, & a Sigonio in Fastis hi Consules ita recensentur; *L. Papirius Cursor II. Sp. Carvilius Maximus II.* Primum Consulatum jam gesserant anno V. C. 460. Recte vero monet Pighius, in Vol. I. pag. 445, L. Papirium, Dentati in Censura Collegam, non eundem cum L. Papirio Consule hujus anni esse existimandum; *inusitatum namque tunc fuit, ut qui Consul, idem Censor simul esset*.

7. *coss. iterum. Post biennium*] Codex Cassinensis habet; *Consulibus, Iterum post biennium*: Codex Vrbinas, & Libri editi; *coss. Item post biennium*. Sed Opsopœus recte animadverterat, indicari oportuisse, hunc Consulatum fuisse secundum utriusque Consulis: potuit autem indicari, si loco verbi *item* (quod in Libris editis ante verba illa *post biennium* obscuritatem parit) verbum *iterum* reponatur ea interpunctionis ratione, qua a nobis factum est. Atque emendatio hæc ex Fastis, ut in Nota superiore exposuimus, & ex Cassinensi Codice perspicue confirmatur.

8. ....] Multa, utcumque, transgressus periculosa loca, ad lacunam istam consistere coactus omnino sum; ratus, satius esse nihil ponere, quam incertissima venditare; cum nullus plane sit, neque interpretationi, neque conjecturæ, neque divinationi locus. In Codice etenim Cassinensi legitur; *Irefent ...... nocumi .... prætor*: in Codice Vrbinate vero legitur; *irefont ....*, & nihil aliud: indicio manifesto, authorem illius Codicis (qui non describere modo, sed supplere etiam, ubi potuisset, nitebatur) de hoc loco desperavisse. Editio princeps habet; *post annum nonum Minutius Prætor edidit*: Editio Iocundi: ...... *post annum nonum Minutius Prætor edidit* ......: quædam aliæ Editiones; *itaque post annum nonum Minutius Prætor edidit edictum*. Sed particula *itaque* plane impropria est: neque enim ex iis, quæ Frontinus ante dixerat, illa fieri potest consecutio *post annum* &c.. Illa autem omnium Editionum verba, *post annum nonum*, unde hauriri potuerint, non video: atque insuper credibile minime est, rem tandiu, nimirum post duos annos, adhuc novem alios, jacuisse. Quod vero ad verba, *Minutius Prætor*, attinet; forte verbum *Prætor* male legitur; nomen vero *Minutius* nihil certi, immo dicam, nihil probabilis habere, opinor. Nulla sane mihi apparent ejus vestigia; neque apud alios antiquos Scriptores hujus Minutii Prætoris mentio ulla. Pighius in Vol. II. pag. 20, ad annum V. C. CDXCII refert hunc Prætorem: *se quasi collexisse* (scribens) Prætorem hunc *ex mutilo, & valde mendoso Frontini loco*: sed, si quid judico, Codicibus recte attentis, nihil quidquam vel de anno, vel de Prætore, vel de Prætoris nomine colligi potest. Quare mittenda etiam Pighii conjectura hæc alia; Curium scilicet, *qui intra V diem, qui erat Duumvir creatus decessit*, eodem V. C. anno CDXCII decessisse. Hac tamen, ut fecimus, facta lacuna, nihilominus & quæ præcedunt verba intelligi possunt, & quæ sequuntur: quod in ea jactura alicui solatio est.

9. *Tum ex Senatusconsulto*] Codex Cassinensis, *tum ex ....ulto*: Codex Vrbinas; *tum ex....tus....ulto*. Libri editi eo modo, ut nos etiam scripsimus: de hac enim lectione, propterea quod supra Frontinus dixit, *actum in Senatu*, & fragmenta verborum consentiunt, haudquaquam videtur dubitandum.

viri Aquæ perducendæ [10] creati sunt, Curius *qui eam* locaverat, & Fulvius Flaccus. Curius intra quintum diem, quam erat Duumvir creatus, decessit: gloria perductæ pertinuit ad Fulvium. Concipitur Anio vetus supra Tibur [11] xx milliario extra [12] Portam

....

---

10. *creati sunt, Curius*, qui eam *locaverat, & Fulvius Flaccus.*] Codex Cassinensis habet; *ati sunt Curi ...... locaverat, & Fulvius Flaccus*: Codex Vrbinas; *creati sunt Curius ...... locaverat & Fulvius Flaccus*: Editio Iocundi, *creati Curius, & Fulvius Flaccus locaverant*: itaque, secundum postremam hanc lectionem, progignitur hæc sententia, Tum Duumviri creati Aquæ perducendæ locaverant, plane inulsa. Lectionem Codicis Cassinensis secutus, replevi lacunam illam his verbis; *qui eam*; animadvertens, Frontinum supra scripsisse; *Curius Aquam perducendam locavit*. Namque credibile est, Frontinum ad ostendendum, eundem hunc esse Curium, de quo supra scripserat, scripsisse hoc loco, *Curius, qui eam locaverat*. Id profecto videtur mihi, plane verisimile esse, & totam sententiam recte perficere.

11. *XX milliario*] Distantiam hanc dicemusne fuisse ab Vrbe Roma? cum distantias originum reliquorum omnium Ductuum Frontinus posuerit ab Vrbe Roma. Quod si ita sentiamus; quoniam ipsum Tibur (erat autem Tibur urbs Latii) distabat, ut infra ostendetur, ab Vrbe Roma XX milliariis; iccirco vel præcedentia illa verba, *supra Tibur*, sic intelligi debent, ut significent proxime ultra collem, in quo Tibur erat; vel arguendum est, deesse aliquam notam in numero XX. ut pro eo aut XXI. aut XXII. aut alius numerus sit legendus: hancque posteriorem conjecturam libentius sequerer.

II. Sed forte distantia, citatis verbis indicata, habenda est pro ea, quæ inter Tibur, & eum locum *supra Tibur*, ubi concipiebatur Anio vetus, intererat: neque enim XX. milliarium distantia designatur secundum Militarem Viam, ut distantiæ originum reliquorum omnium Ductuum a Frontino secundum Militares Vias sunt descriptæ. Itaque, si in hac sententia simus, in numero *XX.* mendum subesse credendum est; propterea quod, Anionem veterem originem habuisse milliariis XXXX. ab Vrbe remotam (ita enim quadraginta milliaria distantia ab Vrbe ad Tibur, & distantia a Tibure ad caput Anionis veteris efficerent) credibile non fit. Nam Anionem veterem, humilem Aquam, habuisse originem multo infra caput Anionis novi, altioris Aquæ, quod distabat ab Vrbe milliariis XXXXIII. verisimile est. Ergo si propter id, ex milliariis XXXXIII. plura subtrahas milliaria, & ex residuo subtrahas XX. illa milliaria distantiæ inter Vrbem, & Tibur; profecto *XX.* milliaria pro distantia inter Tibur, & caput Anionis veteris remanere non possunt. Hæc de citato numero proponenda ratus sum; judicent Viri docti, cui parti adhærendum: me, neutram assumere pro certa, non ausum, fateor.

12. *Portam ....*] Codex Cassinensis habet; *portam RRa..nam*: Codex Vrbinas; *portam RRa.nam*: Libri editi; *portam Raranam*. Cum nullum principium haberem, ex quo de hujusce Portæ nomine conjicerem, & cum ob ea, quæ dixi in superiore Nota, dubitarem, num Porta hæc esset Vrbis Romæ an vero Tiburis (etsi in hanc partem tantillum propendeo) lacunam esse relinquendam ratus sum. Nardinus Lib. VIII. cap. 4, locum hunc referens scribit; *extra Portam Romanam*; sed si Porta hæc Vrbis Romæ erat, *Romana* esse non poterat; Porta enim *Romana* in Vrbe, teste Varrone in Lib. IIII. de Ling. Lat. cap. 4, *habebat gradus in navalia ad Volupiæ Sacellum*: quid vero hic locus ad designandam distantiam inter Vrbem, & Tibur? Quod si Porta hæc Tiburis erat; *Romana* Tiburis Porta Frontino nostro citra Tibur, non vero *supra Tibur*, esse debuit.

13. par-

........., ubi [13] partem *dat* [14] in Tiburtium usum. Ductus ejus habet longitudinem, [15] ita exigente libra-

---

13. *partem* dat] Codex Cassinensis; *partem .... in Tiburtiu usu*: Editio Iocundi; *partim in tiburtinum distribuitur usum*. Sed ratus sum, melius esse *partem* relinquere, quam substituere *partim*: ita etiam verbum *dat*, ubi lacuna erat, posui; ne deberem alibi ponere *distribuitur*.

14. *in Tiburtium usum*] Codex Cassinensis; *Tiburtiu*: Codex Vrbinas; *Tiburtium* (& etiam infra, Art. LXVI, in utroque Codice legitur; *in proprium Ductum Tiburtium*) Editio Iocundi; *Tiburtinum*. Scripsi *Tiburtium*; nam dicebatur a Latinis Tiburtis, Tiburte, quod erat ex Tibure, urbe Latii in confinio Sabinorum: ratusque sum ita scribi, quasi scriberetur, in Tiburtium Incolarum usum: in eorum enim usum pars aquæ Ductus Anionis veteris dabatur. Rationem autem, cur in Tiburis usum non scripserit Frontinus, hanc esse reor; quod Tibur urbs magnam partem in collis dorso extructa recipere aquam Anionis non poterat: Tiburtes vero incolæ in villis, ac prædiis poterant. Si quis mallet, scribi *Tiburtum*, quoniam non desunt exempla hujus positionis in genitivo majoris numeri, per me licet.

15. *ita exigente libramento*] Libramentum apud Antiquos, qui de arte aquarum ducendarum scripsere, videtur significare mensuram declivitatis plani, super quod aqua ducitur. Sic Plinius in Lib. XXXI, Cap. 6, *Libramentum aquæ in centenos pedes sicilici minimum erit*. Vitruvius in Lib. VIII, Cap. 7, *Si canalibus*, fiat deductio, *structura fiat quam solidissima, solumque rivi libramenta habeat fastigiata*: scilicet, ut recte explicatur, positiones non æquilibres, sed initio quidem altiores, quam in fine; uno verbo, declives. De differentia autem inter *Libramentum*, & *Libram* dicemus inferius ad verba, *diversa in Vrbem Libra*, Art. 18.

II. Nunc venio ad citata verba, *ita exigente Libramento*. Quoniam Ductus Anionis veteris longior erat, quam capitis ipsius ab Vrbe distantia (quod etiam in reliquis Aquis contingebat) reddit hoc in loco Frontinus noster rationem hujusce differentiæ; aitque, ita factum fuisse, quia *ita exigeret libramentum*: satis enim evidens est, propter colles & valles, impeditum aliquibus in locis fuisse *Libramentum* Aquis perducendis necessarium: propterea que opus fuisse, longiore itinere ducere Aquas per ea loca, in quibus rivorum Ductui commoda declivitas dari posset.

III. Sed nolo hoc loco prætermittere opinationem Flaminii Vaccæ, qui explicare satagit, cur longiore ob flexus itinere Aquas perducerent Romani. In Diario suo Italico Bernardus de Montfaucon schedam, inter ceteras (omnes autem schedæ sunt etiam ad calcem Editionis Librorum Famiani Nardini, quæ prodiit Romæ 1704) ejusdem Flaminii Vaccæ profert, pag. 149, in qua Flaminius de quodam Aquæductu, cujus partem pertinuisse ad Thermas Antoninianas conjicit, verba faciens, hæc habet; *An dicatur flexus* (qui observantur in Aquæductibus) *procedere ex impedimento ædificiorum? Hæc sane ratio valere nequit, dum in agro parem sinuositatem videmus, ubi ædificia non erant: æstimarem, id propterea factum antiquitus, ne impetus aquæ ductum læderet, & parietes labefactaret: ad hæc, aquæ flexibus hujusmodi purgabantur*. Et hæc eadem etiam in Libros suos *Antiquitatum Schematibus illustratarum* transtulit idem Montfaucon. Sed Vacca non animadverterat, eam fuisse rivorum Aquæductuum soliditatem, ut a paullo majore aquæ velocitate haud posset labefactari. Non ignoro, Vitruvium in Lib. VIII. Cap. 7 ita scripsisse; *vehemens spiritus in aquæductione solet nasci, ita ut etiam saxa perrumpat, nisi primum leniter & parce a capite aqua immittatur*: sed ibi Vitruvius de aquæductione per *tubulos* verba facit, non de ea per rivos solido opere constructos: quod si Vitruvius ab eo spiritu *etiam saxa perrumpi* dicit, quis non videat, hyperbole quadam id efferri ad eam vim exaggerandam? eam tamen vim a capite Aquarum, non ubique. Sed ut ad Vaccam redeamus;

D ea

libramento [16] passuum XXXXIII millium: [17] ex eo rivus est subterraneus passuum XXXXII millium DCCLXXVIIII: substructio supra terram passuum CCXXI. ¶ Art. 7. ¶ [1] Post annos CXXVII, [2] idest anno ab Vrbe Condita DCVIII, Ser. Sulpitio Galba cum L. Aurelio Cotta coss. [3] cum Appiæ

---

ea, de qua ille verba facit, purgatio aquæ, in retardatione a flexibus orta, ipsos Ductuum rivos inquinabat obcæcabatque, contra ac Romani voluissent; qui aquas purgari in Piscinis volebant, non autem in Rivis. Porro, cum hæ caussæ vix aut ne vix quidem faciant ad rem, illud reliquum est, ut statuatur; flexus fuisse efformatos, præsertim quoniam *ita exigerent libramenta*. Vide infra Notam 5. III. Art. 106.

16. *passuum XXXXIII millium*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas, ac Editio Iocundi (non ita omnes editiones) & quidem recte, ut infra constabit.

17. *ex eo rivus est subterraneus passuum XXXXII millium DCCLXXVIIII: substructio supra terram passuum CCXXI.*] Ita in Cassinensi, & in Vrbinate Codice legitur, & in utroque recte: nam illi duo numeri 42779, 221 in unam summam collecti restituunt numerum 43000 longitudinis totius Ductus. Editio Iocundi perperam habet; pro primo numero 42297; pro secundo 702. Hic autem animadverti potest, substructionis supra terram mentionem a Frontino fieri, non autem operis arcuati: quare fit verisimillimum, caruisse hunc Aquæductum opere arcuato. Et hanc fortasse ob caussam Fabrettus, Num. 17, asseveravit *carentiam in Aniene vetere omnis prorsus operis arcuati*.

¶ Art. 7. 1. *Post annos CXXVII*] Sic in Codice Cassinensi, & in Vrbinate: in Editione Iocundi, aliisque legitur; *Vigesimo primo anno post annos CXXVII*. Omisi autem illa verba *Vigesimo primo anno*, utpote quæ desunt in Codicibus, & quæ nihil ad rem faciunt; immo sententiam falsam reddunt: nam, scribere *anno vigesimo primo post annos CXXVII*, idem est, ac scribere post annos CXLVII: ea vero, quæ deinde narrat Frontinus, non post annos 147, sed post annos 127 acta fuere; ut ex ipsis Consulum nominibus luculentissime apparet. Pessime itaque ea verba legebantur, ex errore Librariorum; qui, cum scriptum esset *passuum CCXXI*, numerum *XXI* repetiere, atque, addita voce *anno*, sic verbis perperam expresserunt numerum; *Vigesimo primo anno*.

2. *idest anno ab Vrbe Condita DCVIII*] Ita Codices, & Libri Editi. Si annos 127 colligas cum annis 481, habebis annum V. C. 608, quem Frontinus ponit scribens; *idest anno ab Vrbe condita 608, Ser. Sulpitio Galba cum* (particula enim *cum*; non particula *&*, legitur in Codicibus) *L. Aurelio Cotta coss.*: concludo itaque, hos Consules tribui a Frontino huic anno. Quare manifestum est, etiam primum Consulum Collegium, idest M. Valerium Maximum, P. Decium Murem, recte tribui, ut jam fecimus, anno 441; atque etiam Spurium Garbilium, & L. Papirium anno 481: sicque omnes numeros recte definiri. Nam ex 608 si subtrahas 127 remanent 481, ex his si subtrahas 40 remanent 441: qui consensus numerorum videtur declarare, nullum mendum (excepto eo per se manifesto, quo ponebantur anni 489 pro 481) nullum, inquam, mendum in hos annorum numeros irrepsisse.

3. *cum Appiæ, Anionisque Ductus vetustate quassati*] Ita Codices, & editi Libri. Plinius etiam consentit; namque in Hist. Nat. Lib. XXXVI. Cap. 15, de eo, qui Aquam Marciam perduxit, hæc habet; *Is jussus a Senatu aquarum, Appiæ, Anienis, tegula ductus reficere, novam &c.*: quæ Plinii verba ita, ut scripsimus, leguntur in Editione Iensoniana anni 1473; & in Editione procurata ab Episcopo Aleriensi corrigente Librum una cum Theodoro Gaza Romæ 1470; & in Editione Aldina anni 1537. In Editione autem principe confecta a Ioanne Spirensi locus admodum

depra-

Appiæ Anionisque Ductus vetustate quassati, [4] Privatorum etiam fraudibus interciperentur, [5] datum est a Sena-

depravatus est, legitur enim; *jussus a Senatu aquarum amoeis tegule ductus reficere, novam &c.*

II. At vereor, ne hoc in loco depravatæ sint etiam postremæ nobiliores Editiones; illa Elaiviriana; illa cum variorum notis; illa ab Harduino illustrata; in quibus legitur; *Is jussus a Senatu aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, novam &c.* Quam etenim improprie substitutum fuerit, loco verbi *tegula* nomen illud *Tepulæ* Aquæ, vel ex eo liquet; quod Marcia ducta fuit anno V. C. 608, Tepula vero anno V. C. 627. Quis igitur dicat, authorem Marciæ, anno 608, jussum fuisse a Senatu reficere Ductus non modo Appiæ, & Anienis, verum etiam Tepulæ, quando hæc Tepula demum anno 627 fuit perducta? Longe itaque melius (ni pessime fallor) habet illa lectio: *Appiæ, Anienis ductus reficere tegula;* idest Aquæductus, jam propter ruinam supremarum partium patentes, tegulis in pristinum statum restituere.

4. *Privatorum etiam fraudibus*] Nam Privati, perforatis aut fistulis, aut rivorum lateribus, furtim aquam in proprios usus derivabant, sicque fraude aquam intercipiebant. Hujusccemodi fraudes eo quoque tempore, quo Frontinus scripsit admittebant non tantum Privati, sed etiam Aquarii; Frontino ipso teste, qui infra in Art. 75 de imminuta aquæ copia verba faciens, ita scripsit; *cujus rei* (nimirum imminutæ aquæ copiæ) *caussa est fraus Aquariorum, quos aquas ex publicis Ductibus in Privatorum usum derivare deprehendimus. Sed & plerique Possessorum &c.*

5. *datum est a Senatu negotium Marcio*] In Codice Cassinensi legitur; *datum est a Senatu negotium Marco*: in Codice Vrbinate legitur; *datum est a Senatu negotium Marcotio*: in Editione principe, in Editione Iocundi, & in aliis legitur; *datum est a Senatu negotium M. Titio.* Cur autem *Marcio* substituerim, duæ potissimum rationes fecere. Prima, quod in Cassinensi Codice verba, quæ paullo infra habentur, sic leguntur; *in hac opera Marcio decretum &c.* Præterea aliquanto inferius (in hoc eodem Art.) cum verba fiant de hoc ipso Aquæ Marciæ ductore, leguntur tam in Cassinensi Codice, quam in Codice Vrbinate, verba hæc; *sed utroque tempore vicisse gratiam Q. Marcii Regis*: & in principe editione; *sed utroque tempore vicisse gratiam Q. Martii Regis.* Cum itaque in Codicibus *Marcii* nomen invenerim pluries, *Titii* nunquam, ac etiam in principe Editione *Marcii* nomen aliquando invenerim, satius visum fuit pro *Marco*, vel *Marcotio*, vel *M. Titio* reponere *Marcio*; quando hæc minima mutatio fuit; ceteroquin & tres, & majores factæ fuissent mutationes, si ubique repositum fuisset nomen *M. Titii*, ut in Editione Iocundi, aliisque perperam factum fuerar.

II. Ratio autem altera hæc est. Non consentiebat, juxta Iocundi Editionem, in nomine hujusce Prætoris Frontinus cum Plinio; qui dissensus, haudquaqnam prætermittendus, Viris quibusdam doctissimis negotium facessisse videtur; neque tamen eum sustulere. Vt ergo eum tollerem, operam dedi: etsi enim, ubi dissentiane Frontinus Pliniusque, ego a partibus Frontini libenter sto; ubi tamen fieri possit, tollendo dissensum, libentius facio cum utroqne. Plinius itaque, in Hist. Nat. Lib. XXXI. Cap. 3 (is Plinii locus male citatur a Fabretto in Num. 236) agens de Aqua Marcia ita scribit; *Primus eam in Vrbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus e Regibus; postea Q. Marcius Rex in Pratura*: & in Lib. XXXVI. Cap. 15; *Sed dicantur vera æstimatione invicta miracula, quæ Q. Marcius Rex fecit. Is jussus a Senatu aquarum Appiæ & Anienis tegula ductus reficere, novam a nomine suo appellatam cuniculis per montem actis intra Præturæ suæ tempus adduxit.* Ex quibus liquet, pro Marcii nomine facere auctoritatem Plinii; qui, utcumque in vetustissima Anci Regis perductione

a Senatu negotium Marcio, qui tum [6] Prætor inter cives & peregrinos jus dicebat, eorum Ductuum refici-

Aquæ Marciæ describenda aliquid humani passus esse visus sit (ut supra in Nota II. Art. 4 ostendimus) de ea tamen Q. Marcii Regis longe minus antiqua perductione certiora scire potuit. Accedit Plutarchi auctoritas, qui in Cn. Marcio Coriolano hæc scripsit; *Publius* (sive *Lucius*, cum Publii prænomen inter Marcios antiquos non invenerit Pighius, ut testatur in Vol. III. pag. 50 in fine, atque ideo locum Plutarchi emendandum putet) *quoque, & Q. Marcii fuerunt, qui maximum atque pulcherrimum aquæductum Romæ fecerunt*. Quæ cum ita se habeant, satis perspicuum est, *Marcii* nomen, ut fecimus, fuisse reponendum: neque duos Prætores, qui duxerint Aquam Marciam, alterum M. Titium, alterum Q. Marcium agnoscendos, ut ut in hanc sententiam Pighius, in loco paullo supra citato, propensus fuisse videatur.

III. Quod vero attinet ad nummum illum, de quo in nota paullo ante citata, verba feci; puto, eum non ad Q. Marcium Regem Aquæ authorem primum pertinere, sed ad posteriorem aliquem alium ejusdem Gentis Virum, qui Aquæductum eundem restaurari curaverit. Nam in Gente Marcia fuere (præter ceteras) Familiæ tum Regum, tum Philipporum: quare, si in nummo *Philippus* legitur, non longe abest a vero, eum nummum ad aliquem ex Philipporum Familia pertinuisse, non ad Q. Marcium Regem, qui ex diversa erat, nempe ex Regum Familia. Propter hæc non possum in hac re non adstipulari Pighio, qui in Vol. III. pag. 238 de Censoribus *L. Marcio Philippo, & M. Perpenna* verba faciens, ad annum V. C. 667. (secundum ejus numerandi annos ab V.C. rationem) hæc habet; *Inter Opera publica L. Marcium* Philippum *Censorem aquæ Marciæ ductum bello sociali disturbatum restaurasse nos docent denarii argentei, qui extant cum ejus nomine & facie* (facies in nostro nummo, num L. Marcii, ut Pighius dicit; an vero potius Anci fuerit, alii viderint) *cum equite in aquæ ductu. Quorum imagines & Goltzianis in fastis, Lector, videre poteris.*

IIII. Ceterum nescio, quonam fato adversante, de Aquæ Marciæ authore falsissimas res etiam Viri docti tradiderint: quod ratus sum indicandum, ne ipsorum auctoritas videretur ea, quæ hactenus constituta sunt, infirmare. Dalechampius ad citatum Plinii locum, Lib. XXXVI. Cap. 15, *quæ Q. Marcius Rex fecit, &c.* notat (ut in Editione Plinii cum Variorum notis videre est) notat, inquam, hæc; *Proconsul is bello Mithridatico cum tribus legionibus in Ciliciam, & Lycaoniam missus est: bello Catilinario Fæsulis pro Republica exercitum coegit: Gallos sub alpibus sitos vicit: Coloniam Narbonem Marcium deduxit: Salustius, Dion, Eutropius: Aquam Marciam, de qua hic, adduxit.* Num ille igitur, qui coegit exercitum bello Catilinario, potuerat Aquam adducere anno V. C. 608? quasi plures non extiterint Quincti Marcii Reges, qui diversis temporibus gesserint res diversas. At Duiatius in Livio ad usum Ser. Delphini edito, ad ea verba Libri IX. Cap. 29; &, Appius, *aquam in Urbem duxit*, hæc notat; *Primus hic Appius Claudius arcuato opere aquam in Urbem perduxisse traditur, quam ex Aniene duxit* (aqua Claudia ex Aniene?) *eam ab auctore aquam Claudiam dixere* (minime, nam dixere Appiam) *fontem hunc, seu aquæ ductum vetustate corruptum Q. Marcius Rex, Senatus jussu, an. V. 608 refecit: unde post aqua Marcia est appellata*. hanc vero Aquæ ab Appio ductæ transmutationem in Marciam qui pluribus refutet, necesse est non intelligat, quam perspicue falsa sit.

6. *Prætor inter cives & peregrinos jus dicebat*] Num bini fuerint in Urbe, ut ante; an seni, Galba, & Cotta coss. esse cœperint Prætores, Pighius dubitat (an dicam senos fuisse affirmat?) in Vol. II. pag. 466. Nos quæstione hac omissa, id unum animadvertemus, Prætores Urbanos eos fuisse appellatos, qui jus dicerent inter cives, & cives; Prætores vero Peregrinos, qui inter cives, & peregrinos, vel

ficiendorum, & [7] vindicandorum. [8] Et quoniam incrementum Vrbis exigere videbatur ampliorem modum aquæ, eidem mandatum a Senatu eſt, [9] ut curaret quatenus alias aquas, quas poſſet, in Vrbem [10] perduceret *per ampliores* Ductus. *Rivis hic*, *&* *opere ſupra terram*, *in Capitolium eam Aquam* duxit, [11] cui

vel etiam inter peregrinos, & peregrinos jus dicerent. Quanam itaque ex hiſce Marcius Prætura fungeretur, hoc loco Frontinus noſter enarrat.

7. *vindicandorum*] Hoc eſt retinendæ in ipſis Ductibus aquæ, fraudibus Privatorum ante interceptæ.

8. *& quoniam incrementum Vrbis exigere videbatur ampliorem modum aquæ*] Circa tempus, quo prima Aqua, Appia ſcilicet, perducta fuit, cenſa fuere Civium millia CCL. Circa vero tempus, quo perducebatur Marcia, cenſa fuerunt Civium millia CCCXXVIII, & amplius: ut retulit in *Variarum Obſervationum* Libro Iſaacus Voſſius. Quantum itaque creviſſet Civium numerus apparet. Inſuper credibile ſit, Servorum, Exterorumque hominum numerum magis etiam, quam numerus Civium creverat, pro rata portione creviſſe. Quamobrem mirum non eſt, ſi incrementum Vrbis ampliorem aquæ modum exigere videretur.

9. *ut curaret quatenus alias aquas, quas poſſet, in Vrbem perduceret*] Ita Codices Caſſinenſis, & Vrbinas: in Editionibus autem principe, & Iocundi deeſt particula *quas*.

10. *perduceret* per ampliores *ductus*. Rivis hic, & opere ſupra terram, in Capitolium eam Aquam *duxit*] Legitur in Codice Caſſinenſi ita; *perduceret* .... *ores ductus rei* .... *tertia millio briorum* .... *duxit*: in Codice Vrbinate legitur ita; *perduceret* .... *ores ductus rey* .... *tertio miliario briorum* .... *duxit*: in Editione principe ita; *perduceret*: *Ampliores ductus Reip. cauſſa III milliario fabrorum duxit*: in Editione Iocundi ita; *perduceret* .... *ampliores ductus* .... *reipu. cauſa tertio milliario* ...... *fabrorum duxit*. Ego autem ex iis, quæ viſæ magis probabiles ſunt, conjecturis locum hunc ſcripſi. Primum itaque opinatus ſum. recte verbum *ampliores* loco fragmenti *ores* fuiſſe repoſitum; nam agebatur præſertim de augenda aquæ copia, & ampliores ductus pertinere debebant ad novam aquam: quare ſcripſi *perduceret per ampliores ductus*. Pro *rei* .... *tertia* poſui *Rivis hic* (Marcius) *& opere ſupra terram*; ratus etenim ſum veriſimile, hiſce verbis cœpiſſe Frontinum narrationem perductionis aquæ a Marcio factæ. Neque enim verba illa *Reipu. cauſſa*, quæ in editis libris reperiuntur, viſa fuere propria. Nam etſi eà, quæ fiebant, pertinebant aliquo modo ad Reip. utilitatem: proprie tamen ad utilitatem Vrbis Romæ ſpectabant, non ad totum Imperium: nec quemadmodum *Reip. cauſſa* fiebant bella; ita etiam *Reip. cauſſa* aqua illa perducebatur. Loco igitur verbi, ſeu fragmenti *rei*, quod legitur in Codice Caſſinenſi poſui *Rivis*; ſupplevi lacunam verbis, *hic & opere ſupra*, quæ notis compendiariis in anguſtum redacta eſſe poterant; &, loco verbi *tertia*, *terram* poſui.

11. Loco autem *millio briorum* poſui *in Capitolium*. Quid enim *tertio millio*, vel *tertio milliario* cum hac narratione? certe mihi probabile ſit, Frontinum hic non ſcripſiſſe a quoto milliario perduxerit Aquam Marcius, ſed potius ſcripſiſſe quo eam perduxerit. Nam quod hic a Frontino narratur, videtur veluti propoſitio quædam eorum, quæ fuſius infra deſcribuntur a verbis *Legimus apud Feneſtellam* ad verba *aquam perductam*: infra vero concluditur, aquam fuiſſe perductam *in Capitolium*; ergo

[11] cui ab Authore Marciæ nomen eſt. Legimus apud [12] Feneſtellam, in hæc opera Marcio decretum [13] ſeſtertium *IIII & octogies* : ſed quoniam [14] ad conſum-

ergo veriſimile eſt, etiam in ipſa propoſitione hoc idem fuiſſe narratum. In lacuna ante verbum *duxit* poſui hæc verba, *eam Aquam*; quæ videntur quaſi indicari a ſubſequentibus verbis, *cui ab Authore Marciæ nomen eſt*; ſatis enim bene cohærere viſa fuit tota ſententia: *hic* (Marcius) *eam aquam duxit, cui ab Authore Marciæ nomen eſt*. Verba *fabrorum opera* placere non poterant: quandoquidem de perductione aliarum Aquarum Frontinus ſcribens, ne verbum quidem unum facit de fabris, de ſervis, de lapicidis, quibus omnibus aliiſque operis in Aquis ceteris ducendis, æque ac in Marcia, opus fuit.

11. *cui ab Authore*] Hoc eſt a Marcio, qui eam perduxerat.

12. *Feneſtellam*] Is Feneſtella credendus eſt ille L. Feneſtella, qui *vixit ſub Auguſto, & obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu, ut ait Plinius; vel ut Euſebius, Cumis deceſſit ſub Auguſto*: ſcripſitque Annales, ac alia opera: cujus Fragmenta extant inter Fragmenta Hiſtoricorum veterum; quæ, cum Notis A. Popmæ inſignis Fragmentorum collectoris, reperiuntur ad calcem præſtantis editionis C. Criſpi Saluſtii, adornatæ ab Ioſepho Vaſſe, Cantabrigiæ 1710. In ea tamen, omnium optima collectione (in qua Fragmenta operum L. Feneſtellæ incipiunt a pag. 272 Partis ſecundæ) nihil eſt, quod rem noſtram illuſtret: immo hujuſce loci, in cujus explicatione verſamur, mentio nulla. Nihil ergo afferre poſſumus. Ceterum putamus, minime pertinere ad hunc locum notitiam Pſeudo Feneſtellæ (vere Andreæ Fiochi Florentini) qui Libellum de Magiſtratibus ſcripſit.

13. *ſeſtertium* IIII & octogies] Codex Caſſinenſis habet; *ſeſtertium mine octingenſe*: Codex Vrbinas habet; *ſeſtertium nunc octingente*: Editio Iocundi habet; *ſeſtertium IIII., & octingenties*: Editio princeps; *ſeſtertium mille & octingenties*: quæ ſumma, ſi nihil ſubaudiretur, ob parvitatem huc non conveniret; ſubaudiri autem millia, quaſi diceretur *ſeſtertium mille & octingenties millia*, non poteſt, nam mille millia Latini haudquaquam dixere: at ſubaudiri centena millia, quaſi diceretur *ſeſtertium mille & octingenties centena millia*, vel (pro *mille &* legendo *millies*) quaſi diceretur *ſeſtertium millies octingenties centena millia*, omnino non poteſt; nam, hac ratione, ſumma nimio plus magna evaderet.

II. Antequam vero progrediamur ulterius, præſtabit animadvertere, Ductum Aquæ Marciæ fuiſſe paſſuum 60 millium, & ex iis opere ſupra terram paſſuum 7463: (quod tamen opus ſupra terram, etſi alicubi mutatum, & forte parte aliqua auctum poſt Q. Marcii tempora fuiſſe, ex refectionibus, de quibus certi ſumus, veriſimile fiat; nulla tamen ratio eſt, propter quam credendum ſit, multo minus principio fuiſſe) Ductum vero Aquæ Claudiæ inchoatum a Caligula, perfectum a Claudio fuiſſe paſſuum 46 millium, opere ſupra terram paſſuum 10 millium 81. Nunc, ſi horum Ductuum opera inter ſe conferantur, liquebit ſummam impenſarum pro Claudiæ Ductu majorem ponendam eſſe, quam fuerit ea ſumma, quæ fuit Marcio adſignata; nam Aqua Claudia ducta fuit eo tempore; quo, cum major eſſet in Vrbe pecuniæ copia, impenſius etiam venibant res neceſſariæ ad ædificandum; atque totum id Claudii opus excelſum fuit, ornatum, magnificentiſſimum, longioriſque ſupra terram ſtructuræ. Contra vero, tum credibile eſt, Marcio pecuniam non ſuffeciſſe; ut in ſequente Nota dicetur; tum certum eſt ex eadem pecunia etiam veteres Ductus fuiſſe reficiendos; ſcripſit enim Frontinus ſupra in hoc eodem Art. datum fuiſſe Marcio *negotium eorum Ductuum* Appiæ Anioniſque *reficiendorum*. Quæ cum ita ſe habeant, ſatis quidem apparet; magnam, fuiſſe non tamen immodicam differentiam inter pecuniam impenſam pro Aqua Claudia ducenda,

&

ſummandum negotium non ſufficiebat, [15] ſpatium Præturæ in annum alterum eſt prorogatum. [16] Eo tempore Decemviri, dum [17] aliis ex cauſſis Libros Sibyllinos inſpiciunt, inveniſſe dicuntur, non eſſe Aquam Marciam,

---

& pecuniam Marcio adſignatam. Erogatæ autem in Claudii opus pecuniæ ſummam litteris mandavit Plinius in Lib. XXXVI. Cap. 15, quæ ab Harduino (Vide Plinii editi in uſum Ser. Delphini Tom. V. pag. 317) ita legitur; *ſeſtertium quinquagies quinquies & quingenties centena millia*. Huic vero ut adſtipuler faciunt & gravis modus, quo rem narrat ipſe Plinius, & Claudii Imperatoris ſumptuoſa magnificentia, & ipſa operis excelſa magnitudo, & aliæ rationes.

III. His quaſi in antecesſum animadverſis, venio nunc ad Editiones, quæ habent; *ſeſtertium IIII & octingenta* ſive *octingenties*. Si millia ſubaudias; ſeſtertium IIII & octingenta millia exiguam nimis ſummam efficient: ſi ſubaudias centena millia; ſumma erit major illa, quam Claudius impendit, ideoque multo major, quam ut credi poſſit. Propter hæc igitur, primum reor, legendum quidem, ſeſtertium *IIII*: nam illud mille primæ editionis provenire potuit ex eo, quod aliquando quattuor unitates, ruditer ſcriptæ, pro millenario ſumtæ fuerint; cum numerus millenarius, corrupta jam antiqua ſcribendi ratione, deſignaretur littera M, habente pariter quattuor crura. Deinde conjicio, pro *octingenta*, ſeu *octingenties*, eſſe legendum *octogies*; facillime etenim contingere potuit, ut hoc pro illo vocabulo Librarii ex errore ſubſtituerint. Itaque puto, fuiſſe decretum Marcio *ſeſtertium IIII & octogies*; hoc eſt ſeſtertium IIII & octogies centena millia: quæ ſumma reſpondet (æquando unum ſeſtertium quinque venetis denariis, & denarios ducentos uni argenteo Nummo Philippeo, ut fert hodierna apud nos æſtimatio) Philippeis 210000.

14. *ad conſummandum negotium non ſufficiebat*] Id opinor, tum de tempore, tum vero de pecunia eſſe intelligendum. De tempore; nam Prætura in alterum annum prorogata: de pecunia; namque, cum poſt pecuniæ mentionem continuo dicatur *non ſufficiebat*, credibile eſt, etiam pecuniam defeciſſe; de cujus deinde ſupplemento vel nihil dixerit Feneſtella, vel nihil voluerit Frontinus huc transferre. Ita Plinius de tempore, quo prorogata Marcio fuit Prætura, nullam mentionem fecit ubi, in Lib. XXXXVI. Cap. 15, de Marcia Aqua a Q. Marcio perducta ita ſcribens; *Marcius Aquam novam a nomine ſuo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ ſuæ tempus adduxit*; ne unum quidem verbum facit de Præturæ ejus prorogatione.

15. *ſpatium Præturæ in annum alterum eſt prorogatum*] Ita Codices Vrbinas, & Caſſinenſis; niſi quod, loco verbi *ſpatium*, legitur *ſtatium*. Hæc vero, quam ſecuti ſumus, lectio præſtare videtur Librorum editorum lectioni. Porro Editio Iocundi, aliæque ita habent; *ſtatuit Senatus præturam in alterum annum prorogari*.

16. *Eo tempore Decemviri*] Ita Codex Caſſinenſis: Codex Vrbinas, & Iocundi Editio habent; *Eodem tempore Decemviri*. Decemviri, quos Frontinus hoc loco nominat, *Sacrorum* dicebantur, ut ab aliis Decemviris diſtinguerentur; erantque Sibyllinorum Librorum Cuſtodes.

17. *aliis ex cauſſis*] Cauſſæ, propter quas Sibyllinorum Cuſtodes Libros Sibyllinos præſertim inſpiciebant, erant peſtilentiæ, atque prodigia. Quæ vero a Frontino cauſſæ non afferuntur, prodigia fuiſſe credibile eſt. Equidem a Decemviris Sibyllinos Libros fuiſſe inſpectos Ap. Claudio Pulcro, & Q. Cæcilio Metello coss. fit vero ſimillimum, propterea quod horum Conſulum (qui Galbæ & Cottæ ſucceſſere) Magiſtratus incidit in alterum annum prorogatæ Marcii Præturæ: immo Frontinus

ciam, sed Anionem [18] (de hoc enim constantius traditur) in Capitolium perducendam.; [19] deque ea re [20] in Senatu a Lepido pro Collegio verba faciente, actum Appio Claudio, Q. Cæcilio coss. [21] eandemque post annum III a L. Lentulo retractatam [22] C. Lælio, Q. Servilio coss. [23] sed utroque tempore vicisse gratiam Marcii Regis; atque ita esse in Capitolium Aquam

---

tinus hoc idem videtur aperte significare dum hos Consules paullo infra nominat. Iulius vero Obsequens in Libro, cui *de Prodigiis* titulus est, posito pro temporis nota consulatu Claudii, & Cæcilii, hæc habet; *Amiterni puer tribus pedibus natus. Cauræ (Coræ* legit Schefferus, Perizonius *Cære) sanguinis rivi e terra fluxerunt. Cum a Salassis illata esset clades Romanis, Decemviri pronunciaverunt, se invenisse in Sibyllinis, quoties bellum Galli illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere.*

18. *(de hoc enim constantius traditur)*] Videtur indicari, non omnes tradidisse, eam Aquam, quæ erat ducenda in Capitolium fuisse Anionem, de Anione tamen plerosque tradidisse: atque ideo hanc magis constantem traditionem habendam.

19. *deque ea re*] Hoc est de quæstione, num Aqua Anio loco Marciæ in Capitolium ducenda esset.

20. *in Senatu a Lepido pro Collegio verba faciente*] In omnibus Codicibus, & Libris editis legitur; *pro Collega*. Stephanus Vinandus Pighius, in Annal. Vol. II. pag. 471, ait; sibi probari, Lepidum fuisse Prætorem Vrbanum; qui pro Decemviris verba fecerit; conjiciens mendose legi *pro Collega*, cum *pro Collegio* (pro Collegio scilicet Decemvirorum) legendum esset. Autumat etiam, Lepidum Prætorem, absentibus Consulibus, ad Senatum retulisse de hac Aqua. Nos secuti sumus eam emendationem: sed nos ea ratio præsertim movit; quod Frontinus infra scribit, *vicisse gratiam Marcii Regis*; idque ubi scribit, aperte indicat, aliquos fuisse Marcio adversatos: itaque narrari a Frontino quinam fuerint adversati Marcio, idest quinam *pro Collegio* Decemvirum verba fecerint, credibile magis est, quam narrari, qui verba fecerint pro Marcio: nam pro Marcio verba facta fuisse a Collega (ab alio Prætore) dicendum esset, si legeretur, ut legebatur, *pro Collega*.

II. Ceterum, quem Magistratum Lepidus, Claudio, & Cæcilio coss. gereret, non constituam: id unum addam; credibile fieri, Prætorem peregrinum (quem non nominat Pighius) hujusce anni ab illis Consulibus denominati fuisse ipsum Marcium Regem, cui in hunc alterum annum erat Prætura prorogata.

21. *eandemque post annum tertium a L. Lentulo retractatam*] Eadem quæstio, num Aqua Anio loco Marciæ ducenda in Capitolium esset, retractata fuit. Num vero Lentulus Prætor eo tempore fuerit, non ausim asserere: neque enim id Frontinus dixit, neque veterem Authorem alium, qui de hac re verba fecerit, inveni: plane tamen existimo, Lentulum quoque pro Collegio verba fecisse. Pighius autem, qui ponit, hunc Lentulum, propositæ controversiæ tempore, Vrbani Prætoris munere functum fuisse, hanc notitiam ex eodem citato Frontini loco haurire voluisse videtur.

22. *C. Lælio, Q. Servilio coss.*] Hi Consules C. Lælius C. F. C. N. Sapiens. Q. Servilius Cn. F. Cn. N. Cæpio, qui ita a Pighio, & a Sigonio in Fastis nominantur, magistratum gesserunt anno (secundum Frontinianam rationem) V. C. 612; ut ex iis, quæ de Frontiniana computandi annos ratione dicentur paullo infra in Nota 4 Art. 9, & ex Anonymi Consularibus Fastis liquere potest.

23. *sed utroque tempore vicisse gratiam Marcii Regis*] Ita Codices omnes: Editio priu-

Aquam perductam. [24] Concipitur Marcia, Via Valeria, [25] ad milliarium XXXVI, Diverticulo euntibus ab Vrbe

---

princeps habet; *vicisse gratiam Q. Marcii Regis*: Editio autem Iocundi habet; *vicisse gratiam M. Titii*: sed præstant priores illæ lectiones, ut supra ad verba, *datum est a Senatu negotium Marcio*, fuse ostendimus. Narrat igitur hoc loco Frontinus, utroque tempore, quo de Aqua ducenda in Capitolium quæstio agitata fuit, vicisse (non dicit id, quod æquum justumque) gratiam Marcii Regis; idest benevolentiam & favorem, quibus Marcium Regem Senatores prosecuti sunt: sic neutro tempore fuisse impeditum, quin Aqua Marcia in Capitolium dirigeretur, & tandem perduceretur.

24. *Concipitur Marcia, Via Valeria*] In designanda singularum Aquarum (si veterem Anionem excipias) origine, proponit Frontinus Viam aliquam Militarem, per quam proxime ad ipsam originem perveniatur. At opinor, de Aquæ Marciæ origine præstari id dupliciter: primum ubi narratur quantum, secundum Viam Valeriam & Diverticulum ab hac Via in Sublacensem Viam, ab Vrbe distaret Marciæ Aquæ origo: deinde ubi distantia pariter originis Aquæ ejusdem ab Vrbe secundum Viam Sublacensem describitur. Quod quasi in antecessum putavi monendum, cum tota hæc periodus valde obscura esse videatur.

II. Locus autem me admonet, ut referam, quæ de Aquæ Marciæ origine habet Plinius, qui in Lib. XXXI, Cap. 3 ita scribit; Oritur Marcia Aqua *a Fonte Piconia* (*Pitonia* mallet Harduinus) *in ultimis Pelignorum montibus, transit Marsos, & Fucinum Lacum, Romam non dubie petens*. Quare a Plinio videtur Statius (Lib. I. Syl. de Bal. Etr.) mutuatus illud

...... Marsasque nives, & frigora ducens
Marcia ....

Adversus quam Plinii narrationem Holstenius (cui Fabrettus, Num. 222 subscribit) *hanc*, scribit, *fabulam non alio loco habendam existimo, quam quo occultos amantis Alphei meatus*. Hæc quidem videntur duriuscule scripta: attamen fateri debeo, me haud videre, qua ratione ea Plinii narratio defendi queat.

25. *ad milliarium XXXVI, Diverticulo*] In Libris editis legitur; *ad milliarium XXXIII*. At Fabrettus recte monuit in Num. 159, *ad milliarium XXXVI* esse reponendum: *& Frontini numerum XXXIII junctis in imo priorum unitatum apicibus, sic XXXVI, pluribus suadentibus esse emendandum*. Vt vero ea, quæ me maxime movit, a Fabretto allata vero simillima ratio intelligeretur facilius; curavi, ut REGIONIS INTER TIBVR CARSEOLOS ET SVBLACVM DELINEATIO haberetur in Tabula, quæ notatur littera I; quam regionem Fabrettus attente diligentissimeque peragravit, ac summa fide descripsit in sæpe laudati Operis pag. 66. In ea Delineatione visuntur, Via Valeria, Via Sublacensis, Diverticulum a Via Valeria in Sublacensem: illas autem Vias, ac illud Diverticulum factis tam certis conjecturis recognovit Fabrettus, ut omnino probabile sit; illum antiquas Vias, antiquumque Diverticulum, de quibus Frontinus noster loquitur, invenisse.

II. Nunc venio ad ea ipsa, quibus Fabtettus probat, indicatum a Frontino Diverticulum a Via Valeria in Sublacensem ad XXXVI lapidem esse reponendum. Primum itaque statuit, Tibur distare ab Vrbe milliariis XX: hæc etenim distantia in Antonini Itinerario repetitur; hæc assumitur a Mattiale in iis versibus ad Faustinum (Lib. IIII. Epig. 57)

Tu colis Argivi Regnum, Faustine, Coloni,
Quo se bis decimus ducit ab Vrbe lapis.

Deinde narrat in Num. 160, ut nota ipsi fuerit inter Tibur, & Diverticuli initium distantia XVI milliariotum; *cujus*, scribit, *mensuram rotario instrumento ad Cisium applicato viæ collegimus; quæ quamvis non omnino ad amussim mathematicam consistat; parum*

E tamen,

Vrbe Roma dextrorſus millium paſſuum III: [26] Sublacenſi autem [27] (quæ ſub Nerone Principe primum ſtrata eſt) ad milliarium *XXXVI* ſiniſtrorſus [28] intra paſſuum CC .... ſtatim .... colore

---

tamen , nec quid , quod ad rem faciat , a vero aberrantem expertus ſum . Quare ſi colligantur XX illa milliaria diſtantiæ Tiburis ab Vrbe cum hiſce milliariis XVI, diſtantiæ (ſecundum Viam Valeriam) Tiburis a Diverticulo, prodibunt milliaria XXXVI, quæ ad Frontini contextum emendandum reponi debent.

III. Hanc Notam (ut & quaſdam alias) ſcripſeram priuſquam Codicum exemplaria haberem. Poſt autem inveni in Codicibus Caſſinenſi, & Vrbinate ſcribi; *ad milliarium trigeſimum ſextum* . Verum , etſi videbatur hoc loco fides Codicum ſatis eſſe poſſe, nolui tamen rationem præclaram Fabretti, jam ſcriptam, præterire.

26. *Sublacenſi autem*] Codices Caſſinenſis , & Vrbinas habent ; *millia paſſuum trium , Sublacenſi autem* : Editio Iocundi habet ; *millia paſſuum trium villa ſublacenſi atque:* ſed in hac Editione; inque aliis , quæ hanc ſecutæ ſunt , verbum illud *villa* perperam inſertum . Origo erroris ex eo manavit (ut opinor) quod in Editione principe habetur *millia paſſuum VI, Sublacenſi :* quare cum ex milliariorum numero *III* factus eſſet numerus *VI* , deinde interpoſuerunt ternarium ; & loco numeri *VI*, legerunt Vi; ex verbo autem vi (quoniam villam ſublacenſem Nero habebat) verbum *villam* efformavere . At quantum particula *autem* præſtet particulæ *atque* , eſt per ſe manifeſtum. Codicum igitur lectionem ſecutus omnino ſum. Quod vero ad ipſa Frontini verba interpretanda ſpectat , opinor ; Frontino non ſatis fuiſſe, oſtendere ſecundum Viam Valeriam originem Aquæ Marciæ (omnium Aquarum optimæ) ſed idem iterum efficere voluiſſe etiam ſecundum aliam Viam (ut ſupra in Nota 24 hujuſce Art. indicavi) ideſt, ſecundum Viam Sublacenſem: atque reor , hoc etiam in loco ſubaudiri verba illa ; *Concipitur Marcia* ; quaſi ſcriptum ſic eſſet ; Concipitur Marcia , Via Sublacenſi ad milliarium trigeſimumſextum ſiniſtrorſus &c.

II. Fateor autem , in Codicibus , & Libris editis legi ; *ad milliarium trigeſimum octavum* , non *ad milliarium trigeſimum ſextum* . Sed Diverticulum , quod directum in Sublacenſem a milliario XXXVI Viæ Valeriæ, erat longitudine milliariorum trium, pervenire haud poterat ad XXXVIII milliarium ipſius Viæ Sublacenſis ; ut ex ſola obſervatione REGIONIS, delineatæ in Tab. I, ſatis fit manifeſtum. Præterquamquod, ſi Marcia originem habuiſſet *Via Sublacenſi ad milliarium XXXVIII ſiniſtrorſus intra paſſuum ducentorum &c.*: quando etiam Claudia, ut infra in Art. 14 Frontinus ſcribit , concipiebatur *Via Sublacenſi ad milliarium XXXVIII Diverticulo ſiniſtrorſus intra paſſus CCC* , jam origines Marciæ & Claudiæ quam proximæ fuiſſent, quod propter diverſa Ductuum itinera , aliaſque rationes , credibile non eſt . Quare, cum in jam dicta mentione Viæ Sublacenſis , nihil mihi probabilius eſſet, quam deſignari Viam illam ad indicandam Marciæ originem ; numerum (qui facillime vitiari potuerat) emendandum, vertendumque in XXXVI, opinatus ſum.

27. (*quæ ſub Nerone Principe primum ſtrata eſt*)] Ita Codices Caſſinenſis, & Vrbinas : in Editione Iocundi deſunt particula *quæ* , & verbum *eſt* . Hæc autem de munitione Viæ Sublacenſis dicta , per parentheſim dicta eſſe videntur , ad id tantum, ut hinc notior fieret Via illa Sublacenſis.

28. *intra paſſuum cc .... ſtatim .... colore perviridi*] Codex Caſſinenſis habet ; *intra paſſuum ducenterum fontin ..... ſub ... . bus petrei .... ſtatim ...... ſtagy une .... colore perviridi* : Codex Vrbinas ; *intra paſſuum ducent rum fontiu .... ſub .... bus prete .... ſtatim*

colore perviridi. [29] Ductus ejus habet longitudinem a capite ad Vrbem passuum LX millium & MDCCX & semis: rivo subterraneo passuum LIIII millium CCXXXXVII semis: opere supra terram passuum VII millium CCCCLXIII; [30] *ex* eo longius ab Vrbe [31] pluribus locis per P. R. vallis opere arcuato passuum CCCCLXIII; propius Vrbem a VII milliario, substructione passuum DXXVIII; reliquo opere arcuato passuum VI millium CCCCLXXII.

Cn.

---

tim .... stagnimo .... colore priviridi: Editio Iocundi; *insra spacium passuum ducentorum finita substructionibus pene statim stagnino colore perviridi*: Scaliger autem in Variis Lectionibus mallet, pro *stagnino*, legi *signino*. Sed ut verba, illa quæ in Iocundi Editione sunt, cum Codicum scriptura, pluribus hiante lacunis, conferri queant, non video. Quin, etiamsi recipere vellem quæ a Iocundo reposita sunt, ea (ut verum fatear) nescirem explicare: quæ enim ibi a Iocundo leguntur, conceptioni Aquæ Marciæ applicare omnino nescio. Itaque satius duxi, rem, ad quam nec pervenire, neque etiam accedere poteram, intentatam præterire, lacunasque desperatorum verborum loco relinquere.

29. *Ductus ejus habet longitudinem &c.*] in numeris pertinentibus ad hunc Ductum secutus sum Codicem Cassinensem (excepto numero 6473; quem, perexigua facta mutatione, converti in *6472*: re ita exigente) qui numeri inter se comparati consentiunt: non ita vero numeri in editis Libris, qui sunt prorsus depravati. Ductus integer a capite ad Vrbem erat passuum 61710 cum dimidio. At Rivus subterraneus erat passuum 54247 cum dimidio; & opus supra terram passuum 7463; qui duo numeri in unam summam collecti dant numerum 61710 cum dimidio; estque hic, ut oportet, æqualis numero exprimenti longitudinem integram Ductus. Præterea, opus arcuatum longius ab Vrbe erat passuum 463; propius Vrbem substructio erat passuum 528; reliquum opus arcuatum passuum 6472; qui tres numeri in unam summam collecti dant numerum 7463, qui prorsus æqualis est, ut oportet, numero exprimenti longitudinem integri operis supra terram. Hujuscemodi comparationibus, ad examinandos similes inferiores numeros, usus sum: etsi, vitandæ prolixitatis nimiæ caussa, singulas comparationes non referam.

30. ex *eo*] Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent dumtaxat, *eo*. In Codice Cassinensi legitur pariter solum, *eo*; sed lacuna voculæ *eo* anteposita est: quam lacunam replendam particula *ex*, ratus fui. Namque hoc loco Frontinus partes operis supra terram recenset; & quæ *ex eo* longius ab Vrbe distarent, quæ propius essent, quæ constarent substructione, enarrat. Addidique particulam *ex* facilius, quoniam infra in similibus descriptionibus hæ voculæ, *ex eo*, sæpe reperiuntur.

31. *pluribus locis per P. R. vallis opere arcuato*] Codex Cassinensis habet; *pluribus locis P. R. vallis opere arcuato*: Codex Vrbinas; *pluribus locis per p. r. vallis opere arcuato*: Editio Iocundi, quam aliæ secutæ sunt; *pluribus locis privatis & publicis &. D. vallis opere arcuato* Hujusce autem postremæ lectionis verba *privatis & publicis*, quæ desunt in Codicibus, minime admittenda existimavi: littera illa, *D.* quid significaret, omnino non percepi. Itaque secutus sum Codicem Vrbinatem, nonnisi tamen in particula *per* a Cassinensi Codice discrepantem. Verbum autem *vallis* assumsi tamquam accusativum multitudinis; qui, cum genitivus exit in *ium*, exit aliquando in *is*. Et quemadmodum (notante Gellio Lib. XIII. Cap. 20)

 Virgi-

¶ Art. 8. ¶ [1] Cn. Servilius Cæpio, & L. Caſſius Longinus, qui Ravilla appellatus eſt, Cenſores, [2] anno poſt Vrbem Conditam DCXXVII, [3] M. Plautio *Hypſæo*, Fulvio Flacco coss. [4] Aquam, quæ vocatur Tepula, [5] ex Agro Lucul-

---

Virgilius aliquando *Vrbis*, pro *Vrbes*, dixit; ita Frontinus fortaſſe ſcripſit *vallis*, pro *valles*. Nam Frontinum, qui prius poſuit hæc verba *pluribus locis*, deinde voluiſſe ſubſequentibus verbis *per Populi Romani valles* (aut *vallis*) explicare quænam eſſent ea loca, credibile eſt. Et quoniam de opere arcuato Frontinus verba facit, quod opus ad trajiciendas valles præſertim comparabatur; iccirco videtur hinc probabilior reddi conjectura, ut ſcriptum fuerit a Frontino, *per Populi Romani valles* (aut *vallis*).

¶ Art. 8. 1. *Cn. Servilius Cæpio &c.*] In Codicibus *Scypio*, non *Cæpio* ſcriptum videtur: quoniam tamen in Servilia Gente *Cæpio* illuſtre cognomen fuit, & quoniam adeſt Velleii teſtimonium, ſatis perſpicuum fit, *Cæpio* eſſe legendum. De his autem Cenſoribus mentio fit etiam a M. Tullio Cicerone, in Lib. III. Accuſationis in C. Verrem, paullo ante Libri finem, his verbis; *corriguntur leges cenſoriæ: quod enim video in multis veteribus legibus; Cn. Domitius, L. Metellus; L. Caſſius, Cn. Servilius addiderunt &c.* Nominat eos etiam C. Vellejus Paterculus Hiſtoriarum Lib. II. Cap. 10. *Perſequamur*, ait, *notam ſeveritatem Cenſorum Caſſii Longini, Cæpioniſque*. Neque tamen Cicero, neque Paterculus indicavere *Ravillæ* cognomen, quod a Frontino litteris mandatum fuit. Quin etiam fortaſſe periiſſet ſine Frontini Libro annus, quo hi Cenſores Magiſtratum geſſerunt: ipſum etenim annum ex hoc Frontini loco ſumſiſſe videntur ii, qui Faſtos Magiſtratuum Romanorum ex veteribus Authoribus collegere.

2. *anno poſt Vrbem Conditam DCXXVII.*] Ita Codices, & Libri editi: qui conſenſus, ob inferius dicenda, notandus eſt.

3. *M. Plautio* Hypſæo, *Fulvio Flacco coss.*] Poſuerat Frontinus Conſules anni 608 Ser. Sulpitium Galbam, & L. Aurelium Cottam; quare inter eos & hos Conſules debuerunt intereſſe Conſulum Collegia 18. Collegia autem 18 ponunt Faſti, Authore Anonymo (quos Henricus Noris, non ſine eximia laudis præfatione, edidit in calce eruditiſſimi Libri, cui titulum fecit, *Annus & Epochæ Syromacedonum*) tum vero in tempore magiſtratus illorum Conſulum, tum in iſtorum tempore, Frontinus duobus annis ab annis Anonymi deficit. Hæc vero utriuſque Collegii, & ſequentis (ut infra dicemus) convenientia mihi perſuaſit, nihil eſſe mutandum; & numerum, qui annum V. C. 627 exprimit, recte, juxta Frontinianam annos computandi rationem, ſe habere.

II. Quod vero ad cognomen, *Hypſæo*, attinet: Codex Caſſinenſis habet; *Hypſaponi*: Codex Vrbinas, & Editio Iocundi; *Hypſapone*. Sed in Variis Scaligeri Lectionibus, & in Pighii, atque Sigonii Conſularibus Faſtis cognomen hujuſce Conſulis legitur *Hypſæus*: & quod me magis movit, ex Livio, Lib. XXXVII. Cap. 47, conſtat, in *Plautia* Gente fuiſſe *Hypſæorum* Familiam; conſentitque Anonymus in ſuis Faſtis, qui huic Conſuli tribuit cognomen *Hypſæo*. Quamobrem in eam ſententiam ivi, ut crederem in Frontini Libro id cognomen ex incuria Librariorum fuiſſe corruptum, legendumque, ut ſcripſi: ivi tamen (fateor) in eam ſententiam cunctanter; tum quia ægre a Codicibus recedebam; tum quia animadvertebam, in eadem illa Gente extitiſſe cognomina *Venno* & *Venox*; unde ſuſpicabar fieri etiam potuiſſe, ut extiterint cognomina *Hypſæus*, & *Hypſapo*.

4. *Aquam, quæ vocatur Tepula*] Vt credibile eſt, a voce *tremor* adjectivum *tremulus a um* proveniſſe; ita quoque probabile fit, a voce *tepor* manaſſe adjectivum *tepulus a um*: quo ſignificentur res tepore aliquo præditæ, aut ſaltem non admodum frigidæ. Itaque conjicio, aquam Ductus modo propoſiti non admodum frigidam fuiſſe, atque ideo *Tepulæ* vocabulo nuncupatam.

5. ex

Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam, [6] & in Capitolium adducendam curaverunt. Tepula concipitur Via Latina [7] ad x milliarium, Diverticulo euntibus ab Roma dextrorsus millium passuum [8] II; *atque* inde *rivo* suo in Vrbem [1] perducebatur. ¶ *Postea* M. Agrippa [2] AEdilis post primum ¶ Art. 9.
consu-

5. *ex Agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt*] Ita Codices, & Libri editi. Porro, hunc Agrum Lucullanum in spatium patuisse plurium millium passuum, ex eo colligo, quod supra in Art. 5 Frontinus habet; *Concipitur Appia in Agro Lucullano Via Prænestina inter milliarium VII, & VIII*: hoc autem in loco habet, ductam fuisse ex eodem Agro Tepulam, quæ concipiebatur Via Latina ad X milliarium: insuper subdit infra in Art. 10, Aquam Virginem, quæ concipiebatur *Via Collatia, in Agro Lucullano* fuisse collectam. Hinc itaque manifestum est; Agrum Lucullanum longitudine III circiter passuum millium patuisse; latitudine vero saltem spatia inter Collatinam Viam, ac Latinam æquavisse. Cum autem vox hæc *Ager* pluribus prædita sit significationibus; quas inter, aliquando Territorium alicujus Vrbis significet; aliquando partem aliquam ipsius Territorii, quæ privatim ab aliquo possidetur: reor hunc Agrum postrema hac significatione fuisse assumtum; dictumque Lucullanum tamquam si totus ad Lucullum, qui magnificam Villam, & prædia plurima habuit in locis illis, pertinuisset. Num vero magnus ille Ager reapse pertinuerit totus ad Lucullum; an vero nomen Lucullí longe lateque se extenderit, definire non ausim. Quin tamen primum illud probabile mihi fiat, etsi Lucullum ditissimum fuisse constat, valde impediunt cum Agri adeo vicini Vrbi Romæ magnitudo, tum etiam aliæ villæ, quas Lucullus in aliis locis, præsertim contra Puteolos, possedit.

II. Quid vero postrema illa verba significent, *quem quidam Tusculanum credunt*, vix video. Nisi sententia sit hæc: quem Agrum Lucullanum aliquando fuisse partem Agri Tusculani, quidam credunt. Id enim vicinitas Tusculi potest suadere. Profecto res haud indigna est, quam considerent qui Chorographiæ veteris Latii emendandæ operam navant.

6. *& in Capitolium*] Non ergo amplius curæ alicui erat, ut in Capitolium Anio, non alia Aqua perduceretur; quemadmodum curæ fuerat cum Marcia ducta est.

7. *ad X. milliarium*] Ita Codices: Editiones habent; *ad XI. milliarium*.

8. *II*; atque *inde* rivo *suo in Vrbem perducebatur*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent ita; *duum ...... inde ...... suo in Vrbem perducebatur*: Editio Iocundi habet; *duum inde rivo suo in Vrbem perducebatur*. Quare ex duobus Codicum lacunis supplevi ultimam verbo *rivo*, quod recte & ad rem positum visum est: supplevi autem primam particula *atque*, visa etenim ibi est apposita conjunctio. Supplementum tamen hoc ex conjectura apposui; illud ex conjectura admisi.

1. *perducebatur*. Postea *M. Agrippa*] Codex Cassinensis; *perducebatur post ...... Agrippa*: Codex Vibinas; *perducebatur post. M. Agrippa*: Libri editi; *perducebatur Iulia post mixta*: *Nam Agrippa*. Ratus vero sum, verba illa *Iuliæ post mixta* fuisse intrusa; commixtio enim Aquæ utriusque narratur infra melius, atque opportunius: inde factum etiam fuit, ut particula *nam* interponeretur, qua copularentur sententiæ. Satius ideo existimavi sequi Codicem Vrbinatem; in quo, littera *M.* prænominis Agrippæ, lacuna Codicis Cassinensis rectissime suppleri videtur. Mutavi dumtaxat particulam *post* in *Postea*, persuadente eam perexiguam additionem & ipsa particulæ significatione; & sono verborum, propter illam, quæ mox subsequitur alia ¶ Art. 9.
parti-

consulatum, [3] Imperatore Cæsare Augusto II, L. Volcatio COSS. [4] anno post Vrbem Conditam DCCXVIIII, ad

particula *post*; & lacuna statim ultra verbum *post* in Cassinensi Codice, qua in lacuna postremam partem particulæ *Postea* periisse, credibile est.

2. *AEdilis post primum Consulatum*] AEdilitas curulis non erat ex Majoribus Magistratibus, Consulatus autem ex Majoribus erat: quamvis autem aliquis alius, præter Agrippam, minorem Magistratum post Majorem gesserit; id tamen raro contigit; ideirco res a Frontino notata est. Gessit AEdilitatem Agrippa munificentia & liberalitate incredibili, *ut Pop. Romanum sibi, & suo Cæsari conciliaret*; quod Pighius in Vol. III. pag. 498, recte animadvertit: at quod idem Pighius, nominans ibidem Frontinum, qui mentionem fecerat de Agrippæ AEdilitate, jubet, Frontini narrationi addi *quas Aquas* (Agrippa) *induxerit*; id minime probari potest: nihil enim ejusmodi proposita in Frontini narratione desideratur.

3. *Imperatore Cæsare Augusto II, L. Volcatio coss.*] Codex Cassinensis habet; *Imperatore Cæsare Augusto* II. *L. Volcatio*: Codex Vrbinas habet; *Imperatore Cæsare Augusto N. L. Volcatio*: Editio Iocundi, & pleræque aliæ habent; *Imperatore Cæsare Augusto, M. Lælio Volcatio coss.*. Error ex eo ortus, quod Cassinensis Codicis duæ litteræ II recte indicantes secundum Augusti consulatum, lectæ perperam fuere pro littera *n* (ut in Vrbinatis Codicis descriptione etiam contigerat) fuitque eadem littera *N* in *M* transformata, ac assumta tamquam Consulis prænomen: littera vero L. (quæ prænomen *Lucium* significabat) tamquam nota nominis hujusce, *Lælius*, assumta: itaque, *M. Lælio Volcatio*, posuit perperam Iocundus, & post ipsum, tum aliarum editionum curatores, tum qui his sunt adstipulati, falsum id nomen assumsere. Porro hujusce Volcatii prænomen fuisse L., & Codices, & Dio evincunt: idem ponitur in Panvinii Fastis, & in Petri Appiani Tabulis, eodem Panvinio teste. Cognomen vero ei fuisse *Tullo*, Dio habet: atque in Fastis Anonymi ab Henrico Noris editis, nomina horum Consulum ita leguntur; *Augusto II. & Tullo*. Præterea ipsius Dionis auctoritate (qui hos Consules nominat Libro XLIX.) confirmatur; magnificam AEdilitatem Agrippæ Consularis in annum prædictum horum Consulum incidisse.

4. *anno post Vrbem Conditam DCCXVIIII*] Ita Codices, & Libri editi. Inter coss. M. Plautium Hypsæum, Fulvium Flaccum, & coss. Imperatorem Cæsarem Augustum II, L. Volcatium Tullum (juxta numerum hunc 719 a Frontino positum, & numerum annorum V. C. 627 superius item a Frontino adsignatum) interesse debuerunt Collegia Consulum 91: totidem vero intersunt inter eosdem Consulatus in egregiis modo citatis Fastis Anonymi ab Henrico Noris editis. Itaque etiam hoc loco numerus annorum V. C. 719 duobus annis deficit a numero annorum V. C. 721, quem hisce Consulibus Augusto II, & Tullo adsignat Anonymus.

II. Quæ cum ita sint, in Nota hac, in Nota 2 Art. 7, & in Notis 2 & 3 Art. 8, tria habemus Consulum Collegia post annum ab V. C. quingentesimum (post quem constantem esse inter Authores dissensum, diximus jam in Nota 2 Art. 3) quibus Collegiis anni respondentes, sumti ut in Codicibus Librisque editis Frontini leguntur, duobus semper annis deficiunt ab annis iis, qui ab Anonymo iisdem illis Collegiis adscribuntur: ut in apposita Tabella videre est.

CONSVLVM COLLEGIA.	anni desumti ex Frontino.	anni desumti ex Anonymo.
Ser. Sulpicius Galba. L. Aurelius Cotta.	608.	610.
M. Plautius Hypsæus. Ful. Flaccus.	627.	629.
Imperat. Cæs. Augustus. II. L. Volcatius Tullus.	719.	721.

Quare

ad milliarium ab Vrbe XII, via Latina, euntibus ab Roma dextrorsus [5] millium passuum duum, [6] alterius proprias vires collegit, [7] & Tepulæ rivum intercepit, [8] acquisitæque ab inventore [9] nomen Iuliæ [10] da-

Quare propter hanc differentiarum constantem quantitatem, jam ter observatam, reor, annum 719 recte esse indicatum: reor etiam, reliquos annorum numeros, infra hosce positos, depravate scriptos, sic emendari oportere; ut duobus solidis annis, annorum Frontinianorum numerus a numero annorum citati jam Anonymi deficiat: Quod vero attinet ad Epocham Vrbis Conditæ, etsi Anonymus primos Consules Brutum, & Collatinum refert in annum V. C. 246, qui secundum Varronianam Epocham in annum 245 referuntur; ex plurimis tamen aliis Consulum Collegiis videtur Varronianam Epocham sequi: idque si ita fuit, atque si Frontinus etiam in Epocha sua duobus annis defecit ab Epocha Anonymi, profecto Epocha a Frontino adhibita duobus annis, quam Varroniana Epocha tardior fuit, & quæ referretur in annum primum Olympiadis septimæ; quo anno plures sane ex antiquis, & ex recentioribus doctis Viris Vrbem Conditam fuisse credidere. Et quidem Antonius Pagius in Prolegomenis ad Dissertationem Hypaticam, Art. XV. scripsit, *a Frontino Vrbis conditum duobus annis tardius consignari, ita & duos annos minus, quam Varro numeret, semper numerare*. Verum quoniam Norisius in Epistola Consulari, pag. 27, adversatur Pagii sententiæ, & nihil de Frontiniana Epocha determinat, sed rem ponit his verbis, ceu dubiam, *quamvis Frontinus diversam a Varroniana Epocham forte usurpavit*; & quoniam nihil proprie de Epocha ipsa a Frontino usurpata in ejus Libris reperitur, rem in medio relinquam. Vbi enim satis (ut arbitror) rationem, qua Frontinus, post quingentesimum, annos ab V. C computavit, ostendi; eas conjecturas, quasi corollarii loco, de Frontiniana Epocha attulisse, sufficiet.

III. Demum, id moneam, oportet; quotiescumque infra ponam numerum aliquem annorum ab V. C. (qui excedat quingentesimum annum) nec quidpiam de Epocha, aut de alicujus Authoris ratione computandi annos ab V. C. adjiciam; intelligam annos sumtos secundum Frontinianam rationem, deficientesque duobus annis ab annis Anonymi.

5. *millium passuum duum*] Ita Codices: Editio Iocundi, & pleræque habent; *millium passuum XII*: quantus vero error inesset in eo numero *XII* millium passuum numerandorum in Diverticulo distante ab Vrbe tantum 12 milliariis; consideranti vel leviter rem, positionesque Viarum, manifestissimum erit.

6. *alterius proprias vires collegit*] Ita Codex Vrbinas, & Editio princeps: Codex vero Cassinensis habet; *alterius quæ proprias vires collegit*. Editio Iocundi habet; *alteriusque proprias vires collegit*. Sed posteriores has lectiones sequi non potui propter explicationis earundem difficultatem; atque hoc loco (particulam enim *quæ* habui pro intrusa in Cassinensem Codicem) Vrbinatem Codicem præferre coactus sum: plane existimans, propositorum verborum sententiam esse reputandam hanc; M. Agrippa alterius aquæ proprias vires (idest, alterius aquæ rivulos sparsim fluentes) in unum rivum corrivavit.

7. *& Tepulæ rivum intercepit*] Hoc est avertit a priore Ductu, id agens, ut hanc Tepulam illi alteri Aquæ, cujus *vires collegerat*, adjungeret.

8. *acquisitæque*] Verbum acquirere hoc loco significat, aquas ex scaturiginibus suis in Ductus derivare. Sic idem videtur significari tum his verbis, *aquæ acquisitæ*; tum his verbis, *aquæ ex pluribus scaturiginibus in unum Ductum derivatæ*. Eadem ferme significatione scribit infra, in Art. 10, Aquam Virginem *venire cum pluribus aliis acquisitionibus*: in Art. quoque 69, Aquam Iuliam *ex pluribus acquisitionibus* constare, scribit.

9. *nomen*

[10] datum est: [11] ita tamen divisa erogatione, ut maneret Tepulæ appellatio. Ductus Iuliæ efficit longitudinem passuum XV millium CCCCXXVI: [12] *scilicet* opere supra terram passuum VII millium; ex eo in proximis Vrbis locis a VII milliario substructione passuum DXXVIII: reliquo opere arcuato passuum VI millium CCCCLXXII. Præter caput Iuliæ transfluit Aqua, quæ vocatur Crabra; Hanc Agrippa [13] omisit, [14] seu quia impro-

---

9. *nomen Iuliæ*] Huic Aquæ ab Inventore, nimirum ab Agrippa, qui eam partim invenit, partim derivavit, nomen impositum fuit. Voluit autem Agrippa, eam Aquam in Augusti honorem *Iuliam* nuncupari. Augustus enim, qui ante adoptionem C. Octavius dicebatur, post adoptionem C. Iulius Cæsar appellatus est. Neque profecto persuadere mihi possum, in honorem (ut quidam scribunt) Iuliæ filiæ Cæsaris, quam duxit in uxorem Agrippa, hoc nomen Aquæ fuisse datum; cum constet, hanc prius Marcello fuisse nuptam, Agrippæ vero peperisse C. Cæsarem anno V. C. 732: atque ideo probabile mihi non est, anno V. C. 719 jam fuisse illi uxorem, & ab ipsius uxoris nomine Agrippam Aquæ nomen *Iuliæ* indidisse.

10. *datum est*] Ita Codices.

11. *ita tamen divisa erogatione*] Ex iis, quæ de Aquis Tepula, & Iulia narrat Frontinus noster, satis perspicuum est, rem hac ratione se habuisse. Omnes Aquarum venæ pertinentes ad Tepulam & Iuliam collectæ per unum eundemque rivum usque ad VII ab Vrbe milliarium ducebantur, ibique in Piscinam, idest in receptaculum (de quo infra) incidebant. In ea vero Aquæ Iuliæ Piscina ad emittendam Aquam duo erant ostia, alterum superius, alterum inferius: per hæc itaque ostia aqua Piscinæ erogabatur ingrediens rivos ipsis ostiis respondentes, & per eosdem Romam versus fluens. Nunc igitur animadvertamus oportet; cunctæ illi aquæ fluenti conjunctim ante Piscinam fuisse nomen Iuliæ; deinde sic divisam fuisse erogationem, ut aqua ex Piscina Iuliæ per ostium superius effluens Iuliæ nomen retineret, aquæ autem effluenti per ostium inferius maneret ea, quam ante conjunctionem cum Iulia habuerat, Tepulæ appellatio. Quod vero hæc Aqua Tepula dicta inciperet erogari e Piscina Iuliæ, liquet ex iis, quæ Frontinus infra, Art. 68, habet; *Caput ergo ejus* (nimirum Tepulæ) *observandum est a Piscina Iuliæ*. Quid itaque evidentius, quam erogationem Tepulæ, habentis caput in Piscina Iuliæ, in Piscina Iuliæ originem habuisse?

II. Specus autem, per quos deferebantur hæ Aquæ Iulia & Tepula, necnon etiam alia Aqua, idest Marcia, a septimo circiter ab Vrbe milliario, eodem supra terram opere sustinebantur: eratque superior Iuliæ specus, medius specus Tepulæ, infimus Marciæ. Horum sectio transversa, facta ex plano ad perpendiculum, exhibita fuit a Fabretto ad Num. 30, ut in *Fig. VIII.* videre est. Sunt autem in Figura C sectio specus Iuliæ, D sectio specus Tepulæ, E sectio specus Marciæ.

12. scilicet] In Editionibus ante illam Iocundi locus hic totus est depravatus; in illa Iocundi nullum est particulæ *scilicet* vestigium: in Codicibus autem Cassinensi & Vrbinate visitur post numerum CCCCXXVI Nota hæc .S. quam a Viro doctissimo pro Nota particulæ *scilicet* sumptam inveni. Fateor tamen, me dubitavisse, num pro Nota verbi *Semis* potius esset accipienda: nam etiam in longitudine Ductus Marciæ (Art. 7) post numeros indicantes longitudinem, reperitur Semis; apparetque, ibi habitam fuisse rationem dimidii passus.

13. *omisit*] Ita Codex Cassinensis: verum Codex Vrbinas & Editio Iocundi habent

improbaverat, five quia Tufculanis poffefforibus relinquendam credebat: ea namque eft [15] quam omnes villæ *tractus* ejus [16] per vicem in dies modulofque certos difpenfatam accipiunt. [17] Sed, non eadem moderatione, [18] Aquarii noftri [19] partem *maximam* ejus fem-

---

habent; *emifit*. Illa tamen lectio præftare videtur: cum verbum *emifit*, hoc loco recte fignificet id; non corrivavit in Iuliæ Ductum. Quamvis Agrippa in eundem Iuliæ Ductum ipfam quoque Crabram, præter caput Iuliæ transfluentem, corrivare potuiffet. Autumat Fabrettus, hanc Aquam Crabram poftea *particulari rivo* (verba ejus funt in Num. 269) *quem & hodie occupat, Romam perductam fuiffe*. Hæc autem Crabra Aqua, quoniam omiffa fuerat, Damnata etiam dicta eft: atque deinde non defuere qui, Crabram & Damnatam duas Aquas effe putarent. Id vero perperam factum, fcripfit Fabrettus in Num. 274, affirmans, *Victorem Crabræ nomen omififfe, quia Damnatam, ut reipfa non diverfam retinuerit*: prætermittere tamen nequeo, in Panviniana Victoris editione (Parifiis 1588) ex optimo Codice defumta, ut Panvinius ipfe fidem fecit, Aquam utramque reperiri.

14. *feu quia improbaverat*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *feu quia ufum improbaverat*: fed verbum illud, *ufum*, prætermifi. Quid enim vetat, quin fubaudiamus eam aquam; ac fi fcriptum fuiffet; *feu quia* improbaverat eam aquam?

15. *quam omnes villæ* tractus *ejus*] Ita Codex Vrbinas, & Editio Iocundi: in Codice autem Caffinenfi verbum *tractus* compendiofa fcriptura exhibetur ita, ut valde dubitari etiam poffit, num *circuitus* legendum fit: attamen fequi malui vulgatam lectionem eorum, qui legerunt *tractus*.

16. *per vicem in dies, modulofque certos difpenfatam*] Animadvertit Fabrettus referens citata verba in Num. 273, fieri potuiffe, ut ita forfan fimilis difpenfationis modo, divifionibus per modulos fpatiaque temporis æqualia vel inæqualia, etiam apud Vrbem aqua difpertiretur.

17. *Sed non eadem moderatione Aquarii noftri*] Ita Codices: in pluribus vero Editionibus, ex interpunctione vitiata, verba illa *fed non eadem moderatione* referebantur ad Tufculanos Poffeffores; referri autem vere debent ad Aquarios, qui Aquam Crabram Tufculanis Poffefforibus non relinquebant *eadem moderatione*, ac eam reliquerat iifdem Agrippa.

18. *Aquarii*] Quod *Aquariorum* munus effet Frontinus in fuo Libro nufpiam definit. Manilius videtur hanc vocem *Aquarii* fumere tamquam exprimentem artifices omnes, quorum opera ad aquas pertineant. *Aquarii* etenim *Sideris* indolem exponens, hos fudit verfus in Lib. IIII.

Ille quoque inflexa fontem qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes.
Cernere fub terris undas, inducere terris,
Ipfaque converfis afpergere fluctibus aftra;
Litoribufque novis per luxum ludere ponto;
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta,
Et peregrinantes domibus fufpendere rivos.
Mille fub hoc habitant artes, quas temperat unda,
Qua per aquas veniunt operum, pontefque fequuntur.

Sed a nobis limitari debet hujus vocis fignificatio, ut pertineat tantum ad Homines Aquarum Ductibus, & aquis ab hifce derivatis, addictos.

II. Hujufcemodi Aquariorum duplex genus. Vnum privatorum; & hi erant Servi, qui aquam in privatas domos portabant, vel ex Aquarum Ductibus in privatas

semper in supplementum Iuliæ adjudicaverunt: [20] nec ut Iuliam augerent, [21] quam hauriebant largiendo, *compen-*

domos immissam variis adhibebant ministeriis. Sed hos indicare Aquarios privatos ad rem nostram vix pertinet. Vt ne vix quidem pertinet recensere privatorum Aquariorum flagitiosa ministeria: cur etenim narrem, hos pro amoris internunciis fuisse adhibitos? ut habet Titus Popma de Operis Servorum. Qui Popma, *Aquarios a Frontino in Libro de Aquaeductibus etiam aquarum custodes* appellari, asserit: sed ubi id invenire potuerit in Libro, quem citat, non video. Aquarios autem publicos sunt qui definiant pro iis, quos Tacitus Custodes appellavit: sed en Taciti in Annal. Lib. XV. Cap. 43 verba; *Iam aqua Privatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret; Custodes, & subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet*. Quis vero, si hæc verba attenderit diligenter, affirmare poterit, hoc loco Aquarios a Tacito definiri? At Laurentius Piguorius in Commentario de Servis, ubi de aquaria familia loquitur, hæc habet; *In ea connumerabantur Aquarii, qui aquam publicam ex Castellis erogabant*. Idque forte ab Iureconsultis recepit: undecumque tamen habuerit, alia a nobis Frontinum sequentibus quærenda est significatio.

III. Quare cum hactenus dicta explicationi verborum Frontini satisfacere non videantur, verisimile puto, a Frontino appellari Aquariorum nomine omnes Homines Familiarum, quæ Aquæductuum caussa paratæ erant; quodcunque tandem munus singuli haberent. Itaque puto, hoc Aquariorum nomine, tanquam genere, omnes diversos Operarios, quos subinde nominat Frontinus contineri. Nam Frontinus Aquarios hoc loco appellat eos, qui aquam præterfluentem in Aquæductum derivare poterant, ac etiam fraude derivabant: hos autem extra Vrbem operatos fuisse, credibile est. Infra, in Art. 31, Aquarios dicit eos, qui quatuor illos modulos duodenariam, & vicenariam, & centenariam, & centenum vicenum novaverant: hos autem operam dedisse determinandis erogationum mensuris, credibile est. Alibi, in Art. 114, nominat Aquarios eos, qui translatæ in novum Possessorem aquæ foramen novum Castello imponebant, vetus fraude relinquebant: quorum fuisse opus, Castellis calices fistulasque aptare, credibile est. Alibi, in Art. 115, inter Aquarios ponit eum, qui fistulas latentes sub silice convulnerabat, quem appellat *a punctis*. Atque hæc & alia Frontini verba mihi videntur aperte ostendere, Aquariorum nomine significari a Frontino omnes Servos, ad quos aliquid agere in Aquarum Ductibus jure pertinebat.

19. *partem* maximam *ejus semper in supplementum Iuliæ adjudicaverunt*] Codex Cassinensis sic habet; *par .... ejus semper in sublimentum Iuliæ, ad judicaverunt*: Codex Vrbinas sic; *partem .... ejus semper in supplementum Iuliæ & vindicaverunt*: ac ut Codex Vrbinas, ita Editio Iocundi; nisi quod in hac deest particula *&*: in quibusdam vero aliis Editionibus legitur; *partem maximam &c.* Ego expendens lectionem Cassinensis Codicis, pro *par* posui *partem*, & aliam lacunam voce *maximam* supplevi secutus aliorum conjecturam. Atque mihi facile persuasi, partem hanc potuisse maximam reputari, nam hæc pars reddita Tusculanis Possessoribus *insolitam abundantiam* effecit, ut infra in hoc eodem Art. narratur. Deinde, loco verborum *ad judicaverunt* posui *adjudicaverunt*: id enim cum lectione Cassinensis Codicis recte congruere visum est. Porro verbum, *adjudico*, ad res etiam extra forum determinatas aliquando transferri, certum est. Hoc autem in loco verbum *adjudicaverunt* ironicam habet quodammodo significationem; nec enim Aquarii cuiquam *adjudicare* aquam poterant. Quin hic, ubi non sibi ipsis Aquarii assumebant aquam, sed aliis dabant, adhiberi salsius videtur verbum *adjudico*, quam si verbum *vindico* adhiberetur.

20. *nec ut Iuliam*] Hoc loco particulam *nec* significare *sed non*, per se liquet.

21. *quam hauriebant largiendo compendii sui gratia*] Minuebant Aquarii modum

Aquæ

compendii sui gratia. [22] Exclusa ergo Crabra, [23] & tota jussu Imperatoris reddita Tusculanis, qui nunc forsitan non sine admiratione eam sumunt, [24] ignari cui caussæ insolitam abundantiam debeant. Iulia autem, [25] revocatis derivationibus, per quas subripiebatur, modum suum, [26] quamvis notabili siccitate, servavit. [27] Eodem anno Agrippa Ductus Appiæ, Anionis, Marciæ

Aquæ Iuliæ largiendo, gratia compendii sui: hoc est, caussa pecuniæ captæ ab iis, quibus aquam largiebantur: compendium enim hoc loco significat lucrum. Inde fiebat, ut modum Iuliæ fraude imminutum, Crabræ inductione resarcirent. Codices habent; *complendi sui gratia*: Editio Iocundi habet; *compendii sui gratia*: & sane emendatio hæc, non una de caussa, apposita visa est.

22. *Exclusa ergo Crabra*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: Editio Iocundi; *Exclusa ergo est Crabra*: Codex Vaticanus, & Editio princeps; *Exclusa vero est Crabra*. Fateor, ultimam hanc lectionem valde perspicuam visam esse. Verbum tamen *est* prætermitti poterat, propterea quia suapte natura facile subauditur. Quod ad particulam *ergo* attinet; etsi sub initium periodi hujusce Frontinus ex antedictis nihil deducit, cujus caussa particula *ergo* requiratur; eam tamen particula *ergo* habere quodammodo potest hoc loco significationem, quam habet cum ponitur pro *inquam*; & rei jam dictæ repetendæ inservit: iterum enim Frontinus hoc loco scribit, exclusam fuisse Crabram, cum paullo supra jam dixisset, hanc Crabram fuisse ab Agrippa omissam. Et propter hæc jure optimo licuit sequi Codices Cassinensem, atque Vrbinatem.

23. *& tota jussu Imperatoris reddita Tusculanis*] Codices habent; *& totam jussu Imperatoris reddidit Tusculanis*. Editio Iocundi habet verba, quæ nos quoque posuimus: cum mendum in Codicibus videretur manifestum, neque ab ea perspicua atque omnino probabili emendatione recedendum esset.

24. *ignari cui caussæ insolitam abundantiam debeant*] Tusculanos forsitan ignoravisse, unde sibi ipsis major aquæ copia proveniret, eleganter hoc loco a Frontino fingitur, ut Imperatoris providentia commendetur; quasi hic beneficiis etiam nescientes afficeret. Codices, & Editio princeps habent verba, quæ descripsimus: Editio vero Iocundi, & pleræque aliæ habent; *ignari cujus caussa insolitam abundantiam habeant*.

25. *revocatis derivationibus, per quas subripiebatur*] Pergit Frontinus loqui de iis, quæ emendaverat Imperator Trajanus. Hujus enim providentia (ut infra in Art. 87 habetur) *quidquid aut fraudibus Aquariorum intercipiebatur, aut inertia perversebat, quasi nova inventione fontium accrevit*. Hinc itaque factum etiam fuerat, ut Iuliæ derivationes revocarentur.

26. *quamvis notabili siccitate*] Siccitas hæc refertur ad anni tempestatem: scribit itaque Frontinus, Aquam Iuliam servavisse modum suum etiam notabili tempestatis anni siccitate; quo tempore scaturigines sæpe minorem aquæ copiam subministrant.

27. *Eodem anno*] Nimirum anno, quo Agrippa magnificam illam suam gessit AEdilitatem, de qua nonnulla indicavimus supra in Nota 2 hujusce Art. Operum vero, quæ in AEdilitate sua confecit Agrippa, meminit diligenter Plinius in Lib. XXXVI. Cap. 15; ubi, postquam dixit, ab Agrippa novam Aquam fuisse adjectam, pergit verba facere de Aquis ita; *ceteris*, Aquis, *corrivatis atque emendatis* (idque consentit cum illis Frontini verbis; *Agrippa Ductus Appiæ, Anionis, Marciæ pene dilapsos restituit &c.*) *Lacus*

Marciæ pene dilapsos restituit, & singulari cura compluribus [28] salientibus aquis instruxit Vrbem. ¶ Idem
¶ Art. 10. cum jam [1] tertium Consul fuisset, [2] C. Sentio, Q. Lucretio coss. [3] post annum XIII, quam Iuliam dedu-

---

DCC fecit: præterea Salientes CV; Castella CXXX: complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa CCC aerea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore CCCC, eaque omnia annuo spatio; idest, spatio AEdilitatis. Hinc quoque colligere licet, fuisse plures Aquæductuum partes (Lacus autem, Salientes, Castella inter Aquæductuum partes poni posse, arbitramur) apprime ornatas. Præterea ibidem Plinius habet; Agrippam *in AEdilitatis suæ commemoratione adjecisse, & ludos undesexaginta diebus factos, & gratuita præbita Balinea CLXX: quæ nunc* (Plinius exclamans subdit) *Romæ ad infinitum auxere numerum*. Certe P. Victor in Libro de Regionibus Vrbis Romæ ultra octingenta Balinea describit.

II. Erant autem Balinea, sive Balnea, loca in quibus lavabantur Homines, præsertim aut abstergendarum sordium, aut sanitatis, aut voluptatis caussa. Quædam Balnea publica erant, quædam privata. Quædam habentia proprium nomen, puta Balineum Torquati, Balineum Vectii Bolani, Balineum Mamertini (quæ cum aliis a P. Victore, in Libro de Regionibus Vrbis Romæ, nominantur) quædam non ita. Quædam recipiebant aquam ex Aquarum Ductibus, quædam vero aliunde habebant. Sub Imperatoribus, Balineorum, horumque (ut maxime quisque posset) exornandorum, magna Romanis cura fuit.

28. *salientibus aquis*] In Keuchenii ad hunc locum Nota, vox illa *aquis* (quæ singulis in Codicibus, singulisque in editis Libris reperitur) sic refutatur; SALIENTIBVS AQVIS: *in omnibus ita videas expressum. Sed illud aquis abundans est, & superfluum; nec, ut puto, Frontino scriptum*. Hæc quidem non protulissem; nisi plane crederem, vocem *saliens* esse purum putumque participium a verbo salio, quod est saltus edere. Quid itaque impedit, quin salientes dicantur aquæ, si rivi aut tubi, per quos fluunt, aut ex quibus effluunt, eas sursum dirigant?

II. At ille fortasse diceret, reperiri per se vocem *saliens* melioris generis; sic Frontinum paullo infra, in Art. 11, habere; *in subsidium publicorum salientium*. Quid tamen ex his? cum, per ellipsim, dumtaxat saliens dicitur, subauditur rivus (fortasse posset subaudiri etiam tubus) quasi diceretur saliens rivus. Qua ratione Virgilius salientem rivum dixit in Ecl. V.

.... quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Salientes autem publici præsertim Lacubus inserviebant. Præterea Salientes nuncupabantur etiam Tulliorum vocabulo; originem habente a verbo tollo, unde tetuli & tuli; propterea scilicet quia Salientes aquam in altum attollunt. Dicebantur etiam Silani, ex eo, ut quidam putant, quod tubi ejusmodi erant in statuis Silvanorum circa fontes; nam Silanus idem, quod Silvanus; sed alii alias de origine hujusce vocis sententias sequuntur; quæ omnes docte eruditeque expositæ, in Io. Baptistæ Morgagni Epistola prima in Aur. Cornelium Celsum, videri queunt.

¶ Art. 10. 1. *tertium Consul fuisset*] Hunc tertium Consulatum Agrippa gessit anno V. C. 725.

2. *C. Sentio, Q. Lucretio coss.*] In Codice Cassinensi prænomen Q. Lucretii deest: in Codice Vrbinate reperitur littera P.: in Editione Iocundi, & aliis legitur, *Sp.* Cassiodorus in Chronico, Panvinius, Sigonius, Pighiusque in Consularibus Fastis habent, Q. Hi vero Consules Magistratum gesserunt anno Vrbis Conditæ 733.

3. *post annum XIII*] Ita legitur in Codicibus, & editis Libris. Iulia perducta Romam

deduxerat, [4] Virginem quoque in Agro Lucullano collectam Romam perduxit: [5] dies, quo primum in Vrbe responderit, V. Idus Iunias invenitur. [6] Virgo appellata est, quod quærentibus aquam militibus, puella virguncula venas quasdam monstravit;

quas

Romani fuit anno V. C. 719, his adde solidos annos 13, & habebis anoos 732: ergo annus 733, quo perducta fuit Aqua Virgo, primus fuit post decimumtertium solidum annum ab Iuliæ perductione. Fatcor tamen, me suspicatum vehementer fuisse, solidos annos non esse hic numerandos; & numerum XIIII, pro *XIII*, restitui oportere: sed abstinui a mutatione; suspicionem indicavisse sufficiet.

4. *Virginem quoque in Agro Lucullano &c.*] Ita Codices: Libri editi habent; *Virginem in agro quoque Lucullano &c.* Hoc loco Frontinus narrat, ab Agrippa Virginem Aquam perductam fuisse in Vrbem Romam plures aonos postquam Iulia perducta fuerat; idest postquam ille gesserat AEdilitatem. At Plinius, Cap. ante citato in Nota 17 Art. 9, refert deductionem hujusce Aquæ ad ipsum AEdilitatis annum. Scribit enim; *Agrippa vero in AEdilitate sua, adiecta Virgine Aqua*. Ego tamen a Frontino haudquaquam discessurus sum: namque cum ibi Plinius in eo sit, ut exponat mirabilia, quæ in Ductibus Aquarum Romæ præstitit in AEdilitate sua Agrippa, facile contingere potuit; ut, dum res magnificas persequeretur, rem aliam pariter magnificam, etiamsi ad illud tempus minime pertioentem, inconsulto induxerit. Quis vero credat, Frontinum, qui diem inquisierat, ut statim subdit, *Dies quo primum in Vrbem &c.*, deinde in anno indicando tam palmarem errorem erravisse?

5. *dies, quo primum in Vrbe responderit, V. Idus Iunias invenitur*] Codex Cassinensis habet; *die, quo primum in Vrbe responderit quinto Idus Iunias invenitur*: in Codice Vrbioate, & io Editionibus fere omnibus, pro *die* legitur *dies*. Locus hic valde difficilis visus est. Exemplum tamen ex Cornelio Celso (elegantissimo Scriptore, qui æqualis Frontino nostro ferme fuit) suppeditat modum, quo locus hic satis feliciter expliceetur. Scribit Celsus in Lib. IIII. Cap. 4; *Sæpe Fæminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc expuunt*: ubi *non respondet*, profecto significat, *non fluit*. Ergo propositus Frontini locus ita explicandus est: *dies, quo primum in Vrbe* (idest per eas Vrbis Regiones, quibus destinabatur) fluere cœpit Aqua Virgo, *invenitur* esse *V. Idus Iunias*. Itaque hic nihil aliud voluit Frontinus, nisi diem, quo primum usui fuit opus absolutum, litteris mandare: ut infra in Art. 13 narratur, Ductus, Claudiæ & Anionis novi, absolutos fuisse a Claudio, dedicatosque *Kalendis Augusti*.

6. *Virgo appellata est*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: Editio Iocundi, aliæque habent dumtaxat; *Virgo appellata*: propterea quod (ut opinor) cum verbum invenitur præcedens verba, *Virgo appellata*, ad hæc ipsa verba perperam retulissent; deinde particulam *est*, quam redundantem crediderunt, omisere. Præterire autem hoc loco non possum, a variis varias caussas nominis hujusce Aquæ Virginis fuisse prolatas. Sunt qui dicant, Cassiodorum affirmavisse, huic Aquæ a puritate nomen inditum: sed id Cassiodorus indicavit quidem, non præcise affirmavit: en ipsius verba in Vari. Lib. VII. 6. *Currit Aqua Virgo sub delectation purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur*. Plinius vero in Lib. XXXI. Cap. 3 scribit, eam appellatam *Virginem*, quia *juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens* hæc ipsa aqua *Virginis nomen obtinuit*. Sed in hac re potior esse debet Frontini auctoritas: namque ab illis obiter, ab hoc autem consulto Aquarum historia tractata est. Accedit testimonium picturæ, de qua continuo Frontinus scribit: & sane eo uti, si opus esset, aptissime possemus ad illam nominis caussam a Frontino traditam confirmandam.

II. Dio

quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. AEdicula fonti apposita [7] hanc originem pictura ostendit. [8] Concipitur ergo Via Collatia ad milliarium VIII, palustribus locis; [9] signino circumjecto, continendarum scaturiginum caussa, [10] adjuvatur

---

II. Dio scripsit (ut Fabrettus animadvertit Num 354) in Libro LIIII ; *Aquam, quæ Virgo vocabatur, propriis sumptibus* Agrippa *in Vrbem adduxit, Augustamque nominavit*. Recte tamen conjicit Fabrettus, *Dionem pro altero alterum, Virginem scilicet pro Appia* (hæc autem ramum habebat, per quem fluens dicebatur Augusta, de quo supra Frontinus, in Art. 5) *quæ in eodemmet Agro Lucullano oriebatur, accepisse: dum Virginem in nomen Augustæ transiisse primus, solusque dixit*. Porro & Augustæ Ramus, & Virgo, ut liquet ex Frontini verbis, in Art. 5 & in Art. 10, prope Collatiam Viam accipiebant fontem: altera ad milliarium VI, altera ad VIII.

7. *hanc originem pictura ostendit*] Ita Codices : Editio Iocundi habet ; *hanc Virginem pictura ostendit*. Andreas autem Fulvius in Lib. III. *de Antiquit. Vrbis* (ut refert Chiffletius in Libello, cui titulus; *Aqua Virgo fons Romæ &c.*) legit ; *hanc Virginem pictam ostendit*. At secutus sum Codices: nam si concipiatur, in AEdiculæ parietibus fuisse pictos milites, & virgunculam venas monstrantem ; simul concipietur, clarissima esse verba illa; *hanc originem pictura ostendit*.

8. *Concipitur ergo Via Collatia ad milliarium VIII.*] Plinius in Lib. XXXI. Cap. 3 scribit ; aqua Virgo adducitur *ab octavi lapidis diverticulo II. millium passuum Prænestina Via*. Non tamen ideo a Plinio Frontinum dissensisse dicendum est: nimirum euntibus ab Vrbe Roma per Viam Collatiam (sive Collatinam; unum idemque etenim nomen est) nulla Via dextrorsus erat vicinior Via Prænestina ; ut videre est in PARTE TOPOGRAPHIAE LATII PROPE ROMAM, delineata in Tabula M; qua in parte Topographiæ visitur utriusque Viæ descriptio a Fabretto desumta. Fontis autem Aquæ Virginis locus esse debet inter utramque Viam, sed prope ad octavum lapidem Viæ Collatinæ in A, ferme ubi Diverticulum *duum millium passuum* AB, a Prænestina in Collatinam, huic inseritur.

II. Perinde vero est, sive progrediens ab Vrbe Roma per Viam Collatinam proxime ad octavum milliarium perveniat ad A ; sive per Viam Prænestinam eat ad octavum milliarium, inde per Diverticulum *duum millium passuum* perveniat ad eundem locum A. Propter hæc itaque credibile fit, Frontinum voluisse indicare fontem secundum Viam fonti proximam ; Plinium voluisse indicare secundum Viam præcipuam. Prænestina enim, ut notat Fabrettus in Num. 319, latior erat quam Collatina. Secundum tamen varias Vias uterque unum eundemque fontem indicavit.

9. *Signino circumjecto*] Signinum opus fiebat ex testis tusis cum calce commixtis: quæ testæ in regione Signinorum (hi fuere Italiæ Populi, ut in Lib. III. Cap. 5, quod inscribitur, *Italia, Tiberis, Roma, Campania*, Plinius habet ; *Setini, Signini, Suessulani*) excellentes erant : hinc opus signinum dictum putat, inter ceteros, Baldus in Lexico Vitruviano. Id opus apud Antiquos laudabatur in pavimentis. Idem Plinius in Lib. XXXV. ad extremum Capitis 12. *Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmius durent tusis calce addita, quæ vocant signina : quo etiam genere & pavimenta excogitavit*. Sed ad excipiendam etiam aquam (quod ad rem nostram spectat) hujuscemodi opus perutile erat : namque id permeare eum non posset, neque elabi aqua poterat. Vitruvius, prope ad finem ult. Cap. Lib. VIII, habet; *sin autem loca dura erunt, aut in imum venæ penitus non fuerint, tunc signinis operibus ex testis, aut e superioribus locis excipiendæ sunt aquæ*.

10. *adjuvatur:*] Ita in Cassinensi Codice, in quo verbum *adjuvatur* refertur ad verba

tur: [11] & cum pluribus aliis acquisitionibus venit per longitudinem passuum XIIII millium CV: ex eo rivo subterraneo [12] passuum XII millium DCCCLXV: supra terram per passus MCCXXXX: ex eo substructione rivorum locis compluribus passuum DXXXX: opere arcuato passuum DCC: [13] acquisitionum Ductus rivi subterranei efficiunt passus MCCCCV. ¶ Quæ ratio moverit Augustum, [1] pervidentissimum Principem, producendi Alsietinam Aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, immo [2] etiam parum salubrem, [3] & nusquam in usus Populi fluentem; nisi forte cum [4] opus Naumachiæ aggrederetur, [5] ne quid

¶ Art. II.

---

verba priora *figuino circumjecto continendarum scaturiginum caussa*. At in Codice Vrbinate, & in Editione Iocundi verbum *adjuvatur* ad ea, quæ subsequuntur verba omnino refertur. Illo tamen modo clariorem fieri posse totam rem, existimavi.

11. *& cum pluribus aliis acquisitionibus venit*] Codex Cassinensis; *& compluribus aliis acquisitionibus venit*: nihil facilius videtur, quam ut ex *cum pluribus* factum deinde fuerit *compluribus*: quare illa verba *cum pluribus* reponere, certa ex conjectura licere, claritas ipsa sententiæ persuasit. Et quidem si, ut in Codice Vrbinate, & in Editione Iocundi, legatur; *continendarum scaturiginum caussa. Adjuvatur* (Editio Iocundi habet *Adjuvatus*) *ex compluribus aliis acquisitionibus venit &c.* res tota potius fit obscurior.

12. *passuum XII millium*] Codices perspicue habent; *passuum decem millium duum*: aliorumque etiam numerorum summa probat numerum, quem posuimus. In Editione Iocundi aliisque perperam habetur; *passuum XI. millium*.

13. *acquisitionum Ductus &c.*] Hoc loco indicatur, acquisitionibus datum fuisse per rivos subterraneos peculiarem quendam Ductum; ut per eos rivos ad præcipuum Ductum Aquæ Virginis acquisitiones ipsæ pervenirent.

¶ Art. II.

1. *pervidentissimum*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent; *providentissimum*.

2. *etiam parum salubrem*] Ita Codiees. Vide infra Notam 3 III. Art. 71.

3. *& nusquam in usus Populi fluentem*] Hoc est nullo loco in Castra, in Opera Publica, in Lacus aqua Alsietina erogabatur: in his enim omnibus fuisset aliquis Populi usus. Præterea illud est animadvertendum, statui a Frontino; nullo loco aquam Alsietinam fluxisse in usus Populi assidue, ut fluebant aliæ aquæ: nihilo tamen minus, quamvis non flueret assidue, aliquando (ut inferius admonet ipse Frontinus) contingebat, ut flueret; *ex necessitate in subsidium publicorum salientium*, quoties pontes reficiebantur. Ceterum hæc aqua in privatos usus dabatur; ut identidem infra ipse Frontinus narrat, partem hujus aquæ *hortis subjacentibus, & Privatorum usibus ad irrigandum* concessam.

4. *opus Naumachiæ*] Naumachia, vox ex Græco derivata, pugnam navalem proprie significat. Sumitur tamen, sive pro ea pugna, quæ tamquam spectaculum populo repræsentabatur; sive, idque frequentius, pro eo Lacu, in quo edebatur hujuscemodi spectaculum. Primi Lacus pro Naumachiis fuere inornati; postea, rebus omnibus in delicias versis, ornari etiam in Theatrorum formam cœpere Naumachiæ. Deinde pariter & in Circis edita talia spectacula, quod *Circensium Navalium* nomen

quid ſalubrioribus Aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, & [6] quod Naumachiæ cœperat ſupereſſe, hortis ſubjacentibus & Privatorum uſibus ad irrigandum conceſſit. Solet tamen ex ea in Tranſtiberina Regione, [7] quotiens pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ ceſſant, ex neceſſitate in ſubſidium publicorum ſalientium dari. Concipitur [8] ex Lacu Alſietino, [9] Via Claudia, milliario XIIII, Diverticulo dextrorſus paſſuum VI millium D. Ductus ejus efficit longitudinem paſſuum XXII millium CLXXII; opere arcuato paſſuum CCCLVIII. ¶ Art. 12. ¶ Idem Auguſtus in ſupplementum Marciæ, [1] quotiens ſiccitates *egerent* auxilio

nomen ſatis probat. Ad haſce in Vrbe Naumachias dirigebatur pars aquæ per Ductus Vrbem influentis; ut in eas, cum opus eſſet, influeret. Naumachia Auguſti in Regione XIIII fuit; ſcilicet trans Tiberim; quod vel ipſe Ductus Aquæ totus trans Tiberim omnino evincit: fuit etiam inornata. Id vero ſcribit aperte Suetonius, in Auguſto Cap. 43; *Item navale* (edi curavit) *prælium circa Tiberim cavato ſolo*. De hac iterum ſermo erit infra in Nota 4 Art. 22.

5. *ne quid ſalubrioribus Aquis detraheret*] Lacus, in quo edenda navalis pugna, ſive Naumachia impleri aqua debebat. Ne itaque ad implendam Naumachiam ſalubribus aquis uteretur, ſicque eas imminueret, novo opere, novo ſcilicet Ductu aquam aliam pervidentiſſimus princeps Auguſtus in Naumachiam perduxit.

6. *quod Naumachiæ cœperat ſupereſſe, hortis ſubjacentibus*] Aqua Alſietina fluebat majori copia, quam opus eſſet ad implendam Naumachiam: itaque aliquid aquæ ſupererat. In Caſſinenſi Codice, pro verbo *ſubjacentibus*, ſcriptum videtur, *adjacentibus*: in Vrbinate Codice, & omnibus editis Libris legitur, *ſubjacentibus*.

7. *quotiens pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ ceſſant*] A citerioribus Vrbis Regionibus ex Aquis fere omnibus (ut colligi poteſt ex iis, quæ Frontinus infra ab Art. 70 ad 87 habet de Aquarum per Vrbis Regiones erogatione) derivatæ aliquæ partes per rivos, aut canales plumbeos exiſtentes ſuper pontes deferebantur trans Tiberim in XIIII. Regionem: coactæ, ut ego quoque cum Statio (Sylv. Lib. primo III.) loquar,

.... *audaci tranſcurrere Flumina plumbo*.

Igitur, cum reficiebantur pontes, atque ideo Aquarum e Roma trans Tiberim Ductus intercipiebantur, opus erat, ut Regionis tranſtiberinæ ſalientibus ex neceſſitate Alſietina Aqua ſuccurreret.

8. *ex Lacu Alſietino*] Erat hic Lacus in Etruria. Sed Vide Notam 1 Art. 71.

9. *Via Claudia, milliario XIIII*] Vide quæ de hac Via, & de hac diſtantia milliariorum quattuordecim, ſcripta ſunt in Nota 1 Art. 71.

¶ Art. 12. 1. *quotiens ſiccitates* egerent *auxilio*] Ita Iocundi Editio: Codices, & Editio princeps habent; *quotiens ſiccitates agerent, auxilio* &c. Sed viſa eſt prorſus amplectenda illa vel lectio, vel correctio Iocundi; voce *auxilio* cum verbo *egerent* recte conſentiente. Senſus autem eſt; non fuiſſe Auguſtam Aquam perductam, ut ſemper eſſet Marciæ in ſupplementum; ſed ut tunc eſſet, cum ob aliquam fontium ſiccitatem eſſet Marciæ rivus aquarum pauper.

2. *ab*

xilio, [2] aliam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marciæ rivum, quæ [3] ab inventore appellatur Augusta. Nascitur ultra fontem Marciæ, cujus Ductus, donec Marciæ accedat, efficit passus DCCC. ¶ Post hos [1] C. Cæsar, qui Tiberio successit, [2] cum parum & publicis usibus & privatis voluptatibus septem Ductus Aquarum sufficere viderentur, altero Imperii sui anno, [3] M. Aquillio Iuliano, P. Nonio Asprenate COSS. [4] anno Vrbis Conditæ ¶ Art. 13.

DCC-

---

2. *aliam ejusdem bonitatis*] Editio Iocundi habet; *aliam aquam ejusdem bonitatis*: sed verbum *aquam*, quod facile subauditur, & quod in Codicibus deest, prætermisi.

3. *ab inventore*] Quoniam hæc aqua inventa fuit jussu & auspiciis Augusti; iccirco ipse Augustus dicitur ejusdem aquæ *inventor*. Hæc tamen Aqua a Marcia, cui conjuncta erat, non sic distinguebatur, ut pro duabus haberentur Marcia & hæc: nam hæc Marciæ immixta proprium amittebat nomen, unaque Marcia reputabatur.

1. *C. Cæsar*] C. Cæsar Caligula. ¶ Art. 13.

2. *cum parum & publicis usibus, & privatis voluptatibus*] Auctam multitudinem Hominum habitantium Romam effecisse, ut septem Ductus viderentur non sufficere publicis usibus, & privatis voluptatibus, credibile non est: neque enim credi potest, ab Augusto ad Caligulam crevisse Romæ Hominum numerum. Nam, etsi Isaacus Vossius animadvertit in Variarum Observationum Libro pag. 31, *clarum esse, civium qui Romæ versarentur nullam apud Scriptores occurrere mentionem post recessum Cæsaris* Dictatoris, *quo redacti fuere ad centum quinquaginta millium summam*, non tamen est verisimile sub miti Augusti imperio pauciores fuisse aut cives aut servos, quam sub duro Tiberii, & sub immani Caligulæ imperio. Ex his mihi facile persuadeo, tractu temporis simul cum luxu crevisse & munera, & quædam publica opera aquis indigentia: atque in civibus etiam libidinem perducendi aquam in privatas domos crevisse. Neque illud prætermitto, ab accuratissimo Frontino minime dici, septem Ductus non sufficeisse: sed dici, Caligulæ visos fuisse non sufficere. Ac quidem Suetonius duos illos eosdem Ductus a Caligula inchoatos, consummatos vero a Claudio non dixit necessarios: nam, in Claudio, Cap. 20, referens Claudii opera publica (in his autem operibus publicis etiam duo illi Aquarum Ductus comprehendebantur) scripsit; *Opera magna potius, quam necessaria, quam multa perfecit*.

3. *M. Aquillio Iuliano*] Codex Cassinensis habet; *M. Aquila Iuliano*: Codex Vrbinas habet; *M. Aquilia Iuliano*: Editio Iocundi; *M. Aquilio Iuliano*. Secutus sum in hac emendatione Iocundum; quamvis ubi hoc Consulum par nominatur inferius in Art. 102, reperiatur in utroque Codice nomen *Aquila*. Vt vero ita facerem, triplex ratio mihi persuasit. Prima, quod nomen Aquila, nec enim pro cognomine assumi potest, non desinit in *ius* (aut saltem in *us*) quemadmodum Romanorum nomina, adhuc eo tempore, desinebant: ut observaverunt in Libro de Antiquis Romanorum Nominibus Panvinius, & in Libro de Nominibus Romanorum Sigonius; qui etiam rationem, cur ita desinerent, addiderunt. Secunda, quod erat Romæ Aquillia Gens, plebeja, consularis: unde credibile fit, ex ea Gente fuisse hunc Consulem; &, pro *Aquillio*, Librarios scripsisse *Aquila*. Tertia, quod a Dione in ipso contextu Libri LIX hic Consul nominatur *M. Aquillius*.

4. *anno Vrbis Conditæ DCCLXXXVIIII*] Codices, & Editio Iocundi habent; *anno*

G *Vrbis*

DCCLXXXVIIII, [5] duos Ductus inchoavit: quod opus Claudius [6] magnificentissime consummavit, [7] dedica-

---

Vrbis Conditæ septingentesimo nonagesimo. Sed, propter mox dicenda, multo eredibilius est, numerum litteris aliquando sic fuisse scriptum DCCLXXXIX; qui numerus, præterita nota illa I ab incuria Librariorum, mutari facile potuit in numerum DCCLXXXX; unde scriptum deinde fuerit perperam, *anno septingentesimo nonagesimo*. Hoc loco Frontinus non modo commonstravit tempus apposita nota Consulum M. Aquillii, P. Nonii, & nota anni ab V. C.; verum apposita etiam nota anni imperii Caligulæ, quem annum secundum fuisse narrat. Ex hac præsertim notitia anni secundi Imperii Caligulæ Pagius, in Prolegomenis, Art. XV, ad Dissertationem Hypaticam, permotus sic numerum 790, qui reperiebatur in Libris, emendat; ut pro eo substituat 789. Porro hic substitutus numerus etiam reperitur, si a numero V. C. 791, quem hisce Consulibus Anonymus adsignat, duo anni adimantur: quæ duorum annorum detractio in hujusmodi dubiis mihi est (ut in Nota 4 Art. 9 exposui) instar viæ ad optimas emendationes.

II. Non sum quidem nescius, contra Pagii sententiam scripsisse Norisium in Epistola Consulari, atque defendisse, Consulatum M. Aquillii Iuliani & P. Nonii Asprenatis referendum esse ad V. C. annum 791: quod num recte fiat secundum Varronianam, aut aliam Epocham non disputo; sed illud plane statuo, secundum Frontini Epocham annum illum poni minime posse. Quid enim? Frontinum, qui in aliis Consulibus (certi temporis, post annum scilicet V. C. quingentesimum) duobus annis ab Anonymo dissensit, in his Consulibus cum Anonymo consensisse dicemus?

5. *duos Ductus*] Hi duo Ductus additi septem illis prioribus novem Ductuum summam conficiebant. At Nardinus in Lib. VIII. Operis alias citati Cap. 4, sibi objecit; Plinium, qui scripsit postquam hi duo Ductus facti fuerant, dumtaxat septem Ductus numeravisse: nempe tradidisse, Lib. XXXVI. Cap. 15, *corrivatos septem amnes ab Agrippa in AEdilitate*. Verum, ut cum Fabretto (Num. 264) loquar, excogitatæ a Nardino *hujus imaginariæ inter Plinium, & Frontinum discrepantiæ solutio in sola diversitate temporum consistit: nam cum Plinius* non quid esset suis temporibus, sed *factum Agrippæ recenseat, bene VII tantum Aquas ab eo in Cloacas immissas refert, quia Claudia, & Anio novus nondum exstabant, sed longo post tempore additæ fuerunt*.

6. *magnificentissime consummavit*] Plinius Lib. XXXVI. Cap. 15 AEdificiorum Vrbis Romæ mirabilia recensens mentionem facit hujusce Claudii operis, atque victos fuisse antecedentes Aquarum Ductus; præterea impensam (ut supra etiam diximus in Nota 13 II. Art. 7) ad id opus conficiendum ponit hanc; sestertium quinquagies quinquies, & quingenties centena millia: quæ summa, ut fert hodierna æstimatio tradita ad extremum citatæ Notæ, respondet Philippeis Nummis argenteis 1387500.

7. *dedicavitque*] Dedicare erat, aliquid splendidum ac magnificum primo fabricæ usu publice exhibere iis, quorum gratia fabrica perfecta erat. Hic itaque a Frontino indicatur tempus, quo primum per Ductus a Claudio ædificatos aqua in usus publicos privatosque Hominum fuit perducta. Dedicantibus autem publica opera tributum erat inscribere operibus nomen suum. Superest adhuc magnificum ædificium, cui ex utroque latere inhæret sequens Inscriptio, quattuor versibus comprehensa:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM

TRIBVNICIA. POTESTATE. $\overline{XII}$. COS. $\overline{V}$. IMPERATOR. $\overline{XXVII}$. PATER. PATRIAE

AQVAM. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV

ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

Cum

dicavitque, [8] Sulla & Titiano coss. [9] anno post Vrbem Conditam DCCCIII, Kalendis Augustis. Alteri nomen

---

Cum in hac, magni certe momenti, Inscriptione aliquis numerus non eodem modo referatur a Scriptoribus singulis eam exhibentibus: rogavi per litteras de hisce numeris Virum eruditissimum præstantissimumque Romæ degentem; qui numeris Inscriptionis ipsius observatis respondit, nihil in numeris Gruterianæ postremæ Editionis, quam sum secutus, esse mutandum.

II. Post hæc ex Fabretto ipsius AEdificii, sive (ut alii appellant) Arcus, ad duas Aquas Claudiam & Anionem novam pertinentis imaginem (*Fig. VII.*) huc transfero, in qua

A repræsentat sectionem specus Anionis Novi;
B sectionem specus Claudiæ;
F locum Inscriptionis Ti. Claudii Cæsaris paullo ante relatam;
G locum Inscriptionis Vespasiani Cæsaris in harum Aquarum restitutione;
H locum Inscriptionis Titi Cæsaris appositæ occasione novæ restaurationis.

Huic autem Arcui supposita nunc est Porta, quæ Major appellatur: olim tamen, sub hoc Aquæductu Portam non fuisse, locus indicat; subjectam vero demum fuisse eo tempore, quo Vrbis muros a Gothis disjectos restituit Belisarius, nonnulli Viri docti existimant. De iis Arcubus vide etiam iterum (si lubet) Notam 24 V. Art. 5, ad litteras c — a.

8. *Sulla & Titiano coss.*] Codex Cassinensis; *Sulla & Thiati*: Codex Vrbinas; *Sulla & Titiano*: Editio Iocundi; *Sulla & Tutiano*. Secutus autem sum Codicem Vrbinatem, cum quo consentientem etiam Pighium inveni. Nominantur autem a Pighio hi Consules ita; *Faustus Cornelius Sulla, L. Salvius Otho Titianus*. Sed Ordinariine fuerint hi Consules, quippe qui Kal. Ianuariis honorem inierint (ineuntes enim Magistratum Kalendis illis appellabantur Consules Ordinarii; & ex iisdem, ante Augustorum tempora, semper nomen anno dabatur) an vero Suffecti sint habendi (videlicet qui parte anni, post alios Consules, Consules fuerint) & nihilominus in eorum nomine ordinata sit anni supradicti nominatio, quod factum per hoc & sequens seculum affirmat post Onuphrium Panvinium Pagius, in medio relinquo: nullum etenim certum argumentum afferunt qui eos Ordinarios faciunt; qui Suffectos nullum.

9. *anno post Vrbem Conditam DCCCIII.*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent; *anno post Vrbem Conditam octingentesimo sexto, Kal. Augustis*: Editio Iocundi, & aliæ; *anno post Vrbem Conditam DCCC. Sexto Kalendarum Augustarum*. Quibus in Editionibus verbum *sexto* perperam ad Kalendas ab Editoribus relatum effecit, ut annum dumtaxat octingentesimum ponerent, qui pro vero haudquaquam haberi potest. Prorsus enim probabile est, duos illos Ductus a Claudio consummatos dedicatosque fuisse eo anno, quo posita fuit Inscriptio ante jam relata, in qua cum legatur *Tribunitia potestate XII*, ea nota excludit omnino annum 800: nam, habita ratione annorum Imperii C. Caligulæ post secundum Consulatum, & Ti. Claudii usque ad Tribunitiam potestatem XII, satis liquet, plures debuisse annos interesse, quam numerarentur, si hæc Potestas ad annum octingentesimum referretur.

II. Non autem melius numerum restituere me posse existimavi, quam methodo jam in Nota 4 Art. 9 recepta: scilicet ponendo annorum numerum biennio deficientem ab anno adsignato iis Consulibus ab Anonymo, qui eos Sullam & Othonem nominat. Igitur, cum ab Anonymo adsignatus annus sit V. C. 805, ego 803 posui: quem etiam numerum Pagius (in suæ Dissertationis Articulo jam citato) esse reponendum ad Frontiniani hujusce loci emendationem arbitratus est. Quod si Codicum lectionem attendamus: cum annus octingentesimus tertius litteris

nomen, [10] quæ ex fontibus Cærulo & Curtio perducebatur, Claudiæ datum; [11] hæc bonitatis proxima est Marciæ. Altera, quoniam duæ Aniones [12] in Vrbem Aquæ fluere cœperant, ut facilius appellationibus dinoscerentur, [13] Anio novus vocari cœpit; [14] alias omnes præcedit: priori Anioni cognomentum Veteri adjectum.

¶ Art. 14. ¶ [1] Claudia concipitur Via Sublacensi, ad milliarium XXXVIII, Diverticulo sinistrorsus intra passus CCC: ex fontibus duobus amplissimis & speci-

---

scribi olim consueverit ita; DCCCIII; mirum non est, si junctis imis apicibus primarum unitatum II, ex illis prodierit V; unde manaverit numerus DCCCVI: & postea annus *octingentesimus sextus* in Codices sequioris ævi derivatus. Ex his liquet, quam adhibendam emendationem plane crediderim; & quam erroris caussam habendam, opinatus sim.

10. *quæ*] In Codice Cassinensi legitur, *que*: in Codice Vrbinate, *quæ*: in Libris editis, *quod*. Sed istud *quod* ad nomen referri non poterat: nec tamquam adverbium assumi, cum nomen Claudiæ a fontibus Cæruleo, & Curtio non dependeat: quamobrem necessario *quæ* legendum esse putavi.

11. *hæc bonitatis proxima est Marciæ*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *hac bonitate proxima Marciæ*.

12. *in Vrbem Aquæ*] Ita Codices.

13. *Anio Novus vocari cœpit &c.*] Vide Notam 3 Art. 6. Codex Vrbinas pro verbo *vocari*, habet *vocitari*.

14. *alias omnes præcedit. Priori Anioni cognomentum veteri adjectum*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent; *Alia omnis procedit* (Codex Vrbinas, *omnes præcedit*) *priori Anioni cognomento veteris adjectum*: Editio Iocundi, *& quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adjectum*. Hæc sane Iocundi correctio & nimis ampla visa est, & minus vera: nimis ampla, quod plura verba, quæ desunt in Codicibus, interserantur: minus vera, quod Anio Vetus non præcedebat *omnes* aquas; neque enim omnibus remotiorem habebat originem, neque erat omnibus antiquior. Quamobrem, ut a Codicum lectione minimum recederem, verba illa *alias omnes præcedit* cum prioribus verbis conjunxi, retulique ad Anionem Novum; cujus origo a milliario 42 alias omnes Aquas longinquitate præcedebat. Quemadmodum ergo post relatam caussam nominis Aquæ Claudiæ subdidit Frontinus; *hæc bonitatis proxima est Marciæ*; ita etiam post relatam caussam nominis Aquæ Anionis Novi subdere potuit; *alias* omnes (subaudi *hæc*) *præcedit*. Porro conjunctionem hanc, & explicationem eas haberi velim, quas emendationis (ejusdemque a Codicibus parum recedentis) necessitas persuasit.

¶ Art. 14. 1. *Claudia concipitur &c.*] Marlianus in Topographiæ Vrbis Romæ Lib. IIII. Cap. 11 hæc habet; *Quod autem Frontinus ait, Claudiam concipi ad milliarium XXXVIII, Plinius vero a lapide XXXX, intelligendum puto; alterum distantiam capere ab eo fonte, qui ab Vrbe magis distaret: alterum ab eo loco, ubi ambo jungebantur*. Sed cum Fabrettus secundum Frontini nostri distantias eos invenerit (vide in alias citato ejus Opere Num. 172, & 173) fontes, quos Claudiæ Aquæ fuisse verisimillimum est, distantes ab invicem passus CXX, haud facile video, qua ratione compositio illa Marliani defendi queat. Melius fortassis dicemus; vel Plinium numero, ut ajunt, rotundo uti voluisse, cum id dumtaxat attenderet, ut magnam distantiam exhiberet; vel

ſpecioſis, [2] Cærulo (qui [3] a ſimilitudine appellatus eſt) & Curtio. Accipit [4] & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ quoque adjutorio, [5] quotiens opus eſt, ita ſufficiat, ut adjectione ſui nihil ex qualitate ejus mutet. Auguſtæ fons, quia Marciam ſibi ſufficere apparebat, in Claudiam deri-

---

vel mendum aliquod in Plinii contextum irrepſiſſe, ſcriptumque fuiſſe numerum XXXX, pro XXXXV: atque id mihi veriſimillimum eſt. Nam ſi conferas Claudii Iuſcriptionem paullo ſupra poſitam, cum Plinii loco, in quo numerum XXXXV, pro XXXX repoſueris, tantam profecto ſimilitudinem inter Inſcriptionem, & Plinii locum eſſe intelliges; ut facile ſuſpiceris, Plinium ad eam Inſcriptionem reſpexiſſe, & hanc noſtram emendationem veriſimillimam putes. En autem verba Inſcriptionis, ad diſtantiam fontium pertinentia; *Claudius Aquam Claudiam ex fontibus, qui vocabantur Caeruleus, & Curtius perduxit a milliario XXXXV*: en Plinii verba, ad diſtantiam pariter fontium pertinentia; per *Aquarum Ductus Claudii, Curtius & Caeruleus fontes influxere a lapide XXXXV*.

II. Illud vero prætererire hoc loco non poſſum, eundem Fabrettum de Fontibus Claudiæ, in Num. 179 (qui ſane magis, quam Num. 132 attendendus eſt) addidiſſe hæc; *locus noſtræ originis Marciæ, licet duobus, & ultra milliariis infra Claudiæ fontes &c.* Ergo etiam Fabretto in confeſſo fuit, Claudiæ fontes quam proximos Marciæ origini non fuiſſe: ergo id confirmatur, quod in Nota 26 II, Art. 7 ſcripſimus; credibile nobis non fieri, origines Marciæ & Claudiæ quam proximas fuiſſe.

2. *Cærulo*] Ita in Codicibus: Libri Editi habent *Cæruleoque*: ſed illa particula *que* plane redundat. Duo *ampliſſimi & ſpecioſi* fontes viſuntur hodie etiam ſtatim ſupra eum locum, ubi in DELINEATIONE REGIONIS INTER TIBVR &c. (Tab. I. ad pag. 11) eſt littera A: quos fuiſſe Claudiæ fontes (ideſt fuiſſe Cæruleum, & Curtium) veriſimillimum eſt, ut diximus in ſuperiore Nota ſecuti Fabrettum; qui tamen *uter Cæruleus, an Curtius fuerit*, in medio relinquit; atque male habet Holſtenium, quod Curtium & Cæruleum nominatim oſtenderit.

3. *a ſimilitudine appellatus*] Tam Cærulus, quam Cæruleus ſignificant unum eundemque colorem. Huic colori color aquæ accedit. Immo non deſunt exempla Poetarum, qui *Cærula* in plurali numero, pro Mari dixerint. Fieri autem potuit, ut aqua fontis Cæruli colorem habuerit ſolito ſimiliorem colori cæruleo: quare fons *Cærulus a ſimilitudine appellatus*.

4. *& eum fontem, qui vocatur Albudinus*] Vbi eſſet hic fons non indicat Frontinus: credibile tamen eſt, extitiſſe haud longe ab aliis; atque inter Marciam & Claudiam, ſi in utramque poterat derivari. Credibile vero etiam fit, Albudinum fontem Curtio fonti propiorem fuiſſe, quam Cæruleo: quando Suetonius, in Claudio Cap. 20, Fontes Curtium, & Albudinum quaſi pro unico dumtaxat fonte deſcripſit, ita; *Claudiæ Aquæ gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen eſt*, Claudius Imperator in Vrbem perduxit.

5. *quotiens opus eſt*] Ergo aliquando, ſcilicet cum opus erat, Albudini Fontis aqua influebat Marciæ rivum: aliquando non ita. Id contingere potuit duobus modis; vel ſtructura rivorum, ſtructura enim, ut in ſequente Nota oſtendemus, id fieri poterat; vel Aquariorum opera, qui aquam hanc quibuſdam de cauſſis in Marciam inducerent, deinde averterent. Idque potius crediderim; nam Frontinus non videtur ſtabilem ullam rivi derivationem indicare.

6. *ut*

derivatus est, manente nihilominus præsidiario in Marciam; [6] ut ita demum Claudiam Aquam adjuvaret Augusta, si eam Ductus Marciæ non caperet. [7] Claudiæ Ductus habet longitudinem passuum XXXXVI millium CCCCVI. Ex eo rivo subterraneo passuum XXXVI millium CCXXX: opere supra terram passuum X millium CLXXVI; ex eo opere arcuato in superiori parte pluribus locis, passuum III millium LXXVI. & prope Urbem a VII milliario substructione rivorum per passus DCVIIII, opere arcuato passuum VI millium CCCC-

6. *ut ita demum Claudiam Aquam*] Structuram, qua ædificatus erat rivus Augustæ ea ratione, ut Aqua Augusta in rivum Marciæ semper influeret, si Marcia indigeret; si vero non, Claudiam Aquam influeret, atque adjuvaret, eam fuisse conjicio, quæ apposita Figura (*Fig. IX.*) repræsentatur, in qua

A B est rivus Aquæductus aquæ Marciæ, per quem hæc fluebat secundum directionem A B declivem:

E F sectio postremæ partis Augustæ rivi altioris rivo Marciæ, qua postrema parte idem Augustæ rivus cum Marciæ rivo conjungebatur.

C D fenestra, per quam patebat Augustæ aquæ in Marciam aditus:

K H P paries ejusdem altitudinis atque Marciæ rivus, & suprema pars fenestræ C D; quem quousque non supergrediebatur (ubi G) aqua Augusta, in nullum alium locum, nisi in Marciæ rivum influere poterat:

G O I ea pars rivi Augustæ; qua ferebatur aqua in Claudiam; erat autem hæc pars prope originem suam orizontalis, ut ajunt; neque per eam fluere aqua poterat, nisi prius parietem K H P superaret.

Quotiens itaque Marciæ Ductus haud erat plenus, Augustæ rivus, *præsidiarius in ipsam Marciam*, in Marciæ Ductum per fenestram C D aquam suam inducebat: cum vero Marciæ Ductus aqua plenus nequibat Augustam recipere, tunc Augusta redundans superansque parietem K H P, atque adeo influens rivum G O I *ita demum Claudiam Aquam adjuvabat*.

7. *Claudiæ Ductus habet longitudinem passuum XXXXVI. millium &c.*] Codices Cassinensis, & Vrbinas, atque etiam Iocundi Editio tribuunt toti longitudini Ductus passus 46000: ex ea rivo subterraneo passus 36230, operi supra terram passus 10076 (hic numerus perspicue legitur in Cassinensi Codice: at in Vrbinate, & in Editione Iocundi legitur 10081) ex hoc autem opere supra terram tribuunt operi arcuato in superiori parte pluribus locis passus 3076; prope Vrbem substructioni passus 609, & operi arcuato passus 6491.

II. A postremis ordiendo, habeamus principio rationem operis supra terram. Id ex partibus tribus componebatur; ex opere arcuato in superiore parte passuum 3076; ex substructione prope Vrbem passuum 609; ex opere arcuato prope Vrbem passuum 6491; in quarum partium numeris cum uterque Codex, & Iocundi Editio consentiant, summam 10176 ex ipsis partibus factam habui pro vero numero passuum conveniente operi supra terram. Itaque si rivus subterraneus erat passuum 36230, opus vero supra terram passuum 10176; jam integri Ductus, ex rivo subterraneo ac opere supra terram compositi, longitudo erat passuum 46406.

En

En ratio, quam pro emendatione in hac re visa fuit adhibenda. Mirum autem non est, si Ductus integer in Codicibus, & editis Libris ponitur passuum dumtaxat XXXXVI millium: facile etenim post numeri partem *XXXXVI millium*, quæ recte se habet, reliquam numeri partem *CCCCVI* omittere (ut etiam alibi evidentissime alia aliqua pars omissa fuit) Librariorum incuria potuit.

III. Sed antequam de Claudiæ Ductu dicere desino, animadverto, reperiri posse aliquem, qui miretur; cur Frontinus concipi aquam Claudiam ex fontibus *Ceruleo*, & *Curtio Via Sublacensi ad milliarium XXXVIII* affirmet, quando in Inscriptione Claudii supra (Nota 7 Art. 13) allata perspicue scriptum est, Claudium *curavisse perducendam aquam Claudiam in Vrbem ex fontibus, qui vocabantur Caruleus & Curtius, A MILLIARIO XXXXV.* Qui ergo fieri potuit, ut fontes illi distarent ab Vrbe milliaribus 38 si Frontinum sequaris, milliaribus vero 45 si Claudii Inscriptionem attendas? Huic respondebo: Frontinum indicavisse originis Claudiæ ab Vrbe distantiam secundum longitudinem Viæ militaris: Claudium vero indicavisse eandem originem, sed secundum longitudinem ipsius Ductus, quæ major erat; assentatoribus aulicis curantibus, ut magnitudo operis majori numero magnificentius describeretur.

IIII. At ille instabit: qua ergo de caussa Frontinus longitudinem Ductus posuit passuum 46406, cum eandem illam posuerit dumtaxat passuum 45000 Claudius, quippe qui *a milliario XXXXV* ductam fuisse Aquam scriptum reliquerit in sua Inscriptione? Alteram hanc quæstionem antequam dirimo, Inscriptionem, quæ sub illa Claudii jam relata, & alia Vespasiani (ut diximus Nota 7 II Art. 13) posita est, subjicio; hæc quoque continetur versibus quattuor:

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC
POTESTATE. $\overline{X}$. IMPERATOR. $\overline{XVII}$. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. $\overline{VIII}$
AQVAS.CVRTIAM.ET.CAERVLEAM.PERDVCTAS. A.DIVO.CLAVDIO.ET. POSTEA
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT

Igitur liquido constat, Ductum Aquæ Claudiæ bis post Claudii tempora fuisse refectum, & eandem Aquam nova forma reductam. Quare facile fieri potuit, ut sub Vespasiano, ac Tito Ductus Claudiæ refectus, longitudine auctus fuerit passibus 1406: atque hinc fieri etiam potuit, ut Frontinus (qui post Titi tempora Librum suum scripsit) eam Ductus longitudinem passuum 46406 tradiderit, quæ erat vera longitudo, quando ille Curatoris munere fungebatur: prætermissa illa longitudine Claudii, quæ post refectiones vera esse desierat.

V. Tres autem hoc loco breves animadversiones liceat apponere. Primum ergo noto, Aquam Claudiam præditam etiam fuisse nomine *Aquarum Curtiæ & Ceruleæ* (neque enim, hæc esse duo nomina, Claudiam atque Anionem designantia, mihi persuadeo) Deinde noto, certissima conjectura manifestum fieri, ipsius quoque Anionis Ductum fuisse refectum; nam Ductus ejus quædam pars opere supra terram communi cum Claudiæ Ductu sustentabatur; & reputandum non est, ejus stabilitatem fuisse multo diuturniorem Claudiæ stabilitate. Cur vero Anionis novi refecti mentio non fiat, haud satis video; de ipsa tamen refectione dubitare minime possum. Demum observo, a tempore Aquæductuum inchoatorum a Caligula ad tempus refectionis, quam Titus fieri curavit, temporis spatium minus annis solidis 44 interfuisse: quare mirum sane videtur, tam brevi spatio bis oportuisse Aquæductus illos refici; mirumque magis videtur, dici; *Aquas a solo vetustate dilapsas fuisse.* Hinc autem colligemus, vastas illas Aquæductuum moles fuisse conservatu perdifficiles, Scriptores vero Inscriptionum Imperatoribus assentari facile studuisse.

¶ Art. 15. CCCCLXXXXI. ¶ Anio novus Via Sublacensi, ad milliarium [1] XXXXII in suo rivo excipitur ex flumine; quod, cum terras cultas circa se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria limosum & turbulentum fluit: ideoque a faucibus Ductus interposita est [2] Piscina limaria, ubi inter

¶ Art. 15. 1. *ad milliarium XXXXII. in suo rivo excipitur ex flumine*] Quod Claudius in sua Inscriptione habet, Aquam *Anienem a milliario LXII in Vrbem* fuisse perductam, non de distantia secundum Vias, sed de longitudine ipsius Ductus Anionis novi intelligas oportet, quemadmodum etiam de Claudiæ Ductu in Nota 7 III. Art. 14 dictum est.

2. *Piscina limaria*] In Aquarum Ductibus Piscina Limaria erat receptaculum, in quod excipiebantur aquæ; ac ibi, ut Frontinus infra in Art. 19, *quasi respirante rivorum cursu* limum deponebant. Duo sunt Piscinarum Limariarum genera, quæ præ ceteris consideranda opinor. Ad primum autem pertinere potest quædam Piscina Aquæ Alexandrinæ; ad secundum Aquæ Virginis Piscina in Vrbe. Vtriusque descriptionem ex Authore fide & diligentia præstantissimo, nimirum ex Fabretto, desumtam, servatis plerisque ejus verbis, huc transferendam esse necessario existimavi.

II. Prima talis erat, qualis in Figura (*Fig. XI.*) exhibetur. Is autem erat usus: ex Ductu superno, cujus ostium erat B, aqua per idem ostium B in lacum B F ingrediens, ibi remisso aliquanto motu depurabatur; inde vero rursus per A ingrediens Ductum D, & profluens versus E, Romam versus iter continuabat: ut habet Fabrettus ad Num. 7. In architectura autem hujusce Piscinæ illud primum animadverto, priscos illos Architectos pro aquæ depuratione, ut ad quietem adduceretur aqua, curavisse; cognovissesque ad quietem plurimum posse conferre, si alicujus quantitatis aquæ velocitas in multo majorem quantitatem aquæ transferretur; propterea quod per majorem quantitatem diffusa velocitas ubique minor fit, ac quasi evanescit. Deinde observo, habitam fuisse ab illis rationem etiam directionis motus: neque enim ostia B & A ex directo posuere, sed ostium B direxere contra parietem ad F; ut motus intrantis aquæ non modo minueretur ex copia aquæ in Piscina contentæ, sed etiam ex adverso pariete frangeretur: atque ut hac ratione recens adveniens aqua nancisceretur tardius ad exeundum viam, interimque melius purgaretur.

III. Sed redeamus ad Fabrettum; nimirum ad descriptionem Piscinæ generis alterius. Hanc scribit Fabrettus se delineavisse *citra mensuratum fidem*: utcumque tamen, perspicue architectura Piscinæ ostenditur: atque in Figura (*Fig. X.*) est

A A Ductus Aquæ Virginis se exonerans in receptaculum B;

C Ostium, per quod Aqua descendit in cellam subterraneam D;

E Porta, ex qua Aqua defertur in aliud receptaculum subterraneum F;

G Ostium, per quod Aqua iterum assurgit ad receptaculum H, & Ductui II se restituit;

K Porta cataracta, ex qua limus, & purgamenta in Cloacam emittebantur.

Et hæc ex Fabretti Art. 228. Mihi autem liceat hoc in loco notare; hujus Piscinæ Aquæ Virginis Architectos retulisse opus ad eos fines, quos attenderunt etiam Architecti in Piscina Aquæ Alexandrinæ (quam etsi posteriorem tempore, simplicitatis tamen caussa primam descripsi) Sed in Piscina Aquæ Virginis illud artificium, quo factum fuit, ut aqua ex ostio A ingressus pervenire non posset in ostium I egressus, nisi descenderet per ostium C, transiret per portam E, & ascenderet per ostium G; illud, inquam, artificium præstantissimum est. Fieri etenim debuit necessa-

ter amnem & specum consisteret & [3] liquaretur aqua. [4] Sic quoque, quotiens imbres superveniunt, turbida pervenit in Vrbem. Iungitur ei [5] rivus Herculaneus, oriens eadem Via, [6] ad milliarium XXXVIII e regione fontium Claudiæ [7] trans flumen Viamque, natura purissimus, sed mixtus gratiam splendoris sui amittit. Ductus Anionis novi [8] efficit passuum LVIII millia

---

necessario, ut in subterraneis illis cellis valde purgaretur aqua; atque ut per ostium G in suprema cellæ F parte perforatum ascenderet pars aquæ levior & desæcatior egressura per ostium I. Non prætereo, ex hac nos posse concipere quid Piscinæ Contectæ fuerint (quarum aquæ ab aeris, pluviarumque injuriis utilissime defendebantur) ut contra ex illa primum descripta Piscina apparet, quid Patentes Piscinæ essent.

V. Quod vero attinet ad eam Piscinam Anionis Novi, de qua loco supra citato verba facit Frontinus noster, eam patentem fuisse opinor, & rudiori opere extructam: namque ea rivum Anionis non intersecabat, sed erat propter amnem; nimirum posita inter amnem ipsum & specum, ut aqua a concepto motu quasi respiraret.

3. *liquaretur*] Hoc est, subsidente limo, desæcaretur.

4. *Sic quoque &c.*] Locum hunc ita interpretor; Etiamsi aqua in piscina limaria aliquid turbidi relinquat, nihilominus quoties imbribus supervenientibus aqua valde turbida est, non sic desæcatur in piscina, ut in Vrbem turbida non perveniat.

5. *rivus Herculaneus*] Herculaneus idem significat, ac pertinens ad Herculem. Cur vero hic rivus Herculaneus diceretur, memoriæ proditum non est; fortasse ejus fontes in vicinia erant loci alicujus sacri Herculi. Rivus autem hoc loco sumi debet, non secundum eam significationem, quam obtinet, cum ad Ductus Aquarum refertur; sed ut aqua a proprio suo fonte manans, atque excepta intra peculiarem aliquam fossam, per quam fluat. Eodem modo sumitur hæc vox a Plinio, ubi Lib. XXXI. Cap. 3 post adsignatam Virginis Aquæ originem, ait; *Iuxta est Herculaneus rivus, quem refugiens* (Aqua ab Agrippa ducta) *Virginis nomen obtinuit*. Sed hic rivus Herculaneus proximus Virginis origini, a Plinio nominatus, omnino diversus est habendus ab eo fluente *e regione fontium Claudiæ*; de quo hoc loco loquitur Frontinus noster.

6. *ad milliarium XXXVIII, e regione fontium Claudiæ*] Ita perspicue Codex Cassinensis: at Codex Vrbinas habet; *ad milliarium XXXXIII*: & quot Codex Vrbinas, totidem milliaria habent etiam Editiones; perperam tamen. Nam supra in Art. 14 statutum fuit, fontes Claudiæ fuisse ad milliarium XXXVIII. Caussa primi erroris videtur manasse ex eo, quod in vero numero XXXVIII mutata per facilem incuriam Librariorum nota V in notam X, ex numero XXXVIII effectus est falsus numerus XXXXIII.

7. *trans flumen Viamque*] Particulam *trans* refero ad fontes Claudiæ, qui cum essent (in Tabula, quæ notatur littera I ad pag. 11, videatur DELINEATIO REGIONIS INTER TIBVR &c.) ad partes, ubi littera A, si concipiatur, rivum Herculaneum transivisse per oppositum locum, ubi numerus XXXVIII, jam erit palam, cur diceretur, *e regione* (idest ex adverso, ex opposito) *fontium Claudiæ trans flumen Viamque*. Accedit & illud, eos Claudiæ fontes fuisse *trans flumen Viamque*, vel si in explicanda particula *trans* ratio Vrbis Romæ haberetur, in qua Frontinus scribebat.

8. *efficit passuum LVIII millia DCC*] Cum hi passus 58700 dividantur in partes duas;

millia DCC: ex eo rivo ſubterraneo paſſuum XXXXVIIII millia CCC, opere ſupra terram paſſuum VIIII millia CCCC; & ex eo ſubſtructionibus aut opere arcuato [9] ſuperiore parte pluribus locis paſſuum II millia CCC, & propius Vrbem [10] a VII milliario ſubſtructione rivorum paſſuum DCVIIII, opere arcuato paſſuum VI millia CCCCLXXXXI. Hi ſunt arcus altiſſimi, ſublevati in quibuſdam locis CVIIII pedes.

¶ Art. 16. ¶ [1] Tot Aquarum tam multis neceſſariis molibus [2] Pyramides, [3] videlicet otioſas, [4] compares, aut cetera inertia, ſed fama

---

nimirum in rivum ſubterraneum paſſuum 49300, & in opus ſupra terram paſſuum 9400, qui duo numeri in unam ſummam collecti reſtituunt numerum 58700; dicendum eſt, cunctos illos tres numeros recte ſe habere. Accedit Codicum, atque editorum Librorum conſenſus integer. Quod vero in Claudii Inſcriptione ante relata ſcriptum ſit, Aquam Anionem novam *a milliario LXII* fuiſſe perductam, nil officit. Ductus enim longitudo (de longitudine autem Ductus & ibi & hoc loco ſermo eſt) potuit poſt Claudii tempora brevior fieri, aliquibus omiſſis circuitibus, & fortaſſe Aqua ex flumine paullo propius Vrbem excepta, quando bis reſectus fuit Ductus, ut ſupra in Nota 7 V. Art. 14 oſtendimus.

9. *ſuperiore parte pluribus locis paſſuum II millia CCC*] In Codice Caſſinenſi legitur paſſuum *duodecim millia trecentos*: In Codice Vrbinate, & in Libris editis legitur; paſſus *XII mille DCCC*. At ſi totum opus ſupra terram erat paſſuum *IX millium CCCC*, qui fieri deinde poterat, ut una ejus pars eſſet paſſuum XII millium & amplius? Delevi notam X & ſecundum Caſſinenſis Codicis verba retinui notas CCC itaque habui paſſus *II mille CCC*. Et quidem hic numerus 2300 conjunctus cum reliquis ſequentibus duobus numeris (in quibus Codex Caſſinenſis, & Iocundi Editio conſentiunt) ſubſtructionis paſſuum 609, & operis arcuati paſſuum 6491, reſtituit omnino, ut oportet, numerum 9400 totius operis ſupra terram; atque ita probat, tres hoſce numeros recte poſitos eſſe.

10. *a VII. milliario*] Aquæ Claudia, & Anio novus ſuper eoſdem arcus in Vrbem ferebantur: credibile autem eſt, a ſeptimo milliario una ubique ductas fuiſſe has Aquas; nam iiſdem ferme verbis opera utrique ſuppoſita deſcripſit Frontinus. De Claudia habet, in Art. 14, *a VII milliario* &c.: de Anione novo hic, *a VII milliario* &c. numeris paſſuum ſubſtructionis, & operis arcuati utrobique prorſus congruentibus.

¶ Art. 16. 1. *Tot aquarum tam multis neceſſariis molibus &c.*] Hæc periodus Parentheſis eſt: declinat enim Frontinus ab ipſa rivorum deſcriptione, ut Lectorem ad admirationem traducat. Tota autem periodus dici poteſt quidam Figurarum complexus.

2. *Pyramides*] Pyramides erant in Ægypto vaſtæ moles lapideæ, quæ ex baſi quadrata paullatim in acutum faſtigium deſinebant. Dicuntur fuiſſe Ægyptiorum Regum ſepulcra, quorum tam magnifice extruendorum Regibus *ea cauſſa*, teſte Plinio, Lib. XXXVI. Cap. 12, *traditur, ne pecuniam Succeſſoribus, aut Æmulis inſidiantibus præberent, aut ne Plebs eſſet otioſa*.

3. *videlicet otioſas*] Hoc loco particula *videlicet* ſignificat *certe*, & hic *uſum ſuum habet*, ut ſcripſit Laurentius Valla in Elegantiarum Lib. II. Cap. 60, *per amaritudinem quandam cum deriſu permixtam*.

4. *compares*] Ita Codices Vrbinas, & Caſſinenſis: at Libri editi habent *comparem*; adduunt

fama celebrata Opera Græcorum? ¶ [1] Non alienum mihi visum est longitudines quoque rivorum cujusque Ductus [2] etiam per species operum complecti: nam cum maxima hujus Officii pars in tutela eorum sit, ¶ Art. 17.

---

addunt etiam (idque recte, ut opinor) interrogationis notam. Ceterum præstare videtur lectio illa Codicum, quippe quæ elegantior. Ad *Modum* enim, quem Grammatici *Potentialem* vocant, id verbum revocandum esse reor; ut, *comparer*, significet *poterisne comparare?* Varia afferre possem exempla; at unum ex Horatii Arte Poetica sufficiet, quod maxime facit ad rem nostram. Scribit Horatius

Spectatum admissi risum teneatis, Amici?

cujus versus haud dubie significatio hæc est: O Amici admissi spectatum, poteritisne tenere risum? Quare totam Frontini sententiam interpretor ita: nunc o Lector, *cum tam multis & necessariis molibus tot Aquarum* poterisne comparare *Pyramidos certe otiosas, aut cetera opera inertia*, quæ a Græcis fuere celebrata? Si quis autem vellet (rejecta interrogatione) verbum *compares* præsens esse Conjunctivi Modi, quo Scriptores aliquando in imperando utuntur, opinatio hæc mihi quidem minus placeret.

II. At redeo ad Frontinum, qui, jure quidem meritoque, hoc loco Aquarum Ductuum magnificentiam, utilitatemque laudat. Idem gravissimis verbis etiam infra in Art. 119 præstat. *Ad tutelam*, scribit, *Ductuum, sicut promiseramus, divertimus, rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani Imperii id præcipuum sit indicium*. Atque ante Frontinum Plinius postquam verba fecit de Claudia Aqua, hæc addit in Lib. XXXVI. cap. 15. *Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis* (in hoc verbo *advenientis* mendum aliquod fortasse subest) *exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto Orbe Terrarum*. Quin etiam post Frontinum non defuere qui Aquarum Ductus magnopere commendarent. Dionysius, Lib. III. Hist. Rom. *mihi*, inquit, *sane magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquaductus, Viæ Stratæ, Cloacæ*. Cassiodorus, in Epist. 6 Lib. VII, de Roma ait; *Flumina, quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos soliditates saxorum, quando tantus impetus Fluminis, tot seculis firmiter potuit sustineri*. Quæ omnia poetice Rutilius in Itinerario, Lib. I. versu 97.

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos?
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potius dicas crevisse in sidera montes,
Tale giganteum Græcia laudat opus.
Intercepta suis conduntur Flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

1. *Non alienum mihi visum est &c.*] Ostendens Frontinus breviter quid jam dictum sit, parat transitionem ad id, quod consequitur; nimirum ad narrandum, factas fuisse cura sua Formas Aquæductuum. Sed vellet fortasse aliquis, ut hoc transitionis principium cum iis, quæ antea dicta fuerant, particulæ alicujus adminiculo fuisset arctius connexum. Verum id necessarium minime est: ac Frontinus haud semel id in transitionibus non observat; quod hic monuisse sufficiat. ¶ Art. 17.

2. *etiam per species operum complecti*] Ita Codices: Editio princeps habet; *& prospectus operum complecti*: Editio Iocundi; *& per species operum complecti*. Secutus sum Codices; sensus autem hic est: longitudines non modo per mensuras passuum, sed *etiam per species operum*, indicando ubi essent rivi, ubi substructiones, ubi arcus, *complecti*.

 3. *scire*

sit, [3] scire Præpositum oportet, quæ majora impendia exigant. Nostræ quidem solicitudini non suffecit singula [4] oculis subjecisse; [5] formas quoque Ductuum [6] facere curavimus, ex quibus apparet ubi valles, quantæque, [7] ubi flumina trajicerentur, ubi montium lateribus [8] specus appliciti, majorem assiduamque [9] *perterendi*, ac muniendi ii exigant curam: hinc

---

3. *scire Præpositum oportet, quæ majora impendia exigant*] Ita Codex Vrbinas: Codex Cassinensis, & Editio Iocundi habent; *propositum*. Sed prætuli lectionem illam; id enim verbum *præpositum* videtur ad Aquarum Curatorem referri: ut supplendum sit; Curatorem *præpositum* Aquis tuendis. Porro quædam opera, ut opera arcuata, exegisse majora impendia; quædam alia, ut rivi, exegisse minora impendia, varietatesque regionum, locorumque ad impendiorum summam aliquid pariter contulisse, per se est manifestum.

4. *oculis subjecisse*] Idest visitavisse.

5. *formas*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *sed formas*. Formæ, cum agitur de Aquæductibus, aliquando significant fistulas, tubos, seu specus, per quos aqua ducitur. Quin ipse Frontinus infra in Art. 75 hanc vocem haud absimili significatione assumit, cum ait; *plerique possessorum fraude formas rivorum perforant*. Errat tamen vehementer Keuchenius (& si qui alii cum eo faciunt) putans, hoc etiam loco, huic voci talem significationem esse tribuendam. Ne dicam, Keuchenium novisse Turnebi sententiam, sed maluisse, inventis frugibus, glande vesci. Turnebus enim in Adversariorum Lib. V. Cap. 5 hæc habet; *Formæ sunt interdum rerum aliquarum imagines, & deformationes, ac picturæ*; continuoque citat hunc, quem in manibus habemus Frontini locum. Fabrettus vero, Num. 219, cum Turnebo ferme convenit: namque ad hunc eundem Frontini locum pro *Forma intelligendum esse*, scribit, *vestigium seu ichnographiam, recepta in re agraria locutione*. Quos doctissimos Viros si sequamur, quid Frontinus significare voluerit, satis quidem intelligemus.

II. Illud tamen ex horum consideratione præterea venit in mentem, num Frontini *Formæ* fortasse fuerint solidæ Ductuum imagines, opera scilicet cælata atque coagmentata ex partibus variis: quemadmodum Architecti ex ligno & crassioribus cartis extantem effingunt imaginem, futuri operis specimen exhibentem.

6. *facere curavimus*] Subaudi Artifices, ac supple ita; *curavimus*, Artifices *facere* formas.

7. *ubi Flumina trajicerentur*] Diximus in Nota 7 Art. 11 per pontes fuisse aquas trans Tiberim perductas: idem indicat factum Frontinus, ut Aquæ trans minora Flumina ad Vrbem ducerentur; quod & pontibus, & altioribus arcubus, pro varia specuum a terra elevatione, fieri potuit.

8. *specus appliciti*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *specus appliciti, quantoque*. Specus fodiebantur in montibus sub terram, ut ex Vitruvio jam diximus in Nota 7 II. Art. 3: sed specus etiam erant viæ, seu canales, per quos supra substructiones, aut arcus aqua ferebatur, quemadmodum citato in loco notavimus. Itaque puto, hic sumi specus secundum hanc ultimam significationem: namque specus isti, quoniam dicuntur appliciti lateribus montium, videntur non fuisse in montibus effossi: propterea vero credibile est, Frontinum indicare, montium lateribus applicitos specus multa cura indigere. Equidem Frontinus infra in Art. 121 enumerans partes illas Ductuum, quæ facilius laborant, inter ipsas etiam *partes, quæ montium lateribus applicitæ sunt*, recenset.

9. perterendi, *ac muniendi ii exigant curam*] Ita Editio Iocundi: at Codices Cassi-

hinc illa contingit utilitas, ut rem statim veluti in conspectu habere possimus, & deliberare tanquam assistentes. ¶ Omnes Aquæ [1] diversa in Vrbem libra proveniunt : [2] inde fluunt quædam altioribus locis, ¶ Art. 18.

Cassinensis, & Vrbinas habent; *petendi, ac muniendi vi exigant curam*. Coactus vero sum illam sive lectionem, sive emendationem Iocundi sequi: non quod omnino placeret; sed quod meliorem quærenti melior sese (fateor) non obtulit. Verbum autem *perterendi* explico, ut significet idem atque, comminuendi terendo: terendus enim erat in rivis limus, qui ex turbidis aquis separatus, obduratusque, & crustas efformans, aliquod aquarum motui afferebat impedimentum.

1. *diversa in Vrbem libra*] Hujusce vocis *Libræ* variæ sunt significationes. Mechanici sæpe hac voce utuntur ad significandum Instrumentum, quo exploratur altitudo unius loci collata cum altitudine alterius loci; & hujusce instrumenti usus dicitur *perlibratio*. Altitudo autem alicujus loci (ubi de libra, aut perlibratione agitur) sumitur pro distantia ipsius loci a centro omnium gravium Orbis Terrarum. ¶ Art. 18.

II. Sæpe autem ad hanc ipsam altitudinem significandam vocabulum *Libræ* usurpatur; nimirum vocabulum instrumenti, quo vel æqualitas, vel differentia variarum altitudinum cognoscuntur. Quando itaque duo loca eandem altitudinem habent, ea *ad Libram* (sive etiam *ad Libellam*) esse dicuntur. Ita Vitruvius in Libro VIII. cap. 7 scribit; *nec substructum ad Libram factum*; quæ verba *ad Libram* Barbarus Italice sic reddidit, *a livello*; Perraultius Gallice sic, *a nivean*. Itaque si alicujus lineæ, aut superficiei omnia puncta æqualiter a centro omnium gravium distent, talis linea, aut superficies *ad Libram* dicetur; atque hæc *Libra* vera est. Quod si sermo esset de recta aliqua linea rectos angulos faciente cum alia recta linea ad perpendiculum ducta, nimirum ducta ad centrum omnium gravium; ea recta linea *ad Libram* quidem dici posset, sed *ad Libram apparentem*. Nos vero de hac in præsentia non agimus.

III. Aquæ autem, & omnium liquidorum ea est natura; ut, nisi a violento aliquo motu commoveantur, supremam semper superficiem suam *ad libram* veram componant. Adde, esse Axioma ab iis, qui de perducendis aquis scripsere, plane receptum; aquam tantum ascendere, quantum descendit: hincque facile colligi, aquam fluentem non posse ascendere ad altitudinem majorem ea altitudine, ex qua fluit. Neque illo minus certum haberi debet id; nimirum aquam fluentem, & a tergo pressam ab alia aqua fluente, eo magis premi, quo aqua a tergo premens altior est.

IIII. Itaque quod ad rem nostram pertinet, Libra significat vel instrumentum, quo altitudines explorantur; vel altitudines ipsas, sive hæ ad superficiem supremam aquæ, sive ad planum, super quod aqua ducitur, referantur. Hinc apparet differentia inter verbum *Libram*, & verbum *Libramentum*; id enim supra in Nota 15 Art. 6 definivimus, mensuram (seu quantitatem) declivitatis plani, super quod aqua ducitur. Demum, ut veniamus ad ipsa Frontini verba, *Aquæ omnes diversa in Vrbem Libra proveniunt*, perspicuum per se est, hoc in loco Frontinum *Libræ* vocabulo Aquarum altitudinem significare; ut Turnebus in Adversariorum Libro V. Cap. 5, referens posita modo Frontini verba haud obscure scripsit; *Libra interdum altitudinem & fastigium significat, propter perlibrationem Aquarum*.

2. *inde fluunt quædam altioribus locis &c.*] Nam Aquæ, quarum Libra minor, ascendere non poterant ad eam altitudinem, ad quam pervenire poterant Aquæ, quarum Libra major erat: ut ex iis, quæ in superioris Notæ Sectione III posuimus, evidenter colligi potest. Editio princeps habet ut scripsimus: Codices Cassinensis, & Vrbinas habent; *inde fiunt quædam altioribus locis*: Editio Iocundi, *inde fit, ut quædam alti-*

cis, & quædam [3] erigi in eminentiora non possunt: [4] nam & colles si sint, propter frequentiam incendiorum [5] excreverunt rudere. [6] Quinque *autem Aquarum* altitudo in omnem partem Vrbis attollitur: [7] sed ex his aliæ majori, aliæ leviori [8] pressura coguntur.

---

altioribus locis serviant. Sed hæc lectio a verbo illo *serviant*, quod deest in Codicibus atque in principe Editione, mihi facta suspecta est. Secutus itaque sum Editionem principem satis consentientem cum Codicibus: namque, pro verbo *fiunt*, legendum esse haud absimilis scripturæ verbum illud *fluunt*, quis, quæso, dubitet?

3. *erigi in eminentiora non possunt*] Ita Codex Cassinensis: Editio Iocundi, pro verbo *erigi*, habet *exiti*.

4. *nam & colles si sint*] Colles sunt minores montes; & colles appellantur etiam loci ex terra leviter eminentes, ut septem illi in Vrbe colles (Hi autem in Vrbe colles aliquando etiam montes, quamvis improprie, dicti fuere) Verum hoc loco Frontini sententia esse talis videtur; *etsi* in Vrbe *colles sint*, loca quidem facta non admodum eminentia a Natura; hæc tamen *propter frequentiam incendiorum* excreverunt rudere: sic quædam Aquæ vim habere nequeunt, ut *in eminentiora* eorundem collium loca ascendere possint.

5. *excreverunt rudere*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: Editio Iocundi; *ruderibus excreverunt*.

6. *Quinque* autem Aquarum *altitudo in omnem partem Vrbis attollitur*:] Codices Cassinensis, & Vrbinas; *Quinque sunt duarum altitudo in omnem partem Vrbis attollitur*: Editio princeps; *Quinque sunt ductuum altitudines in omnem partem Vrbis*: Editio Iocundi; *Quinque enim sunt ductuum altitudines, quarum duæ in omnem partem Vrbis attolluntur*. Sed quod attinet ad hanc Iocundi lectiooem, reor; ipsam adversari iis, quæ sequuntur: neqne enim infra Frontinus duas Aquas ab aliis distinguit, sed una eademque ratione quinque Aquarum, Anionis novi, Claudiæ, Iuliæ, Tepulæ, & Marciæ libras comparat, manifesto indicio, non separari ab aliis duas Aquas, quæ solæ in omnem partem Vrbis attollerentur. Quod si quis vellet, duas Aquas, Anionem, & Claudiam fuisse separatim enumeratas, propterea quod (ut infra in Art. 86 dicitur) duæ illæ Aquæ cnnctis XIIII Vrbis Regionibus serviebant, non autem cunctis Regionibus serviebant Marcia, Iulia, & Tepula: respondebo, harum trium Aquarnm copiam fuisse minorem; & aliis etiam de caussis fieri potuisse, ut hæ tres Aquæ non diffunderentur per Regiones omnes, ut illæ duæ diffundebantur. Ceterum in omnes Vrbis Regiones diffundi potuissent etiam humiles Aquæ, cum in singulis Regionibus partes quædam humiles essent; quare confirmatur diffusionem per Regiones plures pertinere proprie ad Aquarum copiam, non ad altitudinem.

II. Propter hæc, haud magna correctione adhibita, legendo *autem Aquarum*, pro *sunt duarum*, Codiees sum secutus: sic enim sententia clara est, & subsequentibus verbis roboratur.

7. *sed ex his aliæ majori, aliæ leviori pressura coguntur*] Ita Codices: ita etiam (deficiente nna particula *ex*) Editio princeps. Hinc satis perspicuum fit, superius de cunctis quinque Aquis, duabus minime exceptis, verba fecisse Frontinum, qui hoc loco id dumtaxat pro differentia proponit: nimirum, ex quinque Aquis alias majori, alias leviori pressura cogi. Superius vero mentionem Aquarum, non Ductuum factam fuisse, satis apparet; quia scribitur, *ex his aliæ majori, aliæ levio-*

guntur. [9] Altissimus est Anio novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Iulia, quartum Tepula, dehinc Marcia, [10] quæ capite etiam Claudiæ libram æquat. Sed Veteres [11] humiliore directura perduxerunt, [12] sive nondum ad subtile explorata arte librandi;

---

leviori pressura coguntur: neque enim hæc verba, quæ Aquis optime quadrant, possunt Ductibus ullo modo convenire.

II. Editio Iocundi habet; *sed ex reliquis aliæ &c.*: ubi perspicuum est, vocem *reliquis* fuisse perperam insertam ex ea caussa, quod supra perperam duæ Aquæ fuerant a reliquis sejunctæ: quasi duæ illæ solæ in omnem partem Vrbis attollerentur; id enim ubi factum erat, separatis duabus, aliæ appellari debebant reliquæ.

8. *pressura*] Pressura est actio premendi. Quoniam itaque ducebantur aquæ ab altioribus locis ad minus alta, fiebat, ut aqua (quemadmodum diximus in Nota I III. hujusce Art.) premeretur a tergo ab alia aqua fluente: hujus autem eo major erat vis, quo major erat altitudo: quare pro majori, aut minori altitudine, major etiam aut levior pressura. Hinc autem aqua, cujus libramentum majus erat (hoc est major declivitas plani, per quod ferebatur) cogebatur majori pressura: a tergo enim adveniens aqua majorem habebat in premendo vim. Contrarium intelligendum est de minori libramento, in quo pressura levior.

9. *Altissimus est Anio novus*] Ita Codices. In sectionibus Ductuum exhibitis supra (*Fig. VII*, & *VIII* ad pag. 39) apparet quæ ratio altitudinis esset quinque Ductuum Aquarum eo in loco, ubi nunc Porta Major. Descendendo itaque erat secundum altitudinem illarum Aquarum ordo hic; Anio Novus, Claudia, Iulia, Tepula, Marcia.

10. *quæ capite etiam Claudiæ libram æquat*] Id verum est, sive fontes Marciæ, & Claudiæ in eadem altitudine essent; sive fontes Marciæ, & rivus Claudiæ, ubi hic transibat e regione fontium Marciæ, in eadem altitudine existerent. Vtroque modo recte Fabrettus in Num. 179 disputat adversus Holstenium, qui Marciæ fontem fonte Claudiæ *decem stadiis superiorem in origine* perperam *fecerat*, *in decursu Fluminis rapidissimi*.

11. *humiliore directura*] Hac voce *directura* usus est etiam Vitruvius, Lib. VII. Cap. 3, ubi de tectorio opere verba faciens, scripsit; *quo fundatior erit ex arenato directura*. Videtur autem hæc vox adhiberi, cum secundum aliquam vel superficiem, vel lineam opus aliquod dirigitur. Itaque puto, a Vitruvio *directuram ex arenato* appellari arenatum ipsum eatenus, quatenus dirigitur supra parietes. Frontinus vero ad Terræ superficiem respexisse videtur. Videnturque hæc a Frontino afferri, sumta occasione ex eo, quod Marcia, *quæ a* capite Claudiæ libram æquabat, humiliore tamen, quam Claudia, libra in Vrbem perveniebat.

12. *sive nondum ad subtile explorata arte librandi*] Ars librandi aquas, hoc est ars explorandi varias aquarum altitudines, ex duabus veluti principibus partibus constat: nimirum comparatione Instrumentorum, quæ ad Librarum genus adducuntur, & eorundem Instrumentorum usu. Quænam hæc Instrumenta essent quæ Vitruvii tempore adhibebantur, satis constat ex Vitruvii ipsius sexto Capite Libri VIII, quod inscribitur; *De perductionibus, & librationibus aquarum, & instrumentis ad hunc usum*. Num vero Frontini ævo, uno circiter post Vitruvii ævum sæculo, melior adhuc reddita esset hæc ars, conjicere nescio. Illud plane scio, nuperis temporibus circa artem hanc plura fuisse inventa, ut liquere potest, ex iis, quæ Picardus, & Deshayes (hic secutus est Hugenii inventa) in peculiaribus de hac re Libris,

Mariot.

di; ſeu quia ex induſtria infra terram Aquas mergebant, ne facile ab hoſtibus interciperentur, [13] cum frequentia adhuc contra Italicos bella gererentur. Iam tamen quibuſdam locis, ſicubi Ductus vetuſtate dilapſus eſt, [14] omiſſo circuitu ſubterraneo vallium, brevitatis cauſſa, ſubſtructionibus, arcuationibuſque [15] trajiciuntur. [16] Sextum tenet libræ locum Anio vetus,

---

Mariottus in Tomo ſecundo ejus Operum pag. 535, Gulielminus in Libro de Fluminum Natura, Coupletius in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ ſcriptis anno 1699, aliique edidere.

II. Sed redeundo eo, unde diſceſſimus; eam *veterem librandi imperitiam* notavit Fabrettus (in Num. 180) *in ipſo Marciæ Ductu prope Vrbem, qui in loco, ubi ejus opus arcuatum incipit ad Viam Latinam V. circiter ab Vrbe lapide cum Ductu Claudiæ collatus, XX pedes ſub eo reperitur: & mox ad Portam Majorem totis pedibus* XXV (in Fabretti libro pro XXV legitur *V*; ſed ex errore Typographi, ut puto: nam ex ipſis menſuris, quæ viſuntur in Figuris Fabretti, hæ autem mihi ſunt *Fig. VII.* & *VIII* ad pag. 39, liquet XXV & ſemis eſſe ponendum: & fortaſſe aliquis etiam alius error in hoc loco eſt) *& ſemis, ni aliquid tantæ declinationi deſcenſus poſt Piſcinam contulerit, deprimitur*. Quare videretur Frontinus imperitiam hanc etiam illis, qui Marciam duxerunt tribuere voluiſſe. In medio tamen relinquo, an id revera voluerit Frontinus: an potius, ſumta ex Marcia occaſione (ut in ſuperiore Nota indicavi) imperitiam Veterum, qui duxere Appiam & Anionem veterem improbaverit; quemadmodum verbis continuo ſequentibus, certe egit dumtaxat de illorum induſtria mergendi Aquas infra terram ob metum Italicorum Hoſtium, ut mox oſtendam.

13. *cum frequentia adhuc &c.*] L. Florus in Proœmio Lib. I. Populum Romanum quaſi hominem conſiderans, de ætate ejus poſt infantiam hæc habet: *ſequens* (ætas) *a Bruto Collatinoque Conſulibus in Appium Claudium, Quintumque Fulvium Conſules* (hoc eſt uſque ad annum, ut ipſe ponit, ab V. C. CCCCL, paullo poſt primæ Aquæ, nimirum Appiæ, perductionem) *CC annos habet, quibus Italiam* (Populus Romanus) *ſubegit*. At id, quamvis falſum dici nequeat, non tamen impedit, quin longius producatur tempus a Frontino indicatum: cum revera, etiam poſt annum V. C. CCCCL, nempe uſque ad finem ſecundi Punici belli, prima (ut ita dicam) parte juventæ Romani Populi, *frequentia adhuc* contra Italicos, aut faventes Pœnis, aut aliis de cauſſis rebellantes, *bella gererentur*.

II. Quoniam vero ante belli Punici ſecundi finem duæ tantum Aquæ fuerant perductæ, Appia, & Anio vetus (tertia enim, quæ Marcia fuit, demum anno V.C. 608 duci cœpit) credibile mihi eſt, Frontinum ex Marcia Aqua occaſionem hujuſce animadverſionis arripuiſſe: at induſtriam mergendi Aquas infra terram ob metum Italicorum Hoſtium retuliſſe dumtaxat ad eos, qui primas illas duas Aquas perduxerunt.

14. *omiſſo circuitu ſubterraneo vallium*] Ita Codices: at Editio Iocundi habet *vallus*: cur tamen, non percipio. Scaliger in Variis Lectionibus reponit *vallium*. Primi illi ædificatores Ductuum raro ſupplebant vallium cavitates ſubſtructionibus, aut arcuatis operibus; ſed longiori itinere per circuitum editiorum marginum vallium ducebant rivos, quod fieri deinde noluerunt ii, qui refectiones partium vetuſtate dilapſarum curavere.

15. *trajiciuntur*] Supple verbo *Aquæ*: ſententia enim eſt; Aquæ trajiciuntur.

16. *Sextum tenet libræ locum*] Poſtquam Frontinus dixit de quinque Aquis, quæ in omnem partem Vrbis attollebantur, nunc ad ſcribendum de reliquis aggreditur.

17. *ſuſ-*

vetus, ſimiliter [17] ſuffecturus etiam altioribus locis Vrbis; [18] *ſi*, *ubi* vallium ſubmiſſarumque regionum conditio exigit, [19] ſubſtructionibus arcuationibuſque erigeretur. Sequitur hujus libram Virgo, deinde Appia, quæ cum ex urbano Agro perducerentur, non in tantum altitudinis erigi potuerunt. Omnibus humilior [20] Alſietina eſt, quæ Tranſtiberinæ Regioni, & [21] maxime

17. *ſuffecturus etiam altioribus locis*] Ita Codices. Senſus eſt; Anio vetus poſſet etiam ad altiora loca perduci.

18. ſi, ubi] In Codicibus, & Editione Iocundi legitur *ſicubi*; at ſi ponatur *ſicubi*; deinde alia particula, puta *ut*, certe deſideratur; quemadmodum conſideranti patebit: ſatius itaque duxi, particulam *ſicubi* in duas dividere *ſi* & *ubi*, quibus conjunctis Librarii facillime *ſicubi* formare potuerunt.

19. *ſubſtructionibus arcuationibuſque erigeretur*] Codex Caſſinenſis habet; *ſubſtructionibus arcuationibus veteris erigeretur*: Codex Vrbinas; *ſubſtructionibus arcuationibuſque veteris erigentur*: Editio Iocundi; *ſubſtructionibus arcuationibuſque veteres exigentur*. Quamcumque ex his lectiooibus adhibeas, cum patentem errorem in verbo *veteris*, ſeu *veteres* obſervas, tum nullam perfectam ſeotentiam aſſequi potes. Sane Io. Opſopœus ad huoc locum ita habet; *Mendum eſt in „ veteres exigantur „. In Petri Pithœi codice illud aſteriſco notatur, hoc in „ erigeretur „ vertitur*. Itaque exiſtimavi, vocem *veteris* expungendam eſſe; quæ facile ex aliqua tali nota, *Anionis veteris*, ad Marginem antiquiorum Codicum poſita in Textum ipſum Frontini irrepſiſſe videtur. Hac autem expunctione vocis *veteris*, & verbo *erigeretur*, fit tota ſenteotia rationi maxime conſooa, atque perſpicua. Porro, Aquas erigi etiam alibi Frontinus dixit: ut mox infra dum ait; *non in tantum altitudinis erigi* (Aquæ Virgo & Appia) *potuerunt*.

20. *Alſietina eſt, quæ Tranſtiberinæ Regioni, & maxime jacentibus locis ſervit*] Quæ hoc loco habet Frontinus, videntur omnino contraria eſſe iis, quæ Frontinus ipſe profert infra in Art. 85 *Alſietinæ* (erogantur) *quinariæ 392. Hæc tota extra Vrbem conſumitur; nomine Cæſaris quinariæ 254: Privatis quinariæ 138*. Igitur, *ſi tota extra Vrbem conſumebatur*; quomodo poterat *Tranſtiberinæ Regioni*, quæ intra Vrbem erat, *ſervire*? Neque vero *Tranſtiberinam Regionem*, pro Agris traos Tiberim, habendam reor.

II. Vt tollamus difficultatem hanc, locumque explicemus, præſtabit animadvertere, Frontinum de menſuris Aquarum agentem in Art. 71 habere hæc; *Alſietinæ conceptionis modus nec in Commentariis aſcriptus eſt, nec in re præſenti certius inveniri potuit, cum ex Lacu Alſietino, & deinde circa Careias ex Sabbatino, quantum Aquarii temperaverunt, habeat. Erogat quinarias 392*. Ex quibus liquet, duplicem (ut ita dicam) fuiſſe Alſietinæ Aquæ oiodum: fuiſſe alterum incertum, menſuraque minime determinatum, ſed tantum, *quantum Aquarii temperaverunt*: alterum determinatum, videlicet *quinariarum 392*. Ille indeterminatus ferebatur in Naumachiam, quæ erat in Tranſtiberina Regione, & in proxima humilia loca; quamobrem de eo verba Frontinus fecit, cum in hoc Art. ſcripſit; *Alſietina Tranſtiberinæ Regioni, & maxime jacentibus locis ſervit*. Ad modum vero determinatum, qui extra Vrbem diſpenſabatur, reſpexit Frontinus, cum agens de menſuris in Art. 85 ſcripſit; *Hæc tota extra Vrbem conſumitur*: cunctæ enim illæ quinariæ 392, quarum modus certus erat, extra Vrbem conſumebantur, non tota Aqua Alſietioa. Hac ratione, ni peſſime fallor, conciliantur loca inter ſe, explicanturque.

21. *maxime jacentibus locis*] Ideſt maxime humilibus, & in quæ etiam humillima Aqua duci poterat. Codices Caſſinenſis, & Vrbinas ita habent, nimirum; *jacentibus locis*: Editio Iocundi; *ſubjacentibus locis*.

¶ Art. 19. xime jacentibus locis fervit. ¶ [1] Ex his fex, [2] Via Latina, intra VII milliarium [3] contectis Piscinis excipiuntur, ubi quasi respirante rivorum cursu, limum deponunt: [4] modus quoque earum mensuris ibidem positis initur. [5] Vna autem earum Iulia, Marcia, Tepula (quæ intercepta, sicut supra demonstravimus, rivo Iuliæ accesserat, nunc a Piscina ejusdem Iuliæ modum accipit, ac proprio canali & nomine venit) hæ

¶ Art. 19. 1. *ex his fex*] Subaudi, Aquis hactenus descriptis. Codex Cassinensis ponit particulam *fex*, quo loco a nobis quoque posita est: Editio Iocundi eam ponit post verba *Via Latina*, sic referri posset ad Piscinas; sed perperam referretur. Quæ vero fuerint sex illæ Aquæ, nisi aliunde constaret evidenter, colligi posset ex illis verbis Frontini, quibus infra Art. 22 dicitur; *nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina Conceptacula, idest Piscinas habent*. Ergo Piscinas habebant reliquæ sex, Anio vetus, Marcia, Tepula, Iulia, Claudia, Anio novus.

2. *Via Latina*] Idest in confiniis Viæ Latinæ.

3. *contectis Piscinis*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent; *contentis Piscinis*. Sed ubi Frontinus dixerat, *intra VII. milliarium*, vox *contentis* parum significare visa est; cum e contrario vox *contectis* multum significet; distinguit enim propositas hasce a patentibus Piscinis, & partem perutilem architecturæ Piscinarum illarum nobis notam facit. Cujusdam contectæ Piscinæ figuram apposuimus ad Notam 2 Art. 15.

4. *modus quoque earum*] His verbis indicat Frontinus, modum (hoc est copiam) aquarum determinari in iis Piscinarum ostiis, per quæ aqua ingrediebatur canales ad Vrbem perductos. Id tamen Frontinus iterum, infra in Art. 72 firmius asseverat; ibique erit de hac re plura dicendi locus.

5. *Vna autem earum Iulia, Marcia, Tepula (quæ intercepta, sicut supra demonstravimus, rivo Iuliæ accesserat, nunc a Piscina ejusdem Iuliæ modum accipit, ac proprio canali, & nomine venit) hæ tres a Piscinis in eosdem arcus recipiuntur*] Ita habent (si Parenthesis signa excipias) Codices Cassinensis, & Vrbinas. Fateor, hic locus me admodum torsit: postquam vero cogitationem in omnem partem converti, ut nanciscerer quid germanæ inveniendæ sententiæ conduceret; ratus sum implicita hæc verba non melius explicari posse, quam hac ratione. Primum verba illa, *quæ intercepta*, usque ad verbum *venit*, quæ per parenthesin dicta profecto videntur, & ad unam Aquam Tepulam pertinent, notis parenthesi proprius a reliquis sententiæ partibus separavi. Equidem ea verba nullo modo aliis Aquis Iuliæ, & Marciæ, nominatis in proposito loco, communia esse poterant. Quod vero attinet ad ipsius Parenthesis verba illa, *sicut supra demonstravimus*, ea referuntur ad prius dicta in Art. 9 de Iuliæ origine: Vide ibidem Notam 11.

II. Vbi illa verba separata fuerunt, remansere hæc; *Vna autem earum Iulia, Marcia, Tepula, hæ tres a Piscinis in eosdem arcus recipiuntur*. Quæ ita explico; *earum autem* (sex Aquarum, quæ excipiebantur contectis Piscinis) *hæ tres Iulia, Marcia, Tepula, una* (idest simul) *a Piscinis recipiuntur in eosdem arcus*. Porro pronomen *hæ* necessarium fecit Parenthesis aliquanto longior, qui modus Latinis Scriptoribus familiare est.

III. Ceterum Editio Iocundi habet; *Vna autem Iulia, Marcia quoque, quæ Tepula intercepta, sicut supra demonstravimus, rivo Iuliæ accesserat, nunc a piscina ejusdem Iuliæ*

hæ tres a Piſcinis in eoſdem arcus recipiuntur: [6] ſummus his eſt Iuliæ, inferior Tepulæ, deinde Marciæ, [7] quæ ad libram *collis* Viminalis .... ad Viminalem uſque Portam deveniunt; ibi rurſus emergunt. Prius tamen pars Iuliæ ad Spem vete-

Iuliæ modum accipit, ac proprio canali, & nomine venit, & a piſcinis in eoſdem arcus recipiuntur. Quæ lectio quam ſit mendoſa, atque falſa, vel ex eo liquere poteſt; quod, Marciam rivo Iuliæ acceſſiſſe, cum revera acceſſerit ei rivo Tepula, affirmetur. Præterea particulam &, quæ ſtat pro particulis *hæ tres*, vi intruſam fuiſſe propter ſuperiores errores, perſpicuum eſt.

6. *ſummus his eſt Iuliæ &c.*] Ordo ſecundum altitudinem trium horum Ductuum in *Figura VIII* ad pag. 39 videri iterum poteſt. Directio autem eorum Arcuum (quos fuiſſe, intrantibus Vrbem Romam, ad dexteram Viæ Labicanæ, inter omnes convenit) in *Fig. VI.* ad pag. 15 ibi repræſentatur, ubi ſunt notæ, & litteræ 4 *b* 5 B c.

7. *quæ ad libram* collis *Viminalis* .... *ad Viminalem uſque Portam deveniunt; ibi rurſus emergunt*] Codices Caſſinenſis, & Vrbinas habent; *quæ ad libram* .... *minalis, con* ....*ntea*.....*entes ad viminalem uſque portam deveniunt ibi rurſus emergunt*: Editio Iocundi habet; *quæ ad libram collis viminalis conjungitur intra* ...... *euntes ad viminalem uſque portam deveniunt, ubi rurſus emergunt*. Ego vero neque ſupplere omnes lacunas Codicum potui, neque omnia ſupplementa Iocundi recipere volui. Quod ſi oſtendero, cur ſupplere lacunas nequiverim; ſimul etiam, cur ſupplementa quædam admittere noluerim, facile apparebit. Fragmentum *minalis* eſſe vocis hujuſce *viminalis*, nullus dubitavi: & ſatis probabili conjectura credidi, vocem *collis* præiviſſe: *viminalis* enim proprie dicebatur *collis*; ut videre eſt in nomenclatura Regionis V. Vrbis, quæ appellabatur *Eſquilina cum Turri, & Colle Viminali*. Fragmentum *con* attinuiſſe ad aliquam vocem, qua conjunctio ſignificaretur, ſatis indicant verba integra ſubſequentia, *deveniunt*, & *emergunt*; namque hiſce verbis probatur, Aquas illas (ideſt Aquarum illarum rivos, neque enim Aquæ ipſæ confundebantur) una iviſſe. At quoniam verbum *conjungitur* nulla ratione recipi poteſt; iccirco, adverbium *conjunctim*, quod quadrare videtur, facere poſſe ad reſtituendum locum, conjicio. Verbum autem *emergunt* mihi ſuadet, ſcriptum a Frontino fuiſſe; *conjunctim infra terram euntes*: nam Aquas, quæ emergebant, fuiſſe prius merſas neceſſe eſt. Porro Frontinus ſimilia dixit alibi; ut inferius, in Art. 22, *Rivus Appiæ ſub Cælio monte & Aventino actus emergit &c.*: ubi manifeſtiſſimum eſt, emerſiſſe rivum, qui prius ſub terram actus fuerat.

II. Propter hæc conjicio, ita fuiſſe ſcriptum; *quæ ad libram collis viminalis conjunctim infra terram euntes ad Viminalem uſque Portam deveniunt; ibi rurſus emergunt*. Tres autem Rivos conjunctim infra terram euntes ad Portam Viminalem una linea, in *Figura VI.* ad pag. 15, ibi adumbravi, ubi B c. At modo allata verba antequam explico, illud pro certo aſſumo.

III. Aquarum Iuliæ, Tepulæ, & Marciæ rivos ſuper arcus fuiſſe perductos ad dexteram Viæ Labicanæ ubi notæ 4 *h* (ut indicavimus etiam in ſuperiore Nota) quod inter omnes convenit, prætereaque eoſdem arcus tranſiviſſe per eum locum, ubi numeri 5, 5; quod evidenter colligitur ex Arcu recentis Portæ S. Laurentii, cujus ichnographia occupat locum inter eos numeros 5, 5. Ille enim Arcus, cujus ſuperiorem partem delineatam dedimus *Fig. I.* ad pag. 5, & ſuper quem Aquas trajeciſſe Collatinam Viam credibile eſt; ille (inquam) arcus tres rivos, ſeu ſpecus ſupra ſe habebat, quos fuiſſe Aquarum Iuliæ, Tepulæ, ac Marciæ, colligitur ex

veterem [8] excepta Castellis Cælii montis diffunditur. Marcia

rivorum positionibus, ac magnitudinibus. Erat autem (ut accuratissimus Fabrettus habet in Num. 78)

A *Specus Iuliæ:*
B *Specus Tepulæ humilior, quam alibi; sed capacitas suppleta per ampliationem in latum.*
C *Specus Marciæ.*

IIII. Post hæc autem, quæ certa esse videntur, ulterius opinor; paullo ultra Arcum illum flexos fuisse Ductus versus Portam Viminalem, atque ubi finiebatur (vide paullo supra citatam *Fig. VI*) ad B acclivitas collis Viminalis, indeque collis in planiciem veluti sternebatur, per Ductus subterraneos B c sub ea planicie latentes tres Aquas fuisse perductas: quæ, quoniam secundum planiciem ipsius collis Viminalis perducebantur, iccirco ductæ *ad libram collis Viminalis* dici potuere. Quæ ubi ita conceperimus, simul intelligemus cuncta verba, quæ explicanda susceperamus; Aquæ Iulia, Tepula, & Marcia, *quæ ad libram collis Viminalis conjunctim infra terram euntes* ad Viminalem *usque Portam deveniunt; ibi rursus emergunt.*

V. Quæ cum ita se habere viderentur; certiora verba illa, *collis Viminalis*, posui in contextu; quattuor vero hæc verba, *conjunctim infra terram euntes*, quorum sententiam Frontinianam esse credibile quidem fit, at verba ipsa haud ita certa sunt, inserere ausus non sum. Illud tamen (haud levis in hac re momenti) ex propositæ sententiæ integris verbis constitui potest, Aquam Iuliam (saltem Frontini tempore) super arcus usque ad Portam Viminalem non fuisse perductam. Verbum enim illud *emergunt*, nimis perspicue ostendit, tres illas Aquas, atque ideo etiam Iuliam, infra terram actas fuisse. Propter hæc haud temere pro veris imaginibus reputandi sunt illi arcus Iuliæ, & etiam Tepulæ, ac Marciæ, qui in Topographiis Romæ Veteris a loco, ubi nunc Porta Major, ultra Portam Viminalem, & etiam alio perduci delineatione visuntur.

VI. Emergentes autem rivos prope Portam Viminalem, quæ erat in medio Aggeris Tarquinii in V Regione, dedisse partem aquæ illi V Regioni credibile est: & infra Art. 81, 82, 83, ubi agitur de partitione Aquarum per Vrbis Regiones, invenitur, ex divisionibus singularum Aquarum Iuliæ, Marciæ, Tepulæ, aliquid ad V Regionem pertinuisse.

8. *excepta Castellis Cælii montis diffunditur*] Codices Cassinensis, & Vrbinas habent verba, quæ posui: at Editio Iocundi, & aliæ habent; *Castellis CCLII montis usibus diffunditur*. Numerus tamen ille Castellorum *CCLII* est omnino falsus: nam infra in Art. 83 scribitur, Iuliæ Castella fuisse *decem & septem*: quin immo in universum numerus Castellorum pertinentium ad omnes Aquas non excedebat numerum *CCXXXXVII*, ut infra in Art. 78 luculenter exprimitur. Originem erroris videbis statim, si scribas sine diphthongo verbum *celii*, inde litteram *e* vertas in *c* (quod facillime contingit) sic pro verbo *celii* legere poteris numerum *cclii*. Præterea verbum *usibus* videtur vi insertum; quod neque cum verbo *Castellis* satis potest congruere, neque in Codicibus reperitur.

II. Quomodo vero duceretur Iulia per Cælium montem antequam proposito, animadverto; Frontinum infra in Art. 76 narrare, in montem Cælium & Aventinum fluxisse Aquas Iuliam, ac Marciam, priusquam Claudia perduceretur; sed, Claudia Aqua super arcus Neronianos per Cælium ducta, *priores* Aquas Iuliam, ac Marciam, *non ampliatas sed omissas fuisse: nulla enim Castella adjecerat Nero, sed fuerat usus* iisdem Castellis priorum Aquarum. Hæc citato loco; præterea inferius in Art. 87 idem Frontinus verba faciens de partitione Aquarum restituta a Nerva Imperatore, ait; *Cælio & Aventino, in quos sola Claudia per arcus neronianos ducebatur, &c. nunc plures Aquæ, & in primis Marcia reddita.*

III. Ex his autem colligo, verba, Iuliæ Aquæ pars *Castellis Cælii montis diffunditur,* ad

Marcia autem parte sui [9] post Hortos Pallantianos [10] in

ad Frontini tempus esse referenda, quo inter plures illas Aquas, reddita fuerat Cælio monti Aquæ Iuliæ pars: Ductus hanc partem recipiens ubi n in *Fig. VI.* ad pag. 15 ex rivo Iuliæ posito super arcus 4 *h x*, ipsamque transferens ad Castella Cælii montis, est n z T V. Huic autem aliqua Castella Cælii montis tribui multiplici ratione potuere; aut divisis Castellis, aliisque Claudiæ relictis, aliis Iuliæ redditis; aut aliqua facta Castellis adjectione; aut receptis in unum idemque Castellum, ad id accommodatum, pluribus Aquis. At illa Castella, in quæ Iulia Aqua perveniebat, non exstitisse in summo Cælii dorso existimo; quoniam neque super arcus neronianos, neque opere supra terram, Iuliam perductam per Cælium fuisse invenio: quamobrem eam rivo (saltem maximam partem) subterraneo per regionem montis convenientem acto, insigni tamen opere, ductam fuisse, reor. Ex his etiam, & ex Topographia Vrbis Romæ aperte liquet; non potuisse Castella Cælii montis esse proxima rivo Iuliæ, ut ab eodem immediate (ut ajunt) aquam reciperent: quandoquidem Iuliæ rivus ad Spem veterem per Esquilias transibat. Ergo concipiendum est, Frontini sententiam esse hanc: partem aquæ ex rivo Iuliæ fuisse exceptam, & per alium rivum fuisse ad montis Cælii Castella perductam, ab his autem Castellis diffusam.

IIII. Quæ cum ita se habeant, proposita Frontini verba interpretari poteris hac ratione: pars Aquæ Iuliæ *excepta* a *Castellis Cælii montis* (mediante rivo per quem perducitur ad Cælium) *diffunditur* inde ex iisdem Castellis: vel sic; pars Aquæ Iuliæ *excepta* (ideft educta ex rivo Iuliæ, & perducta ad montem Cælium) *diffunditur* a *Castellis Cælii montis*. Sed utcumque verba inter se varie componas, ea esse debet, quam ante posuimus, sententia.

9. *post Hortos Pallantianos*] Hos Hortos eosdem fuisse cum *Plancianis, vel Plantianis, mutantes scilicet cum Dominis nomen*, ut scripsit Alexander Donatus (Lib. III. *Romæ Veteris ac Recentis* Cap. 23) & quibusdam aliis visum est, non ego video, cur mihi debeam persuadere. Equidem animadverti, a Rufo poni in V. Regione *Hortos Plancianos*; a Victore in eadem Regione *Hortos Plancianos, vel Plantianos*; a neutro *Hortos Pallantianos*: neque invenire potui; cur a Panvinio (in Libro, cui titulus *Vrbs Roma* pag. m. 177) in Regione V. Horti illi sic positi fuerint; *Horti Plantiani, alias Planciani, alias Pallantiani*. Credibile tamen illud mihi fit; hos celebres *Hortos Pallantianos* olim pertinuisse ad Pallantem, divitiis & potentia celebrem Libertum Claudii Imperatoris, qui huic a rationibus erat, ac qui etiam Neronis imperio diu validus stetit.

II. Sed quæ animadversio ad rem nostram maxime pertinet, hæc est; hosce Hortos extra mœnia fuisse; extra quidem mœnia, de quibus Frontinus noster scripsit; de mœniis etenim, seu ædificiis, post ea tempora ulterius extructis verba hic non sunt. Quamvis autem Nardinus (*Romæ Veteris* Lib. IIII. Cap. 2) scribit, *accuratius si de loco eorundem Hortorum loquamur, dici potest, hos intra mœnia fuisse*: contrarium tamen ponendum est. Neque enim ille locus ex citatis Frontini verbis (quæ etiam Nardinus citat) determinandus; sed ex inferioribus ipsius Frontini verbis, qui in Art. 69 Aquæ Iuliæ modum exponens, hæc scripsit; *præterea accepit prope Vrbem post Hortos Pallantianos ex Claudia quinarias CLXII.* Ergo, si locus post Hortos Pallantianos erat prope Vrbem; manifestum est & ipsos Hortos, & terminos ipsorum extra Vrbem fuisse: neque enim loca illa, quæ intra mœnia sunt, prope Vrbem esse dicuntur. Horti illi in *Figura VI* sæpe citata designantur litteris z u sic, ut ipsorum frons obversa ad Vrbem esset prope z; ipsorum autem pars postica esset prope u: quare proxima loca ultra u, esse *post Hortos Pallantianos*, dicerentur. Cur vero eo potissimum in loco posuerim ipsos Hortos, dicam paullo infra in Nota 2 IIII Art. 20.

[10] in rivum, qui vocatur Herculaneus, [11] dejicit se; per Cælium. [12] Ductus ipsius, montis usibus nihil ut inferior subministrans, finitur supra Portam Capenam.

---

10. *in rivum qui vocatur Herculaneus*] Hoc loco rivus assumitur tamquam canalis aquam ex Ductu recipiens. Ceterum caussa nominis hujusce quoque rivi Herculanei ignota est: probabile tamen fit (quod etiam de aliis rivis Herculaneis dictum) ex nomine alicujus templi, aut loci sacri Deo Herculi, nomen huc rivo provenisse.

11. *dejicit se*] Hoc verbum *dejicit* ad vocem *in rivum* referri oportere existimo; ut sententia hæc sit: Marciæ pars *dejicit se in rivum herculaneum*, qui ita dirigitur, ut *per Cælium montem transeat*. Animadvertendum tamen est; locum r (*Fig. VI*) *post Hortos Pallantianos* indicari, quia ibi Aquæ Marciæ pars, jam prius e suo rivo educta, in rivum Herculaneum *se* dejiciebat; non quia ibi ea Aquæ pars ex suo rivo educeretur. Namque directio rivorum Iuliæ, Tepulæ, & Marciæ positorum super arcus erat ab loco *b* ad locum 5, 5, ad quem haud dubie perveniebant: ac altitudo loci r *post Hortos Pallantianos* tanta erat, ut opus nequaquam esset arcubus, super quos in eum locum r deduceretur Aqua Marcia: quod dilucide patere ex iis poterit, quæ ex Fabretto referemus in Nota a I Art. 20. Vnde liquere etiam satis poterit, arcus Iuliæ, Marciæ, & Tepulæ per locum r *post Hortos Pallantianos* non transivisse; nisi velimus, omnem illum tractum r *a æ b* per hanc appellationem *post Hortos Pallantianos* fuisse indicatum.

II. Itaque reor, a rivo Marciæ posito super arcus 4 *b* 5 B deductum fuisse, opere supra & infra terram, rivum *a* r, ex quo in loco r *post Hortos Pallantianos* aqua *dejiceretur* in humiliorem (valde etenim humilis erat rivus Herculaneus, ut ostendemus proxima Nota) in humiliorem, inquam, rivum Herculaneum, quem vel ob magnitudinem, vel ob speciem operis, vel ob aliquam aliam distinctam caussam, distincte nominavit Frontinus noster.

12. *Ductus ipsius, montis usibus nihil ut inferior subministrans, finitur supra Portam Capenam*] Plura hic ad contextus explicationem emendationemque animadverti debent. Principio, rivum Herculaneum in citata *Figura VI* delineavi ab littera r ad *d*; ut ejus initium esset in r *post Hortos Pallantianos*, finis in *d supra Portam Capenam* (hanc autem fuisse in loco, quem illi in Figura adsignavimus, Fabrettus sequens Strabonem, Plinium, ac Dionysium perspicue probavit a Num. 45 ad 49) præterea eum rivum ita delineavi, ut directus versus Cælium per ipsum Cælium montem parte sui P *d* duceretur; ac ut transiret etiam per quædam humilia loca; liquet enim, fuisse humilem eum rivum, in quem aqua non ingrediebatur, sed in quem *se dejiciebat*, ut ait Frontinus: cujus & hæc verba consideres oportet; *Ductus* rivi Herculanei *montis usibus nihil ut inferior subministrans*; quæ pariter demonstrant, rivum Herculaneum fuisse depressum, humilemque; scilicet quia & alicubi Ductus esset secundum partem humilem ipsius Vrbis (ut ad Q) & alicubi alte effossus (quemadmodum ad r, & P) ut accommodaretur libra ad humilia loca (puta ad Q) & ad humilem terminum, quo ducebatur; namque in humili loco erat Capena Porta, supra quam in *d* rivus hic Herculaneus finiebatur.

II. At inquiet fortasse aliquis, ea Frontini verba fuisse emendata a Philippo Rubenio in Electorum Lib. II. Cap. 35 ita; *ductus ipsius montis usibus nihil, at inferioribus ministrans, finitur* &c. & hanc emendationem optimam esse, proptereaquod ceteroquin non appareret, quomodo Ductus per Cælium actus posset inferior esse ipso Cælio. Huic respondebo; verbi *finitur*, pro *initur*, perexiguam, necessariamque mutationem me amplexurum, ut infra dicam; at quod ad priora verba pertinet, ea in Codicibus Cassinensi, & Vrbinate, ac in Editione Iocundi ita legi;

montis

montis usibus nihil, ut inferior, subministrans, quæ ego quoque posui: ab hac autem Rubenii emendatione vim quandam ipsi contextui inferri. Equidem persuasum habeo, citatum locum interpretandum esse ratione hac: Ductus Herculaneus erat inferior, quam ut posset in altiorem maximamque Cælii montis partem aquam dimittere.

III. Quod si quis objiciat, hanc interpretationem non fieri admodum credibilem, quoniam Marcia optime serviebat ipsi Cælio monti, ut Frontinus ipse perspicue affirmavit infra in Art. 87 a Nerva Imperatore Marciam fuisse Cælio redditam: is, qui ita dicet, rem difficiliorem objiciet. Huic tamen satisfacere poterimus animadvertendo, Aquas a principibus rivis in varias Vrbis partes fuisse perductas aut per insignes rivos, aut per ignobiles rivulos, aut per canales, ac fistulas plumbeas: Frontinum vero seorsum egisse de insignibus rivis (ut erat ille, quo excipiebatur *pars Iuliæ ad spem veterem*, de quo diximus in Nota 8 hujusce Art. ut est hic Herculaneus) at de rivulorum, & canalium, fistularumque plumbearum perductionibus Frontinum verba distincte nequaquam fecisse. His autem rebus, ac Frontini verbis rite perpensis, probabile fit, *Marciam redditam* fuisse *Cælio* monti per canales fistulasque, non per rivum Herculaneum: per hunc enim credibile est, delatam fuisse (saltem maximam partem) aquam usque ad Portam Capenam, & inde aquam ipsam fistulis in usum locorum ejusdem libræ, ac erat suprema pars Capenæ Portæ fuisse deductam; simili ferme modo, quo fiebat finitis Ductibus Anionis novi & Claudiæ, de quibus paullo infra dicitur; *finiuntur* arcus eorum Ductuum Aquarum Anionis novi & Claudiæ *post Hortos Pallantianos, inde in usum Vrbis fistulis deducuntur*.

IIII. Quod vero attinet ad eum rivum, per quem Marciæ Aquæ partem fuisse perductam, scribit Fabrettus ad Numerum 68 (cujus porro Numeri verborum sententia obscura mihi est) sane opinor habendum esse eum rivum tamquam rivum deductum ab Herculanei latere, antequam Herculaneus finiretur. Ita etiam potuit fortasse fieri, ut pars aquæ Herculanei rivi transferretur in Aventinum: nam de Marcia (in citato Frontini Art. 87) habetur; *quibus* collibus *Marcia reddita a Cælio in Aventinum usque perducitur*, sed transferretur ea ratione, ut ante finem ipsius Herculanei rivi educeretur pars illa, ac per novum rivum ad latera Cælii perducta, inde opere supra terram ad Aventinum perduceretur: non autem, producto rivo Herculaneo, quem finitum fuisse supra Portam Capenam plane existimo.

V. Nam quod attinet, ad verba *finitur supra Portam Capenam*: etsi in Codicibus, ac Editione Iocundi, pro *finitur*, legitur *initur*; quam lectionem etiam Fabrettus retinet, Num. 49, putans deesse verbum *modus* (sed, bona venia Manium tanti Viri, dixerim; etiamsi verbum *modus* adderetur, nndum tamen sententia perspicua fieret) nihilo tamen minus hanc lectionem verbi *finitur* suasere & Rubenii opinio, & multo magis loci circumstantiæ, & Frontini institutum declarandi fines terminosque etiam derivatarum Aquarum: ad quod institutum referendum est verbum illud, haud longe infra positum, *terminantur* arcus Neroniani juxta Templum Divi Claudii; & magis referendum ipsum verbum *finio* usurpatum alibi a Frontino similibus in locis, ut paullo infra *finiuntur arcus eorum*; & adhuc inferius *arcus Virginis finiuntur*: hæc (inquam) primum suasere mihi, ut pro *initur*, *finitur* haud dubie legerem; atque deinde hoc idem mihi prorsus persuasit ille, qui emendationem istam consequitur integer sensus. Quod vero attinet ad particulam *supra*, eam ita significare, ut explicatum est, in primis persuadet vetus Scholiastes Iuvenalis, qui ad Sat. III. versum hunc

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam

ita habet; *madidam ideo, quia supra eam Aquaeductus est, quem nunc appellant arcum stillantem; primum enim usque ibidem fuerant Portæ, quæ Porta Capena vocabatur*. Hoc idem, nimirum Aquæ Marciæ partem pervenisse usque ad superiores partes Capenæ Portæ, superque eam extitisse, probat item Fabrettus in Num. 49.

I. ut

¶ Art. 20. penam. ¶ Anio novus & Claudia a Piscinis in altiores arcus recipiuntur, ita [1] ut superior sit Anio. [2] Finiuntur arcus earum post Hortos Pallantianos,

&

¶ Art. 20. 1. *ut superior sit Anio*] Ordo secundum altitudinem Ductuum Anionis novi & Claudiæ in *Figura VII* pertinente ad Notam 7 Art. 13, videri iterum potest.

2. *Finiuntur arcus eorum post Hortos Pallantianos*] Cum post hæc verba subjiciantur statim hæc alia; *inde in usum Vrbis fistulis deducuntur*; & cum ingens aquæ vis super arcus istos per rivum Claudiæ, atque per rivum Anionis novi deferretur, mihi facile persuasi, subaudiendum esse, finitis arcubus, Aquas Claudiam, & Anionem immissas fuisse in Castellum, inde vero in usum Vrbis fistulis deductas. Etsi enim Aquæ exiguæ (puta illa Herculanei rivi) poterant vel finito rivo, vel ante rivi finem integræ deduci per fistulas applicatas ipsi rivo: id tamen in copiosissimis Aquis, qualis Clandia, & novus Anio, factum fuisse vix credibile est. Ergo, ut invenirem locum, ubi finiebantur arcus Claudiæ, Anionisque novi, quæsivi locum Castelli, ex quo per fistulas Aquæ illæ deducebantur: quod Castellum quoniam minime credidi fuisse paullo ultra eos arcus, in quibus nunc est Porta Major (neque enim pro perexiguo spatio, opere sumptuosissimo, Labicanam Viam transmisissent; neque illius soli, ubi Porta Major, humilitas locum aptum præbebat) iccirco, ulterius vestigationem perducendam ratus sum. Non tamen diu quærendum fuit; plane etenim cognovi, hanc perquisitionem perfectam fuisse a Fabretto, qui in Num. 39 hæc habet; *Alii arcus, qui ab eadem Porta Majori dextrorsum ad Castellum, sive Emissarium, ut vocat Grut. pag. CCLXXIV, prope Fornicem Gallieni desinunt, prorsus in eadem libra sunt, ac jam dicti Neroniani: unde certum quoque est, reliquum Aquæ Claudiæ (ut bene Grut. ibidem advertit) sive etiam Anienem Novam illi superpositam devexisse; quæ duæ Aquæ ante Frontinum miscebantur; ut ipse ait* (in Art. 91) *& hunc eundem esse locum post Hortos Pallantianos, unde juxta verba Frontini in Art.* 20 (nimirum verba, quæ in hac Nota citavimus) *finitis Ductuum arcubus, & per quinque (ut dicemus) ostia, immensa Aquarum copia ostentata, in usum Vrbis fistulis deducebatur; nulla enim alia Aqua (cum hæ supremæ omnium fuerint) ad tantam altitudinem ascendere poterat.* Nam Aquæ, ut in hoc Castellum influerent, non modo ad altitudinem plani, super quod exstructum erat idem Castellum, attollendæ erant; verum etiam supra altitudinem Arcuum sustinentium rivos, per quos Aquæ in Castellum erant deferendæ.

II. Castellum hoc tribuerat Nardinus Marciæ, Lib. IV. Cap. 2; sed perperam, namque *in cacumen hujus Castelli evadere non valuisse* Marciam, Fabrettus, in Num. 41 satis probat. Panvinius in *Antiqua Vrbis Imagine*, seu in Romæ Topographia, idem Castellum tribuit Iuliæ; perperam tamen: namque, ut rationes alias prætermittam, certe tota Iulia huc pervenire non poterat: quis vero dicat id tantum Castellum ad partem Iuliæ pertinuisse? Castelli hujusce Ichnographiam ex ejusdem Fabretti pag. 26 hic damus. Est autem in Tab. O *Fig. XIV*

A *Specus principalis Ductus, per quem Aqua ad Emissarium deferebatur.*
B *Murus objectus, ubi primum Aqua impacta, in duos alveos se dividebat:*
C *Ostium medium, per quod Aqua e plano* D *aliquantum descendens emittebatur:*
E E *Specus laterales, per quos Aquæ portio rursus in* F F G G *binis hinc inde ostiis se dejiciebat.*

Et ad citatam hanc *Figuram XIV.* spectat Scala illa, Romanorum Pedum viginti, in eadem Tabula O.

III. Reor autem, supra hos Claudiæ specus, quemadmodum supra rivum Claudiæ erat Anionis rivus, ita fuisse alios specus pertinentes ad Anionem novum (qui aut in ruinis non appareant, aut deleti fuerint posterioribus temporibus, si novus

Anio

& inde [3] in usum Urbis fistulis deducuntur : partem tamen

Anio prius, quam Claudia in usu esse desierit) Namque, ut paullo supra diximus, uterque rivus Claudiæ & Anionis in idem Castellum finiebatur. Præterea Frontinus alibi aperte affirmat, Anionem novum, quo tempore ipse scribebat, fuisse a Claudia separatum: scribit enim in Art. 91 ; *Novus Anio vitiabat ceteras*; & infra in Art. 92 ; *Omnes ergo Aquas discerni placuit* : Igitur pars Castelli, ex qua dispensabatur Anio, differebat ab ea, ex qua Claudia dispensabatur : deperdita vero jam ea Castelli parte ad Anionem pertinente, descriptam modo Castelli partem (quam Claudiæ Castellum appellare liceat) ad Claudiam solam pertinuisse, credibile omnino est. Id itaque Claudiæ Castellum, cujus Ichnographia in *Fig. VI.* ad pag. 15 designatur litteris *x* i, sic constitui; ut distantias a mœnibus L L L indicatas a probatis Authoribus servarem: quo facto extra illa mœnia, de quibus verba Frontinus facit, id Castellum fuisse apparet; extra quidem, sed tamen prope mœnia ipsa. Etsi vero Vitruvius in Lib. VIII. Cap. 7 ita jubet ; *Cumque* (Ductus) *veneris ad mœnia efficiatur Castellum*, hoc tamen præceptum non impediebat, quin in aliqua exigua a mœnibus distantia (etiamsi mœnia pro Vrbis ædificiis sumerentur, ut diximus in Nota 15 II. Art. 3) Castellum fieri posset : atque ipse locus nostri Castelli mœnibus vicini plane ostendit, Vitruvii præceptum minime neglectum fuisse.

IIII. Post hæc ubi fuerint Horti Pallantiani (de quibus dictum est jam supra in Nota 9 Art. 19) dubitare minime possumus ; si enim Castellum *x* i post Hortos Pallantianos erat, erant Horti z u ante ipsum Castellum in eo loco, ubi designantur sic; ut fronte ipsorum ad Vrbem obversa, loca ultra posticam partem u, *post Hortos Pallantianos* dicerentur. Hinc Nardinus videtur perperam mandavisse litteris in Lib. IV. Cap. 2, hos Hortos non longe absuisse a Porta Majori, atque AEde S. Crucis in Hyerosolimis: namque id de loco *x* i haud videtur dici posse.

3. *in usum Vrbis fistulis deducuntur*] Fistularum pro Aquæ Ductibus duplex erat genus. Aliæ etenim fistulæ determinabant quantitatem aquæ derivandæ (ut diximus in Nota 9 Art. 3, dicendumque erit etiam infra ad verbum *Calix* Art. 36) quæ erant æneæ, appellabanturque vel Calices, vel Moduli, vel pro varia capacitate nuncupabantur vocabulis Fistularum Quinariarum, Denariarum, Vicenariarum, & sic deinceps. Aliæ erant fistulæ, quibus aqua ad loca destinata perducebatur ; atque hæ fiebant ex plumbo. Igitur hujuscemodi fistulis Aquas Claudiam, & Anionem novum in usum Vrbis fuisse deductas, hoc loco Frontinus narrat.

II. Alexander Donatus in Lib. III. Cap. 18 plumbearum fistularum quasdam figuras exhibet. Scribit autem; *cum Templi Ignatiani fundamenta egererentur, immanis e plumbo* (Vide *Fig. XVI.*) *fistula est inventa, quinquaginta palmos sub terram defossa* (quam ad balneas Narcissi Liberti pertinuisse autumat) *lato hiantique, qualis majorum bombardarum extrinsecus solet esse, tubo; nec omni ex parte tereti ac rotundo, sed paullum acuminato, ut latius, qua fluebat in imo aqua, spatium esset*. Ego vero existimo, talem figuram obtigisse parti A B fistulæ illius (ac similibus illi) ex eo, quod esformata esset ex plumbea lamina plana in rotundum flexa, atque circumacta, convenientibus secundum lineam A B duabus laminæ extremitatibus : hæ vero extremitates propter eam, quæ visitur, figuram congruere magis poterant, meliusque *solidari tertiario* plumbo, ut Plinius ait ; qui in Lib. XXXIIII. Cap. 17 de plumbo tertiario verba faciens subdit; *& hoc fistulæ solidantur*. Sed redeo ad Donatum : hic de egestione terræ eadem de caussa facta loquens, *fistulæ quoque*, scribit, *ibi plumbeæ in coni figuram fusæ* (hæc lato quodam modo dicta sunt : præsertim vero cave, ne hæc verba geometrice accipias, propterea quia coni figura immane distat ab earundem fistularum figura) *in quarum una* (*Fig. XV*) *fusili opere legebatur inscriptio* : NARCISSI. AVG. LIB. AB. EPISTVL.

III. Hæ fistulæ, quibus perducebatur aqua, parietes suos variæ habebant crassitiei,

tamen sui Claudia prius [4] in arcus, qui vocantur Neroniani, ad Spem veterem transfert. [5] Hi directi per Cælium montem, juxta Templum Divi Claudii terminantur. Modum quem acceperunt, [6] aut circa

ca

---

prout varia erat ipsarum capacitas: quando etenim hæc augebatur, major etiam parietum crassities fiebat. Vitruvius in Lib. VIII. Cap. 7 has præscribit leges; *Fistulæ ne minus longæ pedum denum fundantur, quæ si centenariæ erunt, pondus habeant in singulas pondo MCC: si octogenariæ pondo DCCCCLX: si quinquagenariæ pondo DC: quadragenariæ pondo CCCCLXXX: tricenariæ pondo CCCLX: vicenariæ pondo CCXL: quinumdenum pondo CLXXX: denum pondo CXX: octonum pondo XCVI: quinariæ pondo LX.* Cui ferme adstipulatur Plinius in Lib. XXXI. Cap. 6 ita; *Fistulas denum pedum longitudinis esse, legitimum est. Et si quinariæ erunt, sexagena pondo pendere: si octonariæ, centena: si denariæ, centena vicena; ac deinde ad has portiones.* Palladius vero in Lib. VIIII de Re Rustica Tit. 12, ut legere est in Librorum Palladii Editionibus, Aldina anni 1514, Commeliniana anni 1595, pluribusque aliis post Aldinam illam, nihil aliud fecisse videtur in fistularum ponderibus proponendis; nihil, inquam, aliud, quam Vitruvii numeros describere. Nisi quis forte mallet, numeros in antiquissimis Editionibus corruptos ad imitationem numerorum, quos Vitruvius posuit, fuisse in posterioribus Editionibus emendatos.

IIII. Sed in re hac nuperis temporibus multo doctius diligentiusque fuere versati Mariottus, & Romerius; ac nuperrime Iacobus Hermannus, cujus eximia doctrina, amicitiaque, ubicumque possim, est a me commendanda. Hic in Phoronomia sua, pag. 143, rem universali quadam ratione expendens, id constituit Theorema: *Resistentiæ, seu firmitates tuborum sunt in composita ratione ex ratione tenacitatis materiæ unius ad tenacitatem materiæ alterius tubi, ex ratione crassitiei ad crassitiem, & denique ex altitudinis tubi unius ratione ad altitudinem alterius.* Fateor quidem in Ductuum Aquarum tubis, seu fistulis non ad perpendiculum positis, sed secundum plana ferme horizontalia (ut ajunt) directis alia aliqua adhuc observatione opus esse; verum tum ex iis, quæ jam sunt constituta, tum ex aliquo diligenti experimento, res olim in magna obscuritate posita, nunc tota multo melius perfici poterit, atque absolvi.

4. *in arcus, qui vocantur Neroniani*] Hoc nomen habuere hi arcus, propterea quod a Nerone Imperatore exstructi fuerunt. Hos etiam nuncupatos Cælimontanorum vocabulo autumat Fabrettus in Num. 33 propter quandam, quam exhibet, Inscriptionem: quæ tamen cum Septimii Severi Imperatoris sit, credibile fit, id nomen post Frontini ævum his arcubus inditum: non ergo, ut de eo plura dicamus, opus est.

5. *Hi directi per Cælium montem*] Horum arcuum tot existunt adhuc ruinæ, ut satis certe ipsorum directio possit determinari: initium autem habebant in sæpe citata *Fig. VI.* ad pag. 15, ubi a ad Spem veterem, ducebanturque per j D usque in A, proxime ad recentem AEdem Sanctorum Ioannis & Paulli: nam eousque reliquias arcuum pervenisse testatur Nardinus in Lib. III. Cap. 7. Quod est indicio manifestissimo, Templum Sancti Stephani non fuisse Claudii Templum; cum, notante eodem Nardino, arcus Neroniani ultra idem Sancti Stephani Templum pervenirent: at *juxta*, non ultra, *Divi Claudii Templum arcus Neroniani terminabantur*, ut perspicue hoc eodem loco Frontinus scribit. Quare Claudii Templum constituendum est prope AEdem Sanctorum Ioannis, & Paulli: nos posuimus Templum ipsum prope litteram A; ut Neroniani arcus, per Cælium montem directi, *juxta ipsum Templum Divi Claudii* (quemadmodum narratur citatis modo Frontini verbis) *terminarentur*.

6. *aut circa ipsum montem &c.*] Codices habent dumtaxat *montem*: Editio Iocundi; *montem Cælium*. Cum altissimi essent hi arcus, & in ipso montis dorso exstru-

ca ipsum montem, aut in Palatium, Aventinumque, & Regionem Transtiberinam dimittunt. ¶ Anio vetus, [1] citra IIII milliarium ... . a Latina in Lavicanam inter arcus trajicit: & ipse Piscinam habet; inde intra II milliarium partem dat [2] in specum, qui vocatur Octavianus, & [3] pervenit in regionem viæ novæ ad Hortos Asinianos ¶ Art. 21.

---

exstructi, evidens est, delatam super ipsos aquam potuisse per totum Cælium diffundi. Præterea, cum ipsorum arcuum termino A propiores essent duo montes Palatinus, & Aventinus (nt in citata modo Figura videre est) inde pars ejusdem Aquæ *in Palatium Aventinumque*, ut Frontinus scribit, *dimittebatur*: ex Palatio autem, ac Aventino etiam ultra proximum Tiberim super pontes ejusdem Aquæ pars commode in Transtiberinam Regionem (nt ex hoc eodem Art. liquet factum fuisse) perducebatur.

1. *citra IIII milliarium .... a Latina in Lavicanam inter arcus trajicit*] ¶ Art. 21. Codex Cassinensis; *citra quartum milliarium intratio vie, qui a Latina in Lavicanam inter arcus traicit*: ita etiam Codex Vrbinas; nisi quod, pro verbis *intratio vie*, habet *intra novie*. Editio Iocundi habet; *citra quartum milliarium intra no ..... vie qua a latina in lavicanam itur arcus trajicis*. Ego quidem verba *intratio vie* Codicis Cassinensis prætermisi, relicta lacuna; mendum etenim sensum perturbans haud dubie continent: & quæ præcise reponenda sint verba, facile non apparet. Apparet tamen dilucide; verba, quæ desiderantur, indicavisse locum, ubi Anio vetus trajiciebatur inter arcus; qui locus inter Vias Latinam, & Labicanam erat citra quartum ab Vrbe milliarium. Quare ab ea lacuna obscuritas nulla provenir. Ceterum nolui particulam *inter* commutare in verbum *itur*, ut Iocundo placuit. Credibile etenim est, Veterem Anionem, a Tiburtino Agro ultra Labicanam posito provenientem, inter arcus Claudiæ & Anionis novi, sive etiam inter arcus Iuliæ, Tepulæ, ac Marciæ trajecisse. Præterea vero non videbatur particula *inter* certa ratione posse mutari; dum, quid in ipsa lacuna scriptum esset, ignoratur.

2. *in specum, qui vocatur Octavianus*] Fortasse hic specus nomen hujuscemodi habuit ab Augusto, cui, antequam per adoptionem transiret in Iuliam Familiam, Octavio nomen erat. Fabrettus partem cujusdam specus suo tempore a Fossoribus detectam, specus Octaviani partem fuisse in Num. 68 scribit: quod, etsi undequaque probatum non est, in delineatione tamen partis R U q specus (*Fig. VI.*) ipsius non neglevimus: ut etiam non neglevimus observare partem illam, quæ & extra mœnia Vrbis recentiora, & in mœnibus ferme ipsis a Fabretto delineata est in Descriptione Partis Latii: illam vero partem in Figura nostra designant litteræ f R.

3. *pervenit in regionem viæ novæ ad Hortos Asinianos*] Hoc loco vox *regio* non significat unam ex XIIII Vrbis Regionibus; sed tractum adjacentem viæ novæ. Liquet tamen ex his, viam novam, a Frontino indicatam, fuisse in eadem Vrbis Regione ac Horti Asiniani. Duæ vero, nisi etiam plures, fuerunt in Vrbe viæ novæ: altera fuit abusque Tarquinii Prisci ætate, quæ Regionem Vrbis XII (hac autem in Regione Horti Asiniani erant, teste P. Victore) non pertingebat, ut constat ex Scriptoribus antiquis, recentioribusque: itaque hæc non ea esse poterat via nova a Frontino indicata, quæ in eadem cum Hortis Asinianis Regione Vrbis esse debebat.

II. Altera transivit prope Thermas Antoninianas, fuitque in Regione XII; quamobrem hæc pro ea est habenda, de qua verba fecit Frontinus noster. Etsi

nianos, unde per illum tractum distribuitur. [4] Rectus vero Ductus, [5] secundum Spem *veterem* veniens intra Portam Esquilinam, in altos rivos per Vrbem deducitur. ¶ Art. 22. ¶ Nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina [1] Conceptacula, id est Piscinas, habent. Arcus Virginis initium habent [2] sub Hortis Lucilianis, [3] fini-

vero hanc viam novam munivit Caracalla, & Frontinus diu ante Caracallæ tempora scripsit; credibile tamen est (ut recte Olaus Borrichius ad hunc Frontini locum respiciens, in Dissertatione de *Antiqua Vrbis Romæ Facie* Cap. 14, animadvertit) *fuisse quidem illam viam novam ante Caracallam; sed non ita munitam ædificiis, non ita superbam cultu*. Quare attendens tum hæc, tum dicta superius, delineavi (*in Fig. VI.* ad pag. 15) ipsius Ductus partem *f* R U *q*, quæ Regioni XII serviret, ut servivisse scriptum est infra in Art. 80, ac poterat aqua ducta per fistulas secundum lineam *q f* servire Regionibus VIII, & XIIII, ut ibidem dicitur; atque etiam aliorsum duci. Iisdem vero attentis, attentoque Regionis plano Hortis apto, constitui Hortos Asinianos ubi H: ei etenim loco, quæ scimus de Hortorum eorundem positione, satis conveniunt.

4. *Rectus vero Ductus &c.*] Ductus hic veteris Anionis designatur a nobis in Figura modo citata litteris Z X O I: ita enim transit ante frontem Templi *e* Spei veteris (idest *secundum Spem veterem*) atque pertingit ad *Portam Esquilinam* in I; quemadmodum hoc loco a Frontino nostro dicitur de hoc Ductu; hunc scilicet *secundum Spem Veterem venire intra Portam Esquilinam* &c.

5. *secundum Spem* veterem] Ita Iocundi Editio: in Codicibus autem deest verbum *veterem*; sed verbum illud *Spem*, & subsequentia verba, *intra Portam Esquilinam*, commonstrantia Ductum hunc certe haud longe a Spe veteri transivisse, mihi persuaserunt, emendationem Iocundi esse sequendam.

¶ Art. 22. 1. *Conceptacula*] Ita habent perspicue Codices: Editio princeps, & Editio Iocundi habent; *Conceptelas*: verum Codicum lectionem illam præstare, plane ratus sum.

2. *sub Hortis Lucilianis*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: at Editio Iocundi habet pro verbo *Lucilianis* verbum *Lucullianis*. Vbi essent hi Horti, Antiquorum neminem, qui tradiderit, invenio; quare ex cognito aliunde Hortorum loco illustrare hanc Frontini narrationem datum non est: contra tamen ex hac narratione de Hortorum loco conjicere licet. Vbi enim animadverterimus, vetera vestigia Ductus Aquæ Virginis ostendere, Ductum illum tetendisse ad Hortulorum Collem; inde colligemus, arcus Virginis initium habuisse juxta declivitatem ipsius Collis: atque ideo initium eorundem arcuum in parte Collis ad intimum Vrbis maxime obversa collocandum esse comperiemus circa locum, ubi littera f (vide sæpe citatam *Fig. VI.* ad pag. 15) quo facto, supra id initium, ubi Æ, Hortos Lucilianos collocabimus. Nardinus in Lib. IV. Cap. 7 partem Collis Hortulorum Regioni IX. attribuit, ut Hortorum nominatorum hoc loco (nam ab eis in Figura, quam apposuit, arcus Aquæ Virginis delineare incipit) quos ille non pro *Lucilianis*, sed pro *Lucullianis* assumit, ut, inquam, horum Hortorum positio consentiret cum Rufi atque Victoris descriptione; qui Rufus & Victor ponunt in IX Regione *Hortos Lucullanos*. Quid tamen vetat, quin credamus, Frontinum nominavisse Hortos ad aliquem Lucilium pertinentes, atque ideo *Lucilianos* nuncupatos? Ego sane cum fidem Codicum sequi volui; tum non sum ausus adstipulari Nardino; & propter hos Hortos Regionem IX in Collem usque Hortulorum protrahere.

3. *fini-*

[3] finiuntur in campo Martio secundum frontem Septorum. [4] Rivus Appiæ sub Cælio monte & Aventino actus emergit (ut diximus) infra clivum Publicii. [5] Alsietinæ Ductus post Naumachiam, cujus caussa videtur esse

---

3. *finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum*] Septa hæc, a Frontino nominata, erant loca in Campo Martio, in quibus stans Populus Romanus suffragia ferre consueverat. Olim ea loca erant tabulatis inclusa: dein lapidea extructa. Dio in Lib. LIII. hæc habet; *Agrippa quia nullam viam sternendam susceperat, Septa dedicavit. Septa locus est in Campo Martio. Eum ad habenda tributa Comitia Lepidus undiquaque porticibus circumductis ædificaverat; tabulis lapideis, & picturis a se exornatum Agrippa Septa Iulia ab Augusto cognominavit.* Ab aliquibus tamen hæc Septa, vel quia ab Agrippa dedicata fuerant, vel quia erant in parte soli ab Augusto dono dati Agrippæ, deinde dicta etiam fuere *Septa Agrippiana*: quod si quis vellet Septa Iulia ab Agrippianis non tantum nomine, sed etiam reipsa distinguere; qua is certa ratione inniti posset, plane non video. Septa vero Agrippiana in Regione Vrbis IX a P. Victore ponuntur: qua tamen in Regionis parte fuerint, non omnino liquet, nisi ex supra allatis Frontini verbis inquiratur: id itaque simul faciemus, simul totum Frontini locum explicabimus.

II. Io. Vignolius in Dissertatione *de Columna Imperatoris Antonini Pii*, pag. 17, hæc scribit; *quoties ex Donato Lib. III. Cap. 18, & ex Nardino Lib. IV. Cap. 9 tanquam res omnino comperta habeatur, quod tidem Aquæ Virginis arcus inter templum Sancti Ignatii & Pantheon terminabantur, jam non ultra ex eorundem quoque sententia Septa processisse fateri oportet.* Hanc autem sententiam, cum Frontini verbis consentientem, sequendam arbitratus sum, ideoque terminavi, ubi nota 9 in delineatione (*Fig. VI* ad pag. 15) terminavi, inquam, arcus pertiuentes ad Ductum Aquæ Virginis inter Pantheon ubi numerus 7, & locum, ubi nunc est Templum Sancti Ignatii ad litteram k. Qua de caussa omnes arcus Aquæ Virginis inter f 9 delineavi, ac Septa posui ubi sunt M 6, tribuens frontem eorundem parti 6 obversæ ad Viam Flaminiam: tribuens, inquam, ea ratione, ut *arcus Aquæ Virginis finirentur* in 9 *secundum Septorum* (quæ *in Campo Martio* erant) *frontem* 6. Particulam enim *secundum* accipio pro particula *prope*, ideoque finem arcuum prope Septorum frontem collocavi. Atque ita exhibentur omnia, quæ Frontini verbis continentur.

4. *Rivus Appiæ sub Cælio monte &c.*] Aquæ enim Appiæ rivus, in citata *Figura VI*, g y s Q K b, sub Cælio monte agebatur, inde sub Aventino, atque emergebat in b, ubi erat Publicii clivus: quæ singula fusius supra jam ostendimus in Nota 31 Art. 5.

5. *Alsietinæ Ductus post Naumachiam, cujus caussa videtur esse factus, finitur.*] Ita Codex Cassinensis; nisi quod pro *Alsietinæ* habet *Alsi & vie*: & parum a Cassinensi differt Codex Vrbinas: Editio princeps habet; *alsietinæ & inde ductus naumachiam: nam ejus caussa videtur factus*: Editio Iocundi habet; *alsi inde eductum est in naumachiam, nam ejus caussa videtur factus*: quas Editionum lectiones, utpote obscuras, ac depravatas, rejiciendas esse, atque illis Codicum lectionem præstare, nemo non videt. In Codicibus tamen verbum illud *Alsietinæ* restituendum fuisse necessario, satis superque ex eo demonstratur, quod Frontinus postquam verba fecerat de octo aliis Aquarum Ductibus, certe hoc loco de reliquo Ductu, scilicet de Alsietinæ Ductu, aliquid adjicere debebat; atque ob id Alsietinam Aquam nominare. In *Fig.* autem *VI*, Y est Naumachia eo in loco posita, in quo adsignando antiquitatum vestigatores omnes consentiunt: atque litteræ & S designant postremos arcuum Alsietinæ Ductus, qui in S *post Naumachiam finiebatur*.

1. *Quo-*

¶ Art. 23. esse factus, finitur. ¶ [1] Quoniam Authores cujusque Aquæ, & ætates, præterea ordines, & longitudines rivorum, & ordinem libræ persecutus sum; [2] non alieni .... modi mihi videtur etiam singula subjicere, & ostendere quanta sit copia, quæ publicis privatisque non solum usibus & auxiliis, verum etiam voluptatibus sufficit, & per quot Castella, quibusque Regionibus deducatur, quantum extra Vrbem, [3] quantum intra Vrbem, & ex eo quantum lacubus, quantum muneribus, quantum operibus publicis, quantum nomine Cæsaris, quantum privatis usibus erogetur. Sed rationis existimo, priusquam nomina [4] Quinariarum, Centenariarumque, [5] & ceterorum Modulorum, per quos mensura constituta est, proferamus, & indicare quæ sit eorum origo, [6] quæ vires, & quid [7] quæque appel-

¶ Art. 23. 1. *Quoniam Authores &c.*] Hoc loco Frontinus ea omnia, quæ ante dixerat, summatim recenset; ac iterum ea, quæ dicturus est (juxta methodum jam supra in Art. 3 constitutam) summatim proponit: ut simul Lectoris memoriam excitet, simul aptam transitionem ad res novas describendas sibi comparet.

2. *non alieni ..... modi mihi videtur*] Codex Cassinensis habet; *non alieni aū modi mihi videtur*: sed litteræ *aū*, quid significarent, divinare nullo modo potui: & particulæ *aut*, *autem*, quæ indicari posse videbantur, haud conveniebant huic loco: ideo hic lacunam relinquere malui. Codex Vrbinas & Libri editi habent; *non alienum mihi videtur*: quod factum fuit, ut opinor, quia supra in Art. 17 Frontinus in loco simili similem dictionem habet; *non alienum mihi visum est &c.*

3. *quantum intra Vrbem*] Codex Cassinensis habet; *quantum in Vrbem*: sed & quia subsequentia verba id postulare videntur, & quia sæpe alibi in hoc eodem Frontini Libro hæ dictiones, *intra Vrbem*, & *extra Vrbem*, conjunguntur, secutus sum sine dubitatione eos, qui legunt, *quantum intra Vrbem*.

4. *Quinariarum, Centenariarumque*] Subaudiendum est Fistularum: per ellipsim enim Fistularum nomen prætermittitur. Quod autem Fistularum nomen subaudiendum sit, satis declarant alia ipsius Frontini loca: ut ubi in Art. 25 ita scribit; *lamina plana quinque digitorum latitudinem habens, circumacta in rotundum, hunc fistulæ* (*quinariæ* scilicet, de ea enim loquebatur) *modulum efficiat*: & ubi in Art. 30 scribit; *in Vicenaria Fistula*.

5. *& ceterorum Modulorum*] Fistularum scilicet reliquarum, quæ adhibebantur tanquam mensuræ, & quæ *Modulorum* nomine veniebant.

6. *quæ vires*] Virium nomine Frontinus hoc loco intelligit capacitatem Modulorum. Vt, quo majorem aquæ copiam pro capacitate sua emittere modulus potest, eo etiam vis major ipsius reputetur.

7. *quæque appellatio*] Idest, appellatio Moduli cujuscumque. In Cassinensi Codice, pro *quæque* legitur *que*: sed in Vrbinate legitur *quæque*: hancque lectionem prætermitti minime posse ratus sum.

8. ratio

appellatio significet; propositaque regula, ad quam [8] ratio eorum & initium computatur, ostendere qua ratione discrepantia invenerim, & quam emendandi viam sim secutus. ¶ Aquarum Moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt. Digiti in Campania, & in plerisque Italiæ locis; [1] uncia in............observatur. Est autem digitus, [2] ut convenit, sextadecima pars pedis, uncia duodecima. Quemadmodum autem inter unciam & digitum diversitas, ita & ipsius digiti simplex [3] observatio *non* est. [4] Alius vocatur quadratus, alius rotundus. [5] Qua-

¶ Art. 24.

---

8. *ratio eorum & initium*] Videtur eorum verborum interpretatio esse hujusmodi posse: proportio inter diversos Modulos, & magnitudo, ex qua initium habere debent, dum fiunt, ipsi Moduli.

1. *Vncia in ....observatur*] Codiees Cassinensis, & Vrbinas habent; *Vncia in Papula cita huc observatur*: Editio princeps, & Editio Iocundi; *Vncia in Pupula ita hæc observantur*. Quæsivi in Geographorum prisci recentiorisque ævi Scriptis editis locum *Papula*, seu *Pupula*, seu *Pupulatita* (quem non obscurum fuisse opinor, cum adhibitarum in eo loco mensurarum tam distinctam rationem Frontinus habuerit) sed quæsivi frustra. At Abrahamus Ortelius, qui unus (ex omnibus, quos vidi) in Libro, cui titulus *Thesaurus Geographicus*, ponit hunc locum Pupula, id loci nomen ex Frontino ipso desumsit, quare nihil doctior factus sum. En Ortelii verba, ¶ Art. 24.

PVPVLA. Frontinus 2 Aquæd. hæc: „ Digiti in Campania, & in plerisque Italiæ locis: uncia in Pupula „.

PVPVLVM. πάπυλον, Vrbs in Sardinia. Ptolemæus.

Sane Ptolemæus hanc Vrbem Pupulum in Sardinia recenset; cui pro Latitudine tribuit gradus 35, minuta 40; pro Longitudine gradus 30, minuta 50. Et cogitaveram de reponenda voce Pupulo ibi, ubi lacunam reliqui; conjectans fieri potuisse, vel ut Frontinus Sardiniam rexerit, Vrbemque illam adamaverit, vel ut ab illa Vrbe oriundus esset; ideoque mensurarum ejusdem distinctam mentionem facere fategerit. Cogitaveram etiam de reponenda voce *Apulia*, quam in Variis Lectionibus habet Scaliger. Sed quoniam Codices, & Editiones non consentiunt inter se, ac habent fragmenta illa, *cita* seu *tita*, alterius verbi prorsus ignoti, re in omnem partem conversa, malui lacunam relinquere.

2. *ut convenit*] Et quidem ceteri etiam Authores in hoe consentiunt, ut Pes divideretur aut in digitos sexdecim, aut in uncias duodecim.

3. *observatio* non *est*. *Alius*] Observatio ponitur hoc loco, quasi ut significetur acceptio ad usum (quemadmodum paullo supra in hoc Art. positum verbum *observatur* significat in usu est) Ad usum vero *digitus* non accipiebatur eodem semper modo; sed accipiebatur aliquando tanquam quadratus, aliquando tanquam rotundus. In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate particula, *non*, deest; sed satis apparet, eam inesse oportere. In Editione autem Iocundi legitur; *observatio non est*. *Nam alius*: at prætermisi particulam *Nam*, quæ ad perficiendam sententiam non requiritur, & quæ deest tum in Codice Cassinensi, tum in Vrbinate.

4. *Alius vocatur quadratus, alius rotundus*] Digitus mensura est unam longitudinem habens; ut in *Fig. XVII* linea A B. At, si super linea A B fiat quadratum

A B

[5] Quadratus tribus quartiſdecimis ſuis rotundo major. ¶ Art. 25. Rotundus, tribus undecimis ſuis quadrato minor eſt, [6] ſcilicet quia anguli deteruntur. ¶ [1] Poſtea Modulus, nec ab uncia, nec ab alterutro digitorum originem accipiens, inductus, ut quidam putant, ab Agrippa, [2] ut alii, a Plumbariis per Vitruvium Architectum in uſum Vrbis, excluſis prioribus, venit [3] appellatus quinario nomine. Qui autem Agrippam authorem faciunt, [4] dicunt, quod quinque antiqui Moduli

---

A B C H, area ipſius quadrati (cujus latus eſt digitus) a Frontino noſtro appellatur *Digitus Quadratus*. Si vero, adhibita linea A B, ſive linea D E æquali ipſi A B, tamquam diametro, fiat circulus D F E G; area hujuſce circuli (cujus diameter digitus eſt) a Frontino *Rotundus Digitus* nuncupatur.

5. *Quadratus tribus quartiſdecimis &c.*] Credibile eſt, Frontinum deſumſiſſe rationem hanc ab Archimede; qui in Libro, cui titulus eſt *de Circuli Dimenſione*, hujuſcemodi habet Theorema, ordine Libri ipſius ſecundum; *Circulus ad quadratum ſuæ diametri, rationem habet, quam undecim ad quattuordecim*. Ergo ſi dividetur digitus quadratus in partes quattuordecim, digitus rotundus continebit ejuſdemodi partes tantum undecim: ſicque *quadratus* digitus *tribus quartiſdecimis ſuis rotundo* digito *major*.

II. Præterea, ſi digitus rotundus continet undecim partes ex iis, quarum quattuordecim a digito quadrato continentur; utique digitus *rotundus tribus undecimis ſuis* digito *quadrato minor eſt*: ut Frontinus noſter affirmat.

III. Ratio autem illa Archimedea Circuli ad Quadratum vera, ut ita dicam, proxime, non geometrice eſt. Quin, noſtris hiſce temporibus, Geometræ ex ſeriebus numerorum numquam deficientium rationem, quantum velint, meliorem Archimedea illa, poſſunt adſignare. At cum ad uſum Archimedea ratio ſatis bona eſt, tum nos hic diſcedere minime debemus a rationibus iis, quas Frontinus noſter adhibuit.

6. *ſcilicet quia anguli deteruntur*] Cauſſa affertur, cur digitus quadratus rotundo digito major ſit: quod ſcilicet in citata *Fig. XVII* anguli S, Z, V, X digiti quadrati deteruntur; hoc eſt auferuntur a quadrato, ut ex quadrato rotundus digitus remaneat.

¶ Art. 25. 1. *Poſtea Modulus*] hoc loco, nomine moduli is intelligitur præciſe modulus, qui primus quaſi ſit; habeaturque communis quaſi menſura aliorum omnium modulorum relatorum ad hunc. Vide quæ paullo infra in Nota 3 hujuſce Art. de quinaria dicuntur.

2. *ut alii, a Plumbariis per Vitruvium Architectum in uſum Vrbis, excluſis prioribus, venit appellatus quinario nomine.*] Hæc verba, non admodum clara, ita eſſe interpretanda opinor: *ut alii* putant, hic modulus inductus *a Plumbariis per Vitruvium Architectum* (ſcilicet, Vitruvio Architecto id procurante) *venit in uſum Vrbis, excluſis prioribus* modulis, qui prius erant in uſu, & *appellatus* fuit hic Modulus *quinario nomine*.

3. *appellatus quinario nomine*] *Modulus ille inductus*, quaſi reliquorum communis menſura, *appellatus quinario nomine*, dicebatur Fiſtula Quinaria; ſive abſolute Quinaria. Sic ad Quinariam referebantur alii omnes moduli. Hac ratione, cauſſa exempli, Fiſtulæ Septuagenariæ capacitas ut exprimeretur, referebatur ad Quinariam; dicebaturque Septuagenaria eſſe capacitatis Quinariarum quinquaginta ſeptem &c.

4. *dicunt, quod &c.*] Subaudi; *dicunt*, illum modulum fuiſſe appellatum quinario nomine ea de cauſſa, *quod &c.*

duli exiles, & velut puncta, quibus olim aqua, cum exigua esset, dividebatur, in unam fistulam coacti sunt. Qui Vitruvium & Plumbarios, [5] ab eo quod [6] plumbea lamina plana, quinque digitorum latitudinem habens, circumacta in rotundum, hunc Fistulæ Modulum efficiat. [7] Sed hoc incertum est; quoniam cum circumagitur, sicut interiore parte attrahitur, ita per illam, quæ foras spectat, extenditur. Maxime probabile est, Quinariam dictam [8] a diametro quinque

---

5. *ab eo*] Supple, dicunt Moduli nomen provenisse *ab eo*.

6. *plumbea lamina plana, quinque digitorum latitudinem habens*] De hisce rebus Vitruvius in Lib. VIII. Cap. 7 ita habet; *ex latitudine autem lamnarum quot digitos habuerint, antequam in rotundationem flectantur, magnitudinum ita nomina concipiunt fistulæ. Namque quæ lamna fuerit digitorum quinquaginta, cum Fistula perficietur ex ea lamna, vocabitur Quinquagenaria, similiterque reliquæ:* atque inde Quinaria nomen a lamna digitorum quinque sortita esse videbatur Vitruvio; ut refert hoc in loco Frontinus noster: qui tamen eam Vitruvii opinionem, ut liquet, non satis probavit. At eam secutus est Plinius, qui in Lib. XXXI. Cap. 6 hæc habet; *Denaria* Fistula *appellatur, cujus laminæ latitudo, antequam curvetur, digitorum decem est; dimidioque ejus Quinaria.*

7. *Sed hoc incertum est*] Ostendit hoc in loco Frontinus noster, mensuram Fistularum desumtam ex latitudine laminæ, antequam curvaretur, esse incertam: propterea quod in lamina non remaneat eadem superficierum interioris & exterioris quantitas post curvaturam, quæ erat ante: id etenim evidens est, *quoniam cum circumagitur* in rotundum lamina, *sicut interioris partis* superficies *attrahitur*, minorque fit; *ita illa, quæ foras spectat* superficies *extenditur*, fitque major. Et hinc validum argumentum Frontinus exhibet, cur credibile sit, nomina Modulorum, ac præsertim Quinariæ, non provenisse a mensura latitudinum laminarum, ex quibus fiebant Fistulæ.

8. *a diametro quinque quadrantum*] Orificium Fistulæ Quinariæ, ut etiam orificia reliquorum Modulorum (quod diligenter notandum est) circuli figuram habebant: icciro Moduli cujusque capacitas cognoscebatur ex area circuli æquantis lumen, idest orificium Fistulæ. Ejus itaque circuli, qui pro mensura Quinariæ assumi poterat, diameter erat unius digiti, & quartæ partis digiti: ita cum quarta pars digiti appellaretur quadrans, diameter fiebat quinque quadrantum. Hinc ex numero quadrantum, ex quibus constabat diameter Fistulæ Quinariæ nomen Fistulæ dabatur: eademque ratione intelligendum de nominibus aliorum Modulorum usque ad Vicenariam.

II. Nunc, quando ea omnia loca, in quibus Frontinus noster infra in Art. 38, & pluribus aliis sequentibus subjicit prolixe *Formulas Modulorum*, sunt inquinatissima, facile erit operæ pretium notare, ubicumque ferat occasio, principia, ex quibus earundem Formularum notio haberi queat. Iuvabit ad id, antequam ulterius progredimur, animadvertere, Vnciam pluribus modis posse considerari, cum Frontinus etiam variis in locis eandem varia ratione assumat: cujus rei caussa hæc est. As dividebatur in uncias duodecim; & pro Asse poterat assumi quæcumque res integra: quamobrem, si Pes assumebatur, tanquam illa res integra, uncia erat pedis pars duodecima: si digitus pro re illa integra considerabatur, erat uncia pars duodecima digiti: si Quinaria veniebat loco rei illius integræ, uncia erat duodecima Quinariæ pars. Et quod de unciis diximus, idem est de reliquis etiam partibus, in quas dividebatur As intelligendum.

que quadrantum, [9] quæ ratio in ſequentibus quoque Modulis, uſque ad Vicenariam durat; diametro [10] per ſingulos adjectione ſingulorum quadrantum creſcente: ut in Senaria, quæ ſex ſcilicet quadrantes in diametro habet; & Septenaria, quæ ſeptem; & deinceps ſimili incremento uſque ad Vicenariam. ¶ Art. 26. ¶ Omnis autem Modulus colligitur [1] aut diametro, aut perimetro,

---

III. Vbi itaque vel unciæ, vel aliæ partes Aſſis a Frontino nominantur; videndum eſt, cui rei referri illæ debeant, & conſiderandum, illas eſſe partes ejuſdem rei. Vt ſi ſermo ſit de Digito, illæ partes tanquam partes digiti erunt conſiderandæ; & ſic porro. Quoniam vero plures ex iis partibus, in quas dividitur As, a Frontino nominantur; iccirco Aſſis partes omnes huc, quaſi in Tabellam tranſtulimus: ut quæ ad rationem ſupputandi Frontinianam faciunt, conjuncta ſint. Illud autem animadvertendum eſt, me duobus punctis uti pro nota minutiarum; quare partem dimidiam unitatis ſcribo ita 1 : 2, duas tertias partes unitatis ſcribo ita 2 : 3, ſimiliterque reliquas.

AS ET EIVS PARTES.	VNCIAE.	SCRIPVLA.
AS	12.	288.
DEVNX	11.	264.
DEXTANS	10.	240.
DODRANS	9.	216.
BES	8.	192.
SEPTVNX	7.	168.
SEMIS	6.	144.
QVINCVNX	5.	120.
TRIENS	4.	96.
QVADRANS	3.	72.
SEXTANS	2.	48.
SESCVNCIA	1. & 1 : 2.	36.
VNCIA	1.	24.
SEMVNCIA	1 : 2.	12.
DVELLA	1 : 3.	8.
SICILICVS	1 : 4.	6.
SEXTVLA	1 : 6.	4.

9. *quæ ratio in ſequentibus quoque Modulis*] Cum ante dixiſſet, Quinariam nominari a quinque quadrantibus, quibus componitur ipſius diameter; nunc ſubdit, adjectione ſingulorum quadrantum fieri alios Modulos uſque ad Vicenariam, hac quoque comprehenſa: ſic habet Senaria in diametro ſex quadrantes; Septenaria ſeptem; Octonaria octo, ideſt digitos duos; eodemque modo res progreditur uſque ad Vicenariam, quæ habet in diametro quadrantes viginti, ſeu quinque digitos: & hæc omnia Frontinus apertiſſime exprimit.

II. Quare Diametri omnium Modulorum, ex quibus primus ſit Quinaria, ultimus Vicenaria, nos latere non poſſunt. Nam ea eſt inter Diametrum, & Perimetrum, & Aream certa ratio, ut ex tribus hiſce unum cognitum ſatis ſit pro duobus reliquis, ſecundum Geometrica Theoremata, reperiendis.

¶ Art. 26. 1. *aut diametro, aut perimetro, aut areæ menſura*] Codices Caſſinenſis, & Vrbinas habent; *aut diametro, aut perimetro, aut ereæ menſure*: Editio Iocundi; *aut a diametro, aut perimetro, aut ex recto menſuræ*. Antequam Codicum exemplaria haberem, cum in hunc locum forte incidiſſem, varia cogitavi, ut interpretarer quid ſignificarent verba illa *ex recto menſuræ* poſita in editis Libris: viſis autem Codicibus, ſtatim intellexi; iis emendatis verbis, legendo *areæ menſura*, rem totam reddi facilem, atque perſpicuam. Quis enim non videat, a diametro, perimetro, & area, ceu a præcipuis fontibus, notiones omnes pertinentes ad magnitudinem circuli emanare. Quamobrem, quando Frontinus dixerat *Modulus*, ſeu Moduli orificium circuluſ-

metro, aut areæ menſura; ex quibus [2] & capacitas apparet. Differentiam unciæ, digiti quadrati, & digiti rotundi, & ipſius Quinariæ, ut facilius dinoſcamus, utendum eſt [3] ſubſtantia Quinariæ, qui Modulus & certiſſimus, & maxime receptus eſt. [4] Vnciæ ergo Modulus [5] habet diametri digitum unum & trien-

---

circulusque *colligitur aut diametro, aut perimetro*; quis dubitare inde poterit, quin tertio loco verba hæc, *area*, ſive *area menſura* ſubdiderit? Ideo ſecure pro verbis *areæ menſuræ* (ut in Codicibus eſt) verba, *areæ menſura*, ſubſtitui.

2. *& capacitas apparet*] Quid capacitatis vocabulo ſignificetur, perſpicuum eſt. Significatur etenim ea magnitudo, quam Moduli orificium, ſeu lumen habet, ex qua facile quantam capiat aquam cognoſcitur. Quid enim certius, quam denotari capacitatem alicujus rei, cum, quantum illa capit, denotatur. Et quidem Frontinus in Modulorum Formulis, quando propoſita Moduli diametro, atque perimetro aream his convenientem vult proponere, hac dictione, *capit* Modulus, plerumque utitur: quod infra in Art. 38, ac pluribus aliis ſequentibus & ſæpe, & perſpicue videri poteſt. Cum igitur capacitas haud dubie dependeat ab orificio, & hoc æquale ſit areæ circuli, quæ tam ex diametro, quam ex perimetro innoteſcit (ut indicavimus in Nota 9 Art. 25) ſit perſpicuum, poſſe ex Moduli ſive diametro, ſive perimetro, ſive area notis, capacitatem ipſius Moduli colligi, atque cognoſci.

II. Id vero, quod etiam in paullo ſupra citata Nota indicavi, non hic prætermittam; ſed diligentiſſime notari velim: nimirum, ubi cognoſcuntur Modulorum aut Diametri, aut Perimetri, aut Areæ, poſſe haud dubie tolli errores omnes in Formulis Modulorum; de quibus infra Art. 38, & pluribus aliis ſequentibus verba ſunt.

3. *ſubſtantia Quinariæ*] Ideſt Quinaria tanquam communi quadam menſura, qua metiamur reliquos Modulos. Supra in Art. 25 etiam dixerat, fuiſſe *Modulum inductum quinario nomine*; ſcilicet Modulum primum, ad quem referrentur alii, ut jam in Notis 1, & 3 Art. 25 explicavimus.

4. *Vnciæ ergo Modulus*] Hæc verba, & ſequentia uſque ad verbum *Ceterum* inſervientia deſcribendis modulis illis, qui etiam infra in Art. 38 iiſdem ferme verbis deſcribuntur, num in hunc locum perperam a Librariis olim inſerta fuerint, definire non auſim; ſed quoniam Libri filum non abrumpunt, de ipſis expungendis minime ſollicitus fui. De cauſſa vero, cur de hoc loco dubitari poſſit, de citato autem illo inferiore loco non ita, infra in Nota 2 Art. 38 diſtincte diſſeram.

5. *habet diametri digitum unum, & trientem digiti*] Vnciæ Modulus erat, ut alii ferme omnes, rotundus; habebatque diametrum unciæ longitudine. Quod ſi unciæ duodecim æquabantur digitis ſexdecim, manifeſtum eſt, quamlibet unciam uni digito cum triente digiti fuiſſe æqualem. Diviſo autem digito in ſcripula 288 (quam Digiti diviſionem retinebimus ſemper) Vnciæ Moduli diameter fiebat æqualis ſcripulis 384. Circulus hac diametro factus (ſive Vnciæ Modulus) æqualis eſt quadratis Digiti ſcripulis 115811. At Quinaria æqualis eſt quadratis Digiti ſcripulis 101788, Quinariæ ſeſcuncia eſt æqualis quadratis Digiti ſcripulis 12724, Quinariæ ſcripula tria ſunt æqualia ſcripulis Digiti quadratis 1060, bes ſcripuli Quinariæ eſt æqualis quadratis Digiti ſcripulis 236; qui quattuor numeri in unam ſummam collecti efficiunt quadrata Digiti ſcripula 115808: hæc autem ſumma, cum ferme æqualis ſit Modulo Vnciæ, qui eſt ſcripulorum 115811, ſequitur manifeſte; Modulum Vnciæ capere Quinariam unam, & inſuper Quinariæ ſeſcunciam, & ſcripula tria, & beſſem ſcripuli.

trientem digiti ; [6] capit Quinariam , & plus quam Quina-

II. Quoniam vero de Quinariæ partibus posthac sermo sæpe erit habendus; iccirco non abs re fore existimavimus, si ipsas partes Quinariæ, usurpatas a Frontino, in unam veluti redactas Tabellam subjiceremus.

III. Hac vero occasione arrepta, en quæ de adhibendis numeris monere diligenter debeo. Numeri, quos adhibebo, nisi Quinariæ, aut alius moduli, aut quantitatis pro unitate sumtæ sermo sit, semper exprimenti Digiti scripula: quod si sermo erit de lineis; hæ ceu Digiti partes, nimirum longitudines, habendæ erunt; sicque pro unitate assumetur longitudo æqualis scripulo Digiti (idest pars Digiti ducentesima octuagesima octava) si vero de areis dicetur; Digiti partes, ceu quadratæ erunt considerandæ; sicquè pro unitate assumetur unum Digiti scripulum quadratum. Hæc cum semel monuerim; semper, ut ratio postulabit, intelligi velim. In quadratis itaque Digiti scripulis, Quinaria, & partes unius integræ Quinariæ eæ sunt, quæ in apposita Tabella visuntur.

QVINARIA ET EIVS PARTES.		SCRIPVLA QVADRATA.
	QVINARIA	101788.
QVINARIAE	DEVNX	93305. & 2: 3.
	DEXTANS	84823. & 1: 3.
	DODRANS	76341.
	BES	67858. & 2: 3.
	SEPTVNX	59376. & 1: 3.
	SEMIS	50894.
	QVINCVNX	42411. & 2: 3.
	TRIENS	33929. & 1: 3.
	QVADRANS	25447.
	SEXTANS	16964. & 2: 3.
	VNCIA	8482. & 1: 3.
	SESCVNCIA	12723. & 1: 2.
	SEMVNCIA	4241. & 1: 6.
	DVELLA	2827. & 1: 3.
	SICILICVS	2120.
	SEXTVLÆ	1414.
	SCRIPVLVM	353. & 31: 72.

6. *capit Quinariam, & plus quam Quinariæ octavam; hoc est, sescunciam Quinariæ, & scripula tria, & bessem scripuli.*] Antequam ulterius progrediamur, liceat hoc etiam loco paullisper consistere, atque animadvertere, consuevisse antiquos Scriptores ponere pro partibus Assis notas quasdam, quarum singulæ singulas partes significabant. Figuras earundem notarum veris, antiquisque certe similes exhibere, datum non est; si datum fuisset, potuissem curare ut fierent earum ænei typi in hujusce editionis usum: quasdam fortasse proximas veris (& cum quibusdam Codice Cassinensi contentis aliquam similitudinis speciem habentes) ex Demetrio Alabaldo desumtas, speciminis caussa, in Tabula P exhibui: ubi positæ sunt ad sinistram NOTAE, & ad dexteram respondentes PARTES ASSIS.

II. Sed non in omni re tractanda iisdem notis usi sunt antiqui Scriptores, neque eandem partem (puta sescuntiam) semper designavere per eandem notam: verum adhibuerunt notas aliquanto varias, prout agebatur (puta) vel de intervallis, vel de ponderibus Romanis, vel de medicis ponderibus. Quare hinc fieri potuit, ut difficultas recte scribendarum hujuscemodi notarum augeretur. Opinor itaque contigisse, ut Librarii in notis describendis minus exercitati, tum ex caussa modo dicta, tum aliis ex caussis notas vitiaverint: opinor insuper contigisse (nam verba confuse cum notis commixta sæpe reperiuntur) ut homines indocti satagentes ponere pro notis verba, quibus partes antea notis indicatæ significarentur expresse, partes quasdam corruperint; Assisque partes ita scripserint, ut latinam locutionem sæpe fœdaverint. Ex his notarum corruptionibus, credibile est profluxisse immanes illos, creberrimosque errores; qui ubi partes describuntur, præsertim vero in Modulorum Formulis, extant.

III. Nunc

Quinariæ octavam; hoc est, sescunciam Quinariæ, & scripula tria, & bessem scripuli. [7] Digitus quadratus, in rotundum redactus, [8] habet diametri digitum unum &

III. Nunc venio ad Frontini verba: ea in Codicibus, atque in Editione Iocundi, eodem ferme ubique modo, ita leguntur; *capit plusquam Quinariæ octava, hoc est sescuntia quinariæ, & scripulis tribus, & besse scripuli*. Equidem non dubitavi, verbum Quinariam esse addendum, quod certe Librariorum incuria omiserat: evidentissimum enim est (ut in præcedenti Nota demonstravimus) Vnciæ Modulum capere Quinariam: at insuper (ut ibidem ostenditur) capiebat hic Modulus sescunciam, quæ *octava* Quinariæ pars est, & tria scripula, & bessem scripuli: *capiebat* ergo *Quinariam, & plusquam Quinariæ octavam*. En itaque, ut sponte veluti sua profluxerit prima nostra emendatio, qua pro verbis, *capit plusquam Quinariæ octava*, reposuimus, *capit Quinariam & plusquam Quinariæ octavam*. Deinde emendavimus verba, *hoc est sescuntia Quinariæ, & scripulis tribus, & besse scripuli*, ita; *hoc est sescunciam Quinariæ, & scripula tria, & bessem scripuli*: quod hoc modo fuisse faciendum, præcedens verbum *capis* apertissime commonstrat.

IIII. Neque vero hic præteribo, illud monere: bessem scripuli in hac Vnciæ Moduli descriptione adsignari a Frontino; qui tamen (si excipias hunc locum) partium scripuli rationem nusquam habuisse, ex Codicibus, editisque Libris videtur. Sed quod attinet ad rationem habendam unius alteriusve scripuli, ut caute agatur, reor constituenda esse, tanquam principia, hæc. Primum, Frontinum in hisce prioribus parvis Modulis magis distincte partes adsignavisse; nam ab ejusdem quantitatis erroribus vitiantur parvi numeri multo magis, quam numeri majores: secundum, eundem Frontinum minutias diligentius fuisse persecutum in adsignandis diametris, quam in areis adsignandis; nam si erres in diametro, inde aream ex tali diametro quæras, error ille diametri in area multo major evadit; at si erres in area, inde ex tali area diametrum quæras, error ille areæ in diametro multo minor reperitur; & propter hæc de partibus diametri major, quam de partibus areæ sollicitudo esse debet. Hujuscemodi res (quas a Frontino non fuisse attentas credi non potest, & quas etiam apprime congruere cum rerum tractandarum natura, manifestum est) ante oculos in posterum habebo, ut methodo supputandi Frontinianæ nostra congruat supputandi ratio.

V. Præter hæc liceat & id adjicere: me vocem *scripulum* adhibere potius, quam *scrupulum*. Porro utrumque in Codicibus aliorum quorundam Scriptorum reperiri, Author est Elias Vinetus in Notis ad Priscianum de ponderibus; & *scrupulum* in usu plerumque est: ego tamen meliori Codici Frontiniano stare volui, in quo *scripulum* legitur. Plerique autem asserunt, *scripulum* natum a *scriptulo*, *t* littera prætermissa: *scriptulum* vero esse a *scribo*.

7. *Digitus quadratus in rotundum redactus*] Idest circulus, cujus area facta sit æqualis Digito quadrato. Vt si A (*Fig. XVIII*) sit Digitus quadratus, & fiat circulus B æqualis quadrato A; circulus B erit *Digitus quadratus in rotundum redactus*. Digitus autem quadratus componitur ex scripulis quadratis 82944: hoc enim est quadratum Digiti, lateris scilicet scripulorum 288.

8. *habet diametri digitum unum, & digiti sescunciam*, scripulum] Diameter constans ex uno digito, & sescuncia, & scripulo continet scripula 325, & area circuli facti hac diametro est scripulorum 82957, adeo proxime æqualis quantitati ipsius quadrati digiti 82944 (Nota præcedente propositæ) ut dubitari non possit; quin post *sescuntiam* fuerit verbum *scripulum*; quo posito rationes succedunt optime. In Codice Cassinensi legebatur; *diametri digitum unum, & digiti sescunciam sextum*: in Codice Vrbinate, & in Editione Iocundi legebatur; *diametri digitum unum, & digiti sescun-*

& digiti fescunciam, *scripulum*: [9] capit Quinariæ *dodrantem*, *semunciam*, *sicilicum*. [10] Digitus rotundus habet diametri digitum unum; [11] capit Quinariæ septuncem, semunciam, sextulam.

¶ Art. 27. ¶ Ceterum moduli, qui a Quinaria oriuntur, duobus generibus incrementum accipiunt. [1] Et *unum*, cum ipsa multiplicatur; id est, eodem lumine plures Quinariæ includuntur: in quibus, [2] secundum adjectionem Quinariarum, amplitudo luminis crescit. [3] Est autem fere

nunc

---

fescunciam sextulam: sed digitus, fescuncia, & sextula efficiunt scripula 328, ex quibus, tanquam ex diametro, factus circulus habet scripula 84496; quæ quantitas digitum quadratum 82944 excedit sextula, scripulo, & amplius: atque ideo nequit pro vera hoc loco haberi: iterumque apparet, præstare plurimum, uti diametro ante constituta *digiti*, *fescunciæ*, *& scripuli*.

9. *capit Quinariæ* dodrantem, semunciam, sicilicum] Quinariæ dodrans habet scripula 76341, semuncia habet scripula 4241, sicilicus habet scripula 2120, quorum trium numerorum summa continet scripula 82702: hæc autem summa a capacitate (scripulorum 82944) quadrati digiti vix Quinariæ scripulo dimidio differt. In Vrbinate Codice locus est totus depravatus: in Cassinensi Codice, & in Editione Iocundi legebatur; *capit quinariæ dextantem*: sed mendum erat manifestissimum. Nam Quinariæ dextans æqualis est scripulis 84823; nimiumque differt a digito quadrato 82944. Neque Frontinus, cujus supputandi diligentia multis in locis, quæ integra remansere, perspicue apparet, tam palmares errores errare potuit: hi haud dubie propter incuriam inscitiamque Librariorum irrepsere. Sed emendationes (ut hæc, quam attulimus, reponendo verba *dodrantem*, *semunciam*, *sicilicum*) per se sunt manifestæ.

10. *Digitus rotundus habet diametri digitum unum*] Aream circuli, cujus diameter digitus, nuncupari a Frontino digitum rotundum, ostendimus in Nota 4 Art. 24.

11. *capit quinariæ septuncem*, *semunciam*, *sextulam*] Area circuli, cujus diameter digitus, scilicet scripuli 288, est æqualis scripulis 65144. At habet quinariæ septunx scripula 59376, semuncia 4241, sextula 1414, itaque horum trium summa continet scripula 65031, quæ summa adsignatæ capacitati scripulorum 65144 digiti rotundi æqualis haberi omnino potest.

¶ Art. 27. 1. *Et* unum] Legebatur in Codicibus, & in Editione Iocundi, *& una*: sed manca sententia erat; quare cum modo induxerit *duo* genera, infra vero in Art. 29 *Alterum genus*, & quidem ordine secundum explicet; credibile est, hoc loco unius, scilicet ordine primi, generis explicationem Frontinum exordiri sic. *Et unum*. Mutavimus autem, ut aliquando alibi etiam facere coacti fuimus, interpunctionem; quæ in omnibus Libris sententiam reddebat obscuriorem.

2. *secundum adjectionem quinariarum amplitudo luminis crescit*] Ita quodcumque hujuscemodi lumen erat semper æquale certæ summæ quinariarum integrarum (sive solidarum, ut alii appellant: solidæ enim dicuntur quinariæ, quibus nulla pars deest, nulla adjicitur) quare dici poterat quinaria multiplicari; quæ cum bis assumebatur, luminis amplitudo fiebat æqualis duabus quinariis; cum ter, amplitudo luminis tres quinarias æquabat; & similiter in aliis.

3. *Est autem fere nunc in usum &c.*] Subaudi, id inductum *in usum*. Et citata hæc

verba

nunc in usum : [4] cum plures Quinariæ impetratæ, [5] ne in viis sæpius convulneretur una fistula, [6] excipiuntur [7] in Castellum; ex quo singuli suum modum recipiunt. ¶ Alterum genus est, quotiens [1] non ad Quinariarum necessitatem Fistula incrementum capit, sed ad diametri sui mensuram ; [2] secundum quod & nomen accipit, [3] & capacitatem ampliat: ut, puta, Quinaria, cum adjectus est ei ad diametrum quadrans, [4] senarium facit ; [5] nec jam in solidum capacitatem ampliat : capit enim [6] Quinariam ¶ Art. 28.

verba habenda sunt, ceu quoddam proœmium narrationis subsequentis, ab ipsa tamen narratione sejunctum.

4. *cum plures Quinariæ impetratæ*] Ita Codices: Editio Iocundi habet ; *cum plures quinariæ impetratæ fuerint*. Sed verbum *fuerint*, quod in Codicibus deest, prætermisi ; subaudiri enim facile potest.

5. *ne in viis sæpius*] Ita Editio Iocundi: Codex Cassinensis habet ; *ne, ni nis sepius*: Codex Vrbinas ; *ne in viis sepius* : quæ verba, quamvis mendosa, rectam esse Iocundi emendationem, dilucide demonstrant. Quare nolui reponere verba hæc ; *ne nimis sæpe*, quæ in mentem venerant.

6. *excipiuntur*] Ita Codices: Editio Iocundi habet ; *ut excipiantur*.

7. *in Castellum*] Castella privata definiuntur supra in Nota 16 Art. 3 ; de quibus privatis Castellis nihil Vitruvius dixit. Ex his autem Frontini verbis colligi potest ; Frontini ævo plura, quam olim, fuisse privata Castella : nam apparet, olim cunctos Privatos, aut certe plurimos, impetrata aqua convulneravisse fistulas, ut aquam illam impetratam erogarent ex fistula ; quo autem tempore Frontinus scripsit, consuevisse Privatos commune Castellum adhibere (& sæpe novum facere, ut rei natura apte indicat) in quod per fistulam omnis aqua duceretur, ut inde ex eo singuli propriam reciperent portionem.

1. *non ad Quinariarum necessitatem Fistula incrementum capit*] Idest, amplitudo luminis Fistulæ capit incrementum, quod non definitur necessario ex solis quinariis solidis, sed sæpe constat ex quinariis, atque ex quinariarum partibus. ¶ Art. 28.

2. *secundum quod &c.*] Idest *fistula*, juxta incrementum conjunctum cum iis diametri partibus quibus fuit adjectum, *& nomen accipit*, *& capacitatem ampliat*.

3. *& capacitatem ampliat*] Nam, aucta diametro, ampliari capacitatem, idest aream circuli (seu luminis, ut in Nota 2 Art. 26 definivimus) facti secundum auctam diametrum, manifestius quidem est, quam ut indicari debeat.

4. *senarium facit*] Idest eum numerum, unde talis Fistula Senaria appellatur : sic enim, cum Quinaria quinque quadrantes in diametro haberet ; uno addito, sex quadrantes in diametro fiunt: jamque supra in Art. 25 etiam dixerat ; *ut in Senaria, quæ sex scilicet quadrantes in diametro habet*.

5. *nec jam in solidum capacitatem ampliat*] Idest, nec capacitas Senariæ Fistulæ juxta certum numerum solidarum quinariarum ampliatur. Porro id significari evidens est ; nam statim subdit, Senariæ capacitatem æquare *unam quinariam* ; & insuper quinariæ *quincuncem*, *& sicilicum* ; nempe insuper alterius quinariæ partem, non aliam quinariam solidam.

6. *Quinariam unam, & quincuncem, sicilicum*] Vna quinaria habet scripula 101788, quina-

riam un m, & quincuncem, ficilicum; & deinceps eadem ratione quadrantibus diametro adjectis (ut [7] supra dictum est) crescunt Septenaria, Octonaria, ¶ Art. 29. usque ad Vicenariam. ¶ [1] Subsequitur illa ratio, quæ constat ex numero digitorum quadratorum, qui areæ, id est lumine cujusque Moduli, continentur; a quibus & nomen Fistulæ accipiunt: [2] nam quæ habet areæ, id est luminis in rotundum coacti, digitos quadratos viginti quinque, Vicenumquinum appellatur: [3] similiter Tricenaria, & deinceps per incrementum [4] digitorum quadratorum, usque ad Centenumvicenum.

¶ In

quinariæ quincunx 42411, quinariæ sicilicus 2120; itaque summa habet scripula 146319. At Senaria, cujus diameter æquat digitum unum cum dimidio, idest scripula 432, habet in area scripula 146574; qui numerus cum sit circiter æqualis summæ modo inventæ (differentia enim inter eos numeros, æqualis numero 25., minor quinariæ scripulo, in numeris hisce magnis negligi potest; eamque neglectam a Frontino fuisse dubitandum non videtur: quod non semel animadvertere, haud inutile est) sequitur profecto ex his ante positis rationibus calculisque, ut dicendum sit, a Senaria capi quinariam, & quinariæ quincuncem, & sicilicum.

7. *supra*] Idest, in Art. 25.

¶ Art. 29. 1. *Subsequitur illa ratio*] Tradidit Frontinus noster primo rationem Moduli, cujus modus pendebat a pluribus solidis quinariis una conjunctis, ut Modulum unum efficerent: secundo tradidit rationem Moduli, in quo regula desumebatur a quadrantibus digiti, qui additi quinariæ diametro, cum ea componebant ipsius Moduli diametrum, cujus Moduli area juxta quinarias, non tamen necessario solidas, definiebatur. Talium Modulorum utraque ratio (cum primo, tum secundo exposita) conveniebat propter id, quod utraque *a quinaria oriri* diceretur. Nunc vero Frontinus aliam, a prioribus diversam, Modulorum rationem subjungit.

2. *nam quæ habet areæ, idest luminis in rotundum coacti*] Areæ itaque nomine hoc loco manifeste designatur lumen coactum in rotundum; idest lumen circuli figura præditum. Quod in similibus locis intelligendum esse eodem modo, perspicuum est.

3. *similiter Tricenaria*] Idest, Fistula, cujus luminis area æqualis est triginta digitis quadratis, appellatur Tricenaria.

4. *digitorum quadratorum usque ad Centenumvicenum*] Ita Codices: in Editione Iocundi, aliisque deest verbum illud *quadratorum*. Idest, usque ad illam Fistulam, quæ cum habeat in area quadratos digitos centum & viginti, appellatur Fistula Centenumvicenum. Hac itaque ratione notæ nobis esse queunt capacitates, idest areæ omnium Modulorum, ex quibus primus sit Vicenumquinum, ultimus Centenumvicenum: ex areis autem etiam diametros eorundem, etiamque perimetros colligere facile possumus; ut indicavimus supra in Nota 9 Art. 25. Ex hisce, atque ex eis, quæ in Nota modo citata demonstravimus, illud apertum est, ac perspicuum; posse nos omnino cognoscere ac determinare Diametros, Perimetros, & Capacitates Modulorum; Quinariæ, Centenumvicenum, & reliquorum omnium, qui hos inter intercipiuntur. Ex his autem, quæ scripsit Frontinus tum in hoc Art. tum in tribus præcedentibus, tum vero in Art. 38 liquet; omnium Modulorum quadruplex veluti genus fuisse.

II. Pr-

¶ In Vicenaria Fistula, quæ [1] in confinio utriusque rationis posita est, [2] utraque ratio pene congruit. Nam habet ¶ Art. 30.

II. Primum eorum, qui oriebantur a multiplicatione Quinariarum; & *in quibus secundum* earundem *Quinariarum adjectionem amplitudo luminis* crescebat: de iis Frontinus verba fecit toto Art. XXVII. Hi vero tunc determinabantur, cum erant adhibendi: quemadmodum Frontinus scribit; *cum plures Quinariæ impetratæ sunt, una Fistula excipiuntur*; quæ sane *Fistula* ex multiplicatione quinariarum oriebatur. Demum, hi Moduli erant in usu: non tamen erant in Principis Commentariis, in quibus erant dumtaxat moduli generis secundi, & tertii; ut infra dicemus.

III. Secundum genus erat eorum, qui *incrementum capiebant ad diametri sui mensuram*: crescentibus scilicet diametris singulis *adjectione singulorum quadrantum*: de his vero Modulis scripsit toto Art. XXVIII; cum quædam etiam Art. XXV scripsisset.

IIII. Tertium genus constabat ex Modulis, quorum determinatio, & constitutio oriebatur *a numero digitorum quadratorum; qui area, idest lumine cujusque Moduli* continebantur: atque de his egit in hoc ipso Articulo XXIX. Priores autem moduli, videlicet secundi generis, atque hi tertii generis sunt illi XXV, qui in Principis Commentariis reperiebantur; ut ostendetur infra in Nota 1 Art. 34. Ac horum XXV pars in usu frequenter erat; pars non ita; ut scribitur infra in Art. 37.

V. Postremo possunt ad quartum genus referri Moduli illi *Uncia*, *Digitus quadratus*, *Digitus quadratus in rotundum redactus*, & *Digitus rotundus*, de quibus verba facie Frontinus in Art. 26, & in Art. 38. Hi moduli (ut ut digiti longitudo esset veluti elementum inserviens mensuris omnium modulorum) non erant in usu: nec enim uspiam de eorum usu quidquam dici reperitur: neque etiam erant in Principis Commentariis, quibus dumtaxat illi XXV supra memorati continebantur.

1. *in confinio utriusque rationis*] Hoc loco Frontinus pro una ratione intelligit rationem eorum Modulorum, qui singuli in diametris crescebant (ut dictum est in Art. 25) *adjectione singulorum quadrantum*, & a quadrantum numero accipiebant nomen: pro altera vero ratione intelligit rationem Modulorum, qui crescebant secundum digitos quadratos, a quibus & nomen accipiebant; ut dicitur in Art. 29. Modulorum autem factorum secundum primam rationem postremus habebatur Vicenaria, post quam incipiebant Moduli facti secundum alteram rationem. Quare dici poterat, esse Vicenariam positam *in confinio utriusque rationis*. ¶ Art. 30.

2. *utraque ratio pene congruit*.] Si enim sumatur fistula Vicenaria secundum primam rationem, ut habeat in diametro quadrantes viginti, & inde ejusdem luminis area in digitos quadratos alteri rationi respondentes dividatur; etiam hi quadrati digiti circiter viginti esse, ut demonstrabitur sequenti hujus Notæ parte, comperietur: fietque manifestum, hujuscemodi fistulam tam ex ratione viginti quadrantum in diametro, quam ex ratione pene viginti digitorum quadratorum in area, Vicenariam esse. En ergo quomodo dicatur; *utraque ratio pene congruit*.

II. Nunc demonstro id, quod in superiore parte hujusce Notæ pollicitus fueram demonstrare. Si ex diametro viginti quadrantum, seu digitorum quinque, seu scripulorum 1440 area fiat; hæc erit scripulorum 1628601: at viginti digiti quadrati, una compositi, dant aream scripulorum 1658880: ergo area ex diametro viginti quadrantum comperitur esse circiter æqualis areæ viginti digitorum quadratorum: negligi enim potest differentia illa scripulorum 30279 inter aream 1628601, & aream 1658880, quæ differentia minor est Quinariæ triente; atque iccirco area illa 1628601, facta a diametro quadrantum viginti, dici etiam potest habere digitos quadratos viginti, minus exigua quantitate, nempe minus differentia illa scripulorum 30279. Hæc autem dicta sint, non modo ut demonstretur, cur hoc loco Frontinus dixerit, *utraque* ratio pene congruit, sed etiam ut ex his animadversis intelligantur ea, quæ a Frontino statim post hæc subjiciuntur.

M III. Cete-

habet ſecundum eam computationem, [3] quæ in antecedentibus Modulis ſervanda eſt, in diametro quadrantes viginti, cum diametri ejuſdem digiti quinque ſint: &, ſecundum eorum Modulorum rationem, [4] qui ſequuntur ad eam, [5] habet digitorum quadratorum exiguo minus viginti.

¶ Art. 31. ¶ [1] Ratio Fiſtularum Quinariarum, uſque ad Centenumvicenum, per omnes Modulos ita ſe habet, ut oſtendimus; [2] & omni genere inita

---

III. Ceterum Codices habent, ut ſcripſimus; *utraque ratio pene congruit*: ita etiam Editio Iocundi, ſed in emendationibus ad hujus calcem poſitis habetur; *utrique rationi pene congruit*: quam ſane falſam emendationem qui ſecuti ſunt, ſententiam multo fecere obſcuriorem.

3. *quæ in antecedentibus Modulis*] Codex Caſſinenſis, & Vrbinas habent; *quæ intercedentibus modulis*: Editio Iocundi habet; *qua interjacentibus modulis*: quarum utraque lectio mendoſa viſa eſt. At cum hæc verba a Frontino referantur ad eos modulos, qui nominabantur ſecundum quadrantes contentos in diametris, & qui ordine propriæ minoris magnitudinis, inſtitutæque narrationis antecedebant modulos denominatos ſecundum quadratos arearum digitos, videtur veriſimillimum, fuiſſe ſcriptum, *in antecedentibus Modulis*: quare, pro *intercedentibus*, perexigua mutatione poſuimus, *in antecedentibus*.

4. *qui ſequuntur ad eam*] Ideſt; *qui*, a digitis quadratis in area contentis nomen accipientes, *ſequuntur ad eam* primam, antecedentemque rationem modulorum, qui a diametrorum quadrantibus nomina ſortiebantur. Hoc autem in loco id obiter notabo. Si hi moduli dicebantur ii, *qui ſequuntur*; jam (attenta verborum vi) moduli prius nominati dicendi erant ii, qui antecedebant: ergo vel hac de cauſſa liquet, recte habere emendationem, qua illos (priore Nota) *antecedentes* diximus, ponentes ita; *in antecedentibus Modulis*.

5. *habet digitorum quadratorum exiguo minus viginti*] Ita legitur in Codice Caſſinenſi: in Codice Vrbinate; *habet digitorum quadratorum ex ignominiis XX*: in Editione Iocundi; *habet digitorum quadratorum ex gnomoniis XX*. E quibus lectionibus intermedia aperte falſa eſt. Poſtrema longe obſcuriſſima; etſi enim vox hæc gnomon a Geometris eſt recepta, hujus tamen vocis, derivatarumque ab hac ſignificationes ſi quis velit ad hunc locum explicandum recte accommodare, difficultatem rei facile percipiet. Prima autem lectio præſtat: nam de Vicenaria dicendum erat (ut diſtincte, atque perſpicue demonſtravimus in Nota 2 II hujuſce Art.) eam habere digitos quadratos XX, minus exigua quantitate: quod idem omnino ſignificatur his verbis; Vicenaria *habet digitorum quadratorum exiguo minus XX*. Porro talem hujuſce loci explicationem germanam eſſe, non videri manifeſtiſſimum conſideranti non poteſt: cum inſuper illud etiam accedat, quod hac eadem fere dictione uſus infra in Art. 75 Frontinus fuit ita: *Sequens diverſitas eſt, quod alius modus concipitur ad capita; alius, nec exiguo minor, in Piſcinis*.

¶ Art. 31. 1. *Ratio*] Ratio hoc loco idem eſt ac proportio, ſive comparatio: idemque ſignificat in quibuſdam aliis locis. Quod ex integrorum ſenſuum vi fit adeo manifeſtum, ut dum id animadvertimus, uti in re clara explicationibus non neceſſariis, videri poſſimus.

2. *& omni genere inita conſtat ſibi*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *& in omni genere &c.*, ſed eam particulam *in* recipere nolui. Illa verba, *omni genere*, interpretor, ut ſignificent quovis modo: verba illa, *ratio inita*, ut ſignificent, ad calculos adducta:

inita constat sibi: convenit & cum his Modulis, qui [3] in Commentariis Invictissimi & Piissimi Principis positi & confirmati sunt. [4] Sive itaque ratio, sive authoritas sequenda est, [5] utroque Commentariorum Moduli prævalent. Sed Aquarii cum [6] manifestæ rationi pluribus consentiant, [7] in quattuor Modulis novaverunt; Duodenaria, & Vicenaria, & Centenaria, & Cente-

---

adducta: verba illa *constat sibi*, ut significent, convenit in suis partibus: quare cuncta allata verba ita explico: & hæc fistularum ratio quovis modo ad calculos adducta reperitur convenire in omnibus suis partibus, sivo universa constare sibi; ut nulla ejus pars sit, quæ partibus aliis pro conveniente rataque portione sua certe non respondeat, atque congruat.

II. Et sane interpretatio hæc perspicue confirmatur ex iis, quæ Frontinus infra in Art. 34 habet, verbis; *Omnia autem*, inquit, *quæ mensura continentur certa & immobilia congruere sibi debent, ita enim universitatis ratio constabit*. Quibus verbis apertissime declarat, nullius moduli magnitudinem mutandam esse: nam si unius moduli magnitudo mutetur, facile cuncta modulorum series perturbatur: at, si nullus mutetur modulus, universa series, sive (quod idem est) *universitatis ratio* constat, omnesque partes perpetuo inter sese debita ratione respondent. Vide quæ dicuntur infra in Nota ad verba, *& Quinariarum* Art. 34.

3. *in Commentariis*] Commentarii erant Libri, in quibus res breviter, ac quasi per capita, memoriæ gratia describebantur. Descriptio autem modulorum, qui in Commentariis Principis non modo *positi* erant, verum etiam (ut ab ipso Frontino dicitur) *confirmati*, haberi poterant loco legis, quæ caveret, ne mensuræ modulorum essent unquam diversæ a descriptis: ideo in illis Commentariis authoritas inerat.

4. *Sive itaque ratio, sive authoritas*] Ratio scilicet fistularum ante descripta. Authoritas Commentariorum Principis, de qua diximus Nota præcedente.

5. *utroque*] Etsi præcedunt verba, *sive itaque ratio*, *sive authoritas*, ad quæ refertur subsequens particula, unde particula, *utraque*, desiderari videretur, attamen etiam particula *utroque* recte posita esse potest; vel neutro genere, ut significet utraque re; vel per Ellipsim, ut subaudiatur aut vox *principio*, aut vox *nomine*, aut similis alia: quare sententia hæc sit; *utroque* nomine, scilicet tam ratione, quam auctoritate &c.. Et quidem Codices habent *utroque*: sed Editio Iocundi habet, *utrique*; mendo manifestissimo: nam sententia tunc fit hæc; moduli commentariorum prævalent *utrique*, scilicet prævalent rationi, & auctoritati; quod erroris plenum; cum vera sententia sit hæc: moduli commentariorum tam ratione, quam auctoritate prævalent modulis aliis.

6. *manifestæ rationi pluribus consentiant*] *pluribus* (ablativo casu) interpretor, ut significet, secundum plures modulos. Vt tamen dicam quod sentio; valde suspicor, scriptum fuisse *in pluribus* (nimirum *in pluribus* modulis) particulam autem *in* Librariorum incuria periisse.

7. *in quattuor Modulis novaverunt*] Verbum *novo* aliquando significat mutare; nimirum rem aliquam transformare in novam: Cic. in Lib. III. de Legibus habet; *nihil habui sane, non modo multum, quod putarem novandum in legibus*. Itaque citata Frontini verba significant; *Aquarii in quattuor modulis* mutaverunt eam magnitudinem, quæ rationi, & Commentariis Principis conveniebat. Porro in Codice Cassinensi

M 2 legitur

¶ Art. 32. Centenumvicenum. ¶ [1] Et Duodenariæ quidem nec magnus error, nec usu frequens est: cujus diametro adjecerunt digiti semunciam, sicilicum; [2] capacitati Quinariæ *quadrantem*. [3] *In* reliquis autem tribus Modulis plus deprehenditur. [4] Vicenariam exiguiorem fa-

---

legitur *novavũnt*; qua compendiaria scriptura videtur manifestissimum repræsentari verbum (ut scripsimus) *novaverunt*. At in Codice Vrbinate, & in Editione Iocundi legitur; *nominaverunt*. Fateor, antequam Codicis Cassioensis exemplar haberem, hoc verbum nonnullaque alia fuisse mihi perobscura, atque me torsisse; neque enim conjectura hoc verbum *novaverunt* eram assecutus. Hoc autem verbo invento, multum (quod ad rem hanc attinet) in perexigua mutatione me invenisse arbitratus sum: neque hinc potui animum ad artis criticæ pericula non advertere; sed id innuisse sufficiat.

II. Redeo statim ad ipsum, quod perperam positum fuerat verbum *nominaverunt*: quem errorem ortum opinor ex eo, quod qui principio descripserunt Cassinensem Codicem, ubi compendiariam hanc scripturam *novavũnt*, invenere, non ad verbum *novo* respicientes, sed ad verbum *nomino*, scripturam suppleturi scripturique integrum verbum, reposuere verbum *nominaverunt*: quasi id esset verbum, quod litterarum contractione scriberetur *novavũnt*. Sunt autem infra nonnulla alia loca similia, in quibus singulis Codex Cassinensis habet eandem scripturam: Codex vero Vrbinas, & Editio Iocundi habent, *nominaverunt*. Sed ubique ego restitui *novaverunt*; quod etiam ubique clariores efficit sententias, quæ alias essent perobscuræ.

¶ Art. 32. 1. *Et Duodenariæ quidem nec magnus error, nec usus frequens est: cujus diametro adjecerunt &c.*] Ita Cassinensis, & Vrbinas: atque ita perspicua sententia est. In Iocundi Editione legitur; *Duodenariæ quidem, quod nec magnus error, nec usus frequens est diametro adjecerunt &c.*: sed huic lectioni lectio illa Codicum præstat.

2. *capacitati Quinariæ* quadrantem] quoniam paullo ante Frontinus dixit, errorem magnum non esse; iccirco credibile fit mendo carere locum, ubi scribitur, Aquarios *diametro* addidisse exiguam hanc quantitatem, scilicet *digiti semunciam sicilicum*. Sed tale diametri Duodenariæ incrementum auget ipsius Duodenariæ capacitatem quadrante Quinariæ. Nam Duodenaria vera habet in area scripula 586296; & Duodenaria, cujus diametro adjiciuntur semuncia & sicilicus, habet in area scripula 610980: ergo hæc major, quam illa, scripulis 24684, quæ quantitas a Quinariæ quadrante vix duobus Quinariæ scripulis differt: talem autem exiguam differentiam negligimus: quare concludimus, secundum auctam illam diametrum, Duodenariæ capacitatem augeri Quinariæ quadrante.

II. In Codicibus, & in Editione Iocundi legitur; *Quinariæ & bessem*: at, propter jam dicta, eorum verborum loco (ubi enim quantitatum expressiones tam falsæ sunt, ut hæc *& bessem* est; quis dubitet, errores Librariorum culpa irrepsisse?) substituimus *Quinariæ quadrantem*.

3. In *reliquis autem &c.*] In Codicibus, & in Editione Iocundi legitur; *Reliquis autem*: sed non satis percipio, ut sententia, quæ pendet a verbo *deprehenditur* se recte habere possit. Quando verba *& bessem*, quæ legebantur proxime ante verbum *Reliquis*, fuerunt haud dubie depravata, facile contingere potuit, ut etiam particula *In* perierit: puto igitur, germanam sententiam hanc esse: *In reliquis autem tribus modulis plus* erroris *deprehenditur*.

4. *Vicenariam exiguiorem faciunt*] Comparativum *exiguiorem* insolens esse videtur: neque sane prætermittendum hoc exemplum, quod addi potest aliis a Petro Victorio

faciunt [5] diametro digiti semisse; [6] capacitate Quinariis tribus & semuncia, quo Modulo plerumque erogatur. Centenaria autem & Centenumvicenum, quibus assidue [7] accipiunt, non minuuntur, sed augentur. [8] Diametro enim Centenariæ adjiciunt [9] digiti bessem, & semunciam; [10] capacitati Quinarias x, semissem, semun-

---

Victorio collectis; qui ad Columellæ (in Lib. XII) verba illa; *Aridum si dabis, exiguius dato;* hæc notat: *Ita e vetustis Libris scripsi. Exiguius secunda collatione: quod quamvis multis novum sit, non tamen sperni, ac rejici debet. Veteres etiam Iurisconsulti sæpe ita locuti sunt Lib. XXIX Pandectarum. L. cum aliter. Licet alii validioris vocis, alii exiguioris sint. necnon Lib. XXX L. si ita sis adscriptum. Et ait posse dici exiguius esse præstandum, sic enim in optimo exemplari scriptum est. Nam optimum Romani sermonis auctorem Lucretium, Egregius, eadem ratione dixisse, manifestum est;*

Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
A dubiis,

5. *diametro digiti semisse*] Itaque diametrum Vicenariæ (qua *plerumque erogabant*) fecerunt Aquarii quadrantum decem & octo, idest scripulorum 1296.

6. *capacitate Quinariis tribus & semuncia*] Vicenaria vera habet in area scripula 1628601: Vicenaria, a cujus diametro detractus fuit dimidius digitus, habet in area scripula 1319167: est itaque hæc minor, quam illa, scripulis 309434; & huic numero æqualis circiter invenitur numerus exprimens tres quinarias & semunciam, hic enim est 309605. Manet ergo, Vicenariam Aquariorum a Vicenaria vera deficere *Quinariis tribus & semuncia*.

7. *accipiunt*] Idest, Aquarii *accipiunt*: quid vero significent hæc verba, *Aquarii accipiunt*, vide infra Notam 1 Art. 33.

8. *Diametro enim Centenariæ adjiciunt*] Ita Codices, & Editio Iocundi: sed ante verba proxime citata in multis Editionibus perperam legitur; *nec usu frequens est*.

9. *digiti bessem, & semunciam*] Multæ ex partibus pertinentibus ad modulos centenariæ, & centenumvicenum auctos ab Aquariis, quæ a Frontino subjiciuntur, sunt in Libris omnibus admodum depravatæ. Ordiendo autem a centenaria; diligenter expendi partes singulas, diametri augmentum, capacitatis augmentum, id quod intercipiebatur, atque diametrum, capacitatemque integras apud Aquarios, ut infra in Art. 62 in Formularum enumeratione recensentur. Ita (non sine supputationibus molestis) rem tentavi ea ratione, ut singulas ex iisdem partibus pro vera ponerem, deindeque cum aliis conferrem: singulis etiam aliquid adjicerem, aut demerem (ut conjectura indicare videbatur) iterumque cum reliquis compararem; tandem seligerem eas partes, quæ & egentes vel nulla vel minima mutatione, & præditæ utilitate majore pro emendandis partibus aliis, veritatis optima signa quodammodo præseferrent.

II. Nunc vero quod attinet ad partes additas ab Aquariis diametro centenariæ, in Codicibus legitur; *digitibus, besse & semunciam*: in Editione Iocundi legitur, *trientis bessem, & semunciam*: ex calculis autem (ut exponetur infra) cognovi, addi oportere bessem, & semunciam; ideoque perspicuum fieri, hanc, quæ in Codicibus se manifestat, vocem *digiti* recte habere. Sic, quoniam diameter veræ centenariæ erat æqualis digitis undecim, & scripulis 82, addendo digiti bessem, & semunciam, producitur diameter centenariæ, ab Aquariis auctæ, æqualis digitis undecim, & scripulis 286: hoc est æqualis scripulis 3454.

10. *capacitati Quinarias X, semissem, semunciam, sicilicum*] Area centenariæ auctæ ab

femunciam, ficilicum. [11] Centenumvicenum [12] diametro adjiciunt digitos tres, feptuncem, femunciam; [13] capa-

---

ab Aquariis facta ex diametro, quæ paullo fupra in præcedente Nota pofita fuit digitorum undecim & fcripulorum 286, eft æqualis fcripulis 9369891, a qua area fi fubtrahas aream centenariæ veræ, quæ eft fcripulorum 8294400, remanent fcripula 1075491, quæ revera funt quantitas ab Aquariis addita centenariæ veræ. At decem quinariæ, ideft fcripula 1017880, quinariæ femis, ideft fcripula 50894, femuncia, ideft fcripula 4241, ficilicus, ideft fcripula 2120 efficiunt fummam 1075135, quæ fumma (neglecta exigua differentia) æqualis haberi poteft fcripulis illis 1075491. Ergo manet, Aquarios capacitati centenariæ veræ addidiffe fcripula 1075491; quæ reputari poffunt pro *Quinariis X, femiffe, femuncia, ficilico*; ut fcriptum eft in Codicibus, editifque Libris. Perfpicuum vero etiam fit ex jam dictis, conftitutum hoc areæ incrementum incremento illi diametri fupra (Nota præcedente II) receptæ, fcriptæque in Codicibus, apprime convenire.

II. Et hæc eadem convenientia inter incrementa areæ diametrique aperte declarat, incrementum utrumque recte pofitum effe; atque ideo numeros pertinentes ad rem hanc, fi qui reperiantur alibi depravati, fecundum eam, quam pofuimus, aream diametrumque reftitui oportere.

11. *Centenumvicenum*] In Codicibus & Libris editis legitur; *Centeno viceno*: verum ex aliis pluribus locis manifeftiffime liquet; ita, ut fcripfimus, effe fcribendum. Sed præftat, ex hac occafione animadvertere; denomiuationem plurium modulorum, orientium a quadratis digitis, exigere neceffario, ut fubaudiantur, primum vox hæc, fiftula; quod etiam fupra in Nota 4 Art. 23 animadvertimus; dein voces hæ, digitorum quadratorum. Itaque, fi (cauffa exempli) nominetur modulus *vicenumquinum*, fupplenda eft denominatio, ut talis fit; fiftula *vicenumquinum* digitorum quadratorum: fi nominetur modulus *centenumvicenum*, fupplenda eft denominatio, ut talis fit; fiftula *centenumvicenum* digitorum quadratorum: & fic porro. Nam tales moduli per ellipfim enunciantur, & voces tum fiftula, tum digitorum quadratorum prætermittuntur. Hinc fit manifeftum, declinationem nominum numeralium, quæ genitivo plurium efferuntur (ut *vicenumquinum*, *centenumvicenum*, fimiliumque) numquam effe mutandam: femper enim mutatio facienda eft in voce fiftula, quæ utcumque declinetur, femper genitivus nominum numeralium fubfequi debet. Ita (cauffa exempli) paullo infra in Art. 33 dicitur a Frontino; *aut centenariæ, & centenumvicenum adjiciunt*; ubi, etfi verbum *adjiciunt* requirat dandi cafum, reperitur tamen cafus genitivus *centenumvicenum*; nam dativus eft in voce fiftulæ, quæ fubauditur. Alia plura exempla huic fimilia, & rem propofitam aperte demonftrantia, invenire poterit in Frontino qui volet.

II. Dubitandum ergo non eft, quin ab indocta aliqua manu verba *centenumvicenum*, jam principio citata a nobis, mutata fuerint in alia hæc, quæ leguntur in Codicibus, & editis Libris, *Centeno viceno*: quandoquidem, cum fubfequantur verba illa *diametro adjiciunt*, fententia integra (fi fecundum jam dicta fuppleas fupplenda) hæc effe debet: *diametro* fiftulæ *centenumvicenum* digitorum quadratorum *adjiciunt* &c.

12. *diametro adjiciunt digitos tres, feptuncem, femunciam*] Hujus diametri numeri, in quibus Codices, & Iocundi Editio confentiunt, vifi funt minime depravati, ac retinendi propter illas, quas mox afferam rationes. Quoniam autem vera diameter centenumvicenum eft digitorum duodecim, & fcripulorum 104; additis digitis tribus, & feptunce, & femuncia, ideft digitis tribus, & fcripulis 180, producitur fiftulæ centenumvicenum auctæ ab Aquariis diameter digitorum quindecim, & fcripulorum 284: ideft diameter; quæ integra habet fcripula 4604.

13. *capa-*

[13] capacitati Quinarias *LXV dodrantem, sicilicum*. ¶ Ita dum aut Vicenariæ, qua subinde erogant, de- ¶ Art. 33.
trahunt, aut Centenariæ, & Centenumvicenum adjiciunt, quibus semper accipiunt, [1] intercipiuntur in Cente-

---

13. *capacitati Quinarias* LXV, dodrantem, sicilicum] Legitur in Codicibus, & Editione Iocundi ita; *capacitati quinarias LXVI, sextantem*. Capacitas fistulæ centenumvicenum veræ erat quinariarum 97, scripulorum 79844: si Aquarii huic addidissent quinarias 66, & sextantem; facta fuisset fistulæ sic auctæ ea capacitas quæ certe (ut liquere ex Geometria facile potest) provenire nequibat a diametro ante (Nota præcedente) posita scripulorum 4604; scilicet a diametro centenumvicenum, cui Aquarii *adjecerant digitos tres, sepiuncem, semunciam*: quare vel in diametro, vel in capacitate error haud dubie reperiebatur. Capacitatem vero sic examinavi.

II. Frontinus infra in Art. 63 scribit; *Fistula Centenumvicenum habebat apud Aquarios capacitatis Quinarias CLXIII* (idest scripula 16591444) *qui modus duarum Centenariarum est* (scilicet æqualis ducentis digitis quadratis, sive scripulis 16588800) Quorum numerorum utrumque, tum exprimentem quinarias, tum exprimentem centenarias optime positum esse, ostendetur infra in Nota 2 Art. 63. Verum, si Aquarii addidissent fistulæ illi centenumvicenum veræ quinarias LXVI & sextantem, ac ita capacitas fuisset scripulorum 16688253, contigisset, ut hujusce fistulæ centenumvicenum auctæ ab Aquariis modus esset duarum centenariarum, & insuper unius integri digiti quadrati cum digiti quinta parte: quod rectæ rationi non consentit.

III. Rationi etenim consonum est; modum, idest capacitatem fuisse illam, quæ a duabus centenariis non differret integro digito quadrato (ut dicitur in Nota 2 III. Art. 63) Atqui ex diametro posita in præcedente Nota (scripulorum 4604) procreatur capacitas propositi moduli continens scripula 16647941; quæ etsi duas centenarias excedit, eas tamen non excedit digito quadrato integro: ergo fit perspicuum; capacitatem, quæ provenit ex proposita diametro, quæ desumta est ex Codicibus & Libris sine ulla mutatione, & quæ consentit (ut dictum fuit in Nota jam citata 2 IIII. Art. 63) cum duabus centenariis infra in Art. 63 constitutis, veram esse germanamque capacitatem fistulæ centenumvicenum auctæ ab Aquariis, & a Frontino descriptæ.

IIII. Nunc si a capacitate scripulorum 16647941 moduli centenumvicenum aucti ab Aquariis subtrahatur capacitas scripulorum 9953280 moduli centenumvicenum veri remanent ea, quibus Aquarii auxerant fistulam centenumvicenum, scripula 6694661; hæc vero (neglecta perexigua differentia) reperimus æqualia quinariis LXV, dodranti, sicilico. Post hæc perspicuum remanet, pro aliis numeris ad hunc modulum pertinentibus dignoscendis, tali diametro, talique capacitate utendum esse.

1. *intercipiuntur in Centenaria Quinariæ* XXV, dextans, sextula] Codices, & Editio ¶ Art.
Iocundi habent; *intercipiuntur in centenaria quinariæ XXVII*. Quo in numero, aliqua 33.
habita animadversione, certe deprehenditur ingens error; qui, ut ut non admodum obscurus, attamen explicari breviter nequit; sed res paullo altius repetenda est.

II. Ordiemur autem ab Aquariorum malitia, qui in modulis centenariæ, & centenumvicenum duplex genus fraudis admittebant. Horum alterum ut concipiamus, animadvertere præstat, Aquarios consuevisse, primum aquam accipere, idest derivare (accipere enim in hujusmodi locis significat idem, ac sibi certa mensura derivare) aut ex rivis, aut ex quibusdam Castellis, aut ex majoribus fistulis; ut derivatam deinde

Centenaria Quinariæ *XXV dextans*, *ſextula* : [2] in Centenumvicenum Quinariæ *LXXXIIII*, uncia, *ſicilicus* : [3] quod cum ratione approbetur, re quoque ipſa manifeſtum

deinde & in alia Caſtella, vel in alias fiſtulas inductam erogarent, hoc eſt partirentur; & ad varios homines, aut ad varios diſtribuerent uſus. Itaque modulis centenariæ, & centenumvicenum aquam ſemper accipiebant Aquarii: quamobrem auctis his duobus modulis (ut ſupra in Art. 32 vidimus) plus accipiebant, quam par fuiſſet, & prima hac fraude id omne, quod juſto plus erat, intercipiebant.

III. Alterum vero fraudis genus hoc erat: Aquarii in erogationibus modulum vicenariæ, juſto (ut ante in Art. 32 fuit declaratum) minorem adhibebant. Sic in ſingulis vicenariis intercipiebant tantum, quantum erat vicenaria ipſorum minor, quam juſta vicenaria.

IIII. Ex his liquet, duplicem fuiſſe modulorum uſum: ex duplici autem uſu duplex orta eſt modulorum denominatio. Primus enim uſus fuit cum Aquarii derivabant aquam, accipiebantque: & moduli, quibus id præſtabant, appellabantur Moduli Acceptorii. Secundus uſus fuit, cum Aquarii erogabant aquam, ut eam diſtribuerent variis Hominibus, uſibuſque: & moduli, quibus id fiebat, Moduli Erogatorii nuncupabantur.

V. Sed propius ad rem accedendo; ut ſciamus quantum in centenaria, & in centenumvicenum utraque fraude Aquarii interciperent; ac primum in centenaria, notabimus, ab ipſis certe fuiſſe prima fraude interceptum quidquid capacitati centenariæ fuerat additum: fuerant autem addita ſcripula 1075491; ſive (ut ea reputavimus in Nota 10 Art. 32) quinariæ X, ſemis, ſemuncia, ſicilicus.

VI. Et fraude altera intercipiebant Aquarii ſemper tres ex ſexdecim partibus: nam pro vicenaria, qua ſexdecim quinarias debuiſſent erogare, treſdecim dumtaxat erogabant, ut infra in hoc Art. 33 perſpicue dicitur. Hinc quantum in centenaria, ſecunda hac fraude, interciperent, facillime cognoſci poteſt per tritam regulam (auream appellant) qua de tribus notis quartum ignotum commonſtratur. Si enim Aquarii, ex ſexdecim quinariis (erogantes dumtaxat treſdecim) intercipiebant quinarias tres: ſequitur, ut ex ſcripulis 8294400 (ideſt ex centenaria verа diviſa in ſcripula ſua) interciperent ſcripula 1555200: & quidem eadem ratio eſt primi ad ſecundum, ac tertii ad quartum in hiſce numeris 16. 3 :: 8294400. 1555200.

VII. Quod ſi ſcripula illa 1555200 addantur ſcripulis 1075491 primæ fraudis, numerus collectus erit ſcripulorum 2630691: ideſt quinariarum XXV, dextantis, & (circiter) ſextulæ. Intercipiebantur igitur ab Aquariis *in centenaria* quinariæ XXV, dextans, ſextula.

2. *in Centenumvicenum Quinariæ* LXXXIIII, *uncia*, ſicilicus] Codices, & Editio Iocundi habent; *in centenumvicenum quinariæ LXXXVI*, *uncia*: ſed mendum ineſt; ex dicendis enim liquebit, eam, quam poſuimus, quantitatem fuiſſe interceptam. Quæ vero in Nota præcedente fuere animadverſa, hic quoque ſingula animadverti eodem prorſus modo velim. Ita initis calculis, comperietur; Aquarios aquam accipientes modulo centenumvicenum aucto (ut oſtendimus in Nota 13 IIII Art. 32) ſcripulis 6694661, ſive (ut ea reputavimus) quinariis LXV dodrante ſicilico, intercepiſſe primo fraudis genere cuncta illa ſcripula 6694661.

II. Altero autem fraudis genere intercipiebant ſcripula 1866240, ut patebit ineunti rationem ad eum modum, quem in re ſimili ante (Nota præcedente VI.) uſurpavimus. Intercepta itaque ſcripula ſi in unam ſummam colligantur, procreabitur hic numerus ſcripulorum 8560901: ideſt (neglecta perexigua differentia) quinariæ LXXXIIII, uncia, ſicilicus.

3. *quod cum ratione approbetur, re quoque ipſa manifeſtum eſt*] Ideſt: *quod cum* inita

ratione

festum est. Nam pro Vicenaria, quam [4] Cæsar pro Quinariis sexdecim assignat, [5] non plus erogant, quam tresdecim; & ex Centenaria, quam ampliaverunt, æque certum est, [6] illos non erogare [7] nisi ad arctiorem numerum: [8] quia Cæsar, secundum suos Commentarios, cum ex quaque Centenaria explevit Quina-

---

ratione aquæ acceptæ ab Aquariis, & erogatæ, *apprebetur; re quoque ipsa*, attentis tum modulis veris, tum modulis, quos Aquarii ipsi novaverunt, *manifestum est*.

4. *Cæsar pro Quinariis sexdecim*] Vicenaria vera constabat ex scripulis 1628608; totidemque ex scripulis omnino constant quinariæ XVI.

5. *non plus erogant, quam tresdecim*] Vicenaria, cujus diameter fuerat ab Aquariis imminuta digiti semisse, continebat (ut dictum est in Nota 6 Art. 32) scripula 1319167. Quinariæ vero tresdecim continebant scripula 1323244: differentia est scripulorum 4077, minor quam semuncia. Credibile autem fit, in illicita hac & nova Aquariorum vicenaria aliquam fuisse exiguam inconstantiam; atque id etiam (præter alias rationes) in caussa extitisse, ut Frontinus neglexerit exiguam illam differentiam, minorem semuncia, adhibens rotundum, ut ajunt, numerum quinariarum tresdecim.

6. *illos non erogare*] Supra in Art. 32 Frontinus dixerat; *Centenaria autem, & Centenumvicenum, quibus assidue accipiunt*. Si itaque centenaria assidue accipiebant, qua ratione hic dicitur, illos centenaria erogavisse? Vt rem hanc explicemus, constituendum videtur, Aquarios accepisse aquam duobus illis modulis centenaria, & centenumvicenum *assidue*, idest nullo alio unquam adhibito modulo ad accipiendum. Itaque dicitur, duobus illis modulis *assidue*, idest aliis numquam adhibitis, aquam accepisse Aquarios; quod minime indicat, eos numquam centenaria erogavisso. Porro supra in hoc Art. 33 Frontinus dixerat; *vicenariæ, qua subinde erogant*: quo loco *subinde*, ut ut significare valeat vel *post*, vel *per intervalla*, vel *crebro*, numquam significabit *semper*, nec unquam significabit, Aquarios centenaria non erogavisse.

II. Illud etiam (quamvis per se satis notum) ex hac occasione moneo; numerum illum quinariarum (de quibus dictum est in Notis 1, & 2 hujusce Art.) fuisse interceptum ab Aquariis quando erogabant adhibita vicenaria sua, non quando modulis quibusdam aliis erogabant.

7. *nisi ad arctiorem numerum*] In centenaria comprehensarum quinariarum duplex esse poterat numerus; alter major pertinens ad centenariam, quæ aucta fuerat ab Aquariis; alter arctior (hoc est minor) pertinens ad centenariam, quæ erat in Cæsaris commentariis: itaque centenaria Cæsaris *ad arctiorem numerum* facta aquam erogabant Aquarii; cum tamen centenaria illa majore adhibita aquam acciperent.

8. *quia Cæsar, secundum suos Commentarios &c.*] Ita Codices: Editio Iocundi habet, pro particula *quia*, particulam *quem*: sed hac posita explicari nequit hic locus; qui, posita etiam particula *quia*, difficilis est explicatu. Porro cum ante Frontinus dixerit, Aquarios ex centenaria erogare *ad arctiorem numerum*, nunc exhibet eam fictam Aquariorum rationem; propter quam illi, ita erogari oportere, prætendebant: quæ ratio, ex his ipsis verbis, *quia Cæsar*, quibus incipit tradi, videtur in eo posita fuisse, quod etiam Cæsar *ad arctiorem numerum* erogaret. Quamobrem Aquarii erogabant *ad arctiorem numerum*, ut viderentur ita Cæsarem imitari: quasi in Cæsaris exemplo esset ratio, qua moverentur; cum tamen revera move-

Quinarias [9] *LXXXI*, semissem; item ex Centenumvicenum Quinarias [10] *LXXXXVII & dodrantem* (tanquam exhausto Modulo) desinit distribuere. ¶ [1] In summa Modu-

¶ Art. 34.

moverentur ex eo, quod ita poterant suffurari cunctam aquam, qua major (hac autem majore accipiebant aquam erogandam) ipsorum Aquariorum centenaria superabat Cæsaris centenariam. Tota itaque ratio, quam Frontinus afferre voluit, eo redit; ut declararet, Cæsarem usum fuisse vera centenaria: hac vero occasione facta, non modo de centenaria, sed etiam de fistula centenumvicenum verba fecit.

II. Liceat autem, antequam ad interpretanda proposita Frontini verba accedamus, quædam paullo fusius de Cæsaris per centenariam, & per fistulam centenumvicenum erogationibus ponere. Cum erogabatur aqua nomine Cæsaris, seu cum Cæsar (nam ita quoque dici potest) erogabat aquam, centenaria Cæsaris constabat ex quinariis octoginta una & semisse; qui numerus erat arctior numero centenariæ Aquariorum (ut declaravimus præcedente Nota) atque ubi erogatæ erant quinariæ illæ octoginta una & semis (data jam tota quantitate ad hunc modulum pertinente) Cæsar desinebat erogare. Ita etiam Cæsar desinebat erogare quando, pro modulo centenumvicenum erogatæ erant quinariæ nonaginta septem, & dodrans; atque data erat, datis hisce quinariis, tota quantitas pertinens ad modulum centenumvicenum.

III. His positis (quæ cum rebus a Frontino scriptis recte conveniunt) Frontini verba proposita, ac sequentia sic interpretor: *quia Cæsar, secundum suos Commentarios*, idest secundum magnitudines modulorum in suis Commentariis descriptas, *cum ex quaque Centenaria explevit*, idest erogavit, *Quinarias octoginta unam, semissem; item* cum *ex* quaque fistula *Centenumvicenum* explevit, idest erogavit, *Quinarias nonaginta septem & dodrantem* (*tanquam exhausto* modulo, data scilicet jam tota quantitate aquæ pertinente seu ad modulum centenariæ, seu ad modulum centenumvicenum) *desinit distribuere*, idest desinit erogare; neque aut pro una centenaria quidquam dat ultra illas quinarias octoginta unam & semissem, aut pro una fistula centenumvicenum quidquam dat ultra illas quinarias nonaginta septem & dodrantem: sed veris utitur modulis centenariæ & centenumvicenum.

9. *LXXXI, semissem*] Codices, & Editio Iocundi habent; *octoginta unam se......*: sed manifestum est, vocem *semissem* esse legendam: nam centenaria vera constabat ex quinariis octoginta una, & quinariæ ferme semisse. Si quis vero satagat, ea in lacuna aliquod aliud verbum rem hanc magis illustrans olim fuisse: respondebo, me quidem aliquam in hoc loco obscuritatem vidisse; aliquod autem in ea lacuna ponendum verbum, potens illustrare propositam rem, non vidisse.

10. *Quinarias* LXXXXVII & dodrantem] Codices, & Editio Iocundi habent; *quinarias nonaginta octo*: sed veræ fistulæ centenumvicenum capacitas erat quinariarum nonaginta septem, & quinariæ ferme dodrantis. Quoniam vero, hoc eodem loco, pro centenaria ponitur numerus solidarum quinariarum, & præterea quinariæ *semis*; iccireo, etiam pro fistula centenumvicenum fuisse positum verum numerum quinariarum solidarum, & præterea dodrantem, nempe debitas quinariæ partes, ratus sum.

¶ Art. 34. 1. *In summa Moduli sunt XXV.*] Hoc idem iterum ipse Frontinus affirmat infra in Art. 37 *formulas*, scribit, *Modulorum: qui sunt omnes XXV*. Et utrobique Codex Cassinensis, ac Iocundi Editio consentiunt. Præterea moduli, quorum diametri crescebant ex adjectione quadrantum digiti facta ad diametros ipsas (de his autem Frontinus verba fecit locis citatis in Nota 4. III. Art. 29; ubi eos modulos secundi generis appellavimus) & quorum primus erat quinaria, ultimus vicenaria, numerantur octo:

Moduli sunt XXV: [2] omnes consentiunt & rationi, & Commentariis, exceptis his quattuor, quos Aquarii novaverunt. [3] Omnia autem, quæ mensura continentur, certa & immobilia congruere sibi debent; ita enim universitati ratio constabit. Et quemadmodum [4] (verbi gratia) sextarii ratio ad cyathos, modii vero & ad sextarios, & ad cyathos respondent; [5] ita & Quinariarum multiplicatio in amplioribus

---

octo: moduli vero, quorum areæ crescebant ex numero digitorum quadratorum, qui ipsis areis adjiciebantur (de his egit Frontinus citata in Nota 4. IIII Art. 29; ubi hos modulos tertii generis appellavimus) & quorum primus erat fistula vicenumquinum, ultimus fistula centenumvicenum, erant numero decem & septem: itaque moduli illi generis secundi cum his tertii generis collecti efficiunt in summa prædictum numerum modulorum vigintiquinque.

II. Quæ numerorum convenientia non suadet modo mihi, sed persuadet; primum, recte omnino habere numeros illos XXV, qui tum in Codice Cassinensi, tum in Editione Iocundi bis reperiuntur: deinde etiam persuadet, eorum modulorum, qui rationi consentiebant, & qui in Principis commentariis descripti erant, eorum (inquam) modulorum nomine, Frontinum sumere dumtaxat modulos secundi & tertii generis, eos scilicet, qui incipiebant a fistula quinaria, desinebantque in fistula centenumvicenum. Hi etenim XXV sunt; quorum nullum auferes, nisi simul seriem totam abrumpas, & quibus nullum alium addas, nisi seriem majorem efficias, augeasque: sed non abrumpi potest hæc series, non augeri. Non potest abrumpi series, quæ plane atque enucleate describitur infra a Frontino, recensente post Art. 37 modulos, neque prætermittente ullum ex illis modulis vigintiquinque a quinaria ad centenumvicenum: atque iisdem de caussis augeri non potest ipsa series; de qua Frontinus bis tam aperte affirmavit, modulos omnes numero esse XXV.

III. Ob hæc tanquam certum, atque ratum habeo; Frontinum pro illis modulis, quos *omnes esse XXV* affirmavit, indicatos velle dumtaxat modulos secundi & tertii generis; eos scilicet sæpe nominatos vigintiquinque modulos, qui incipiunt a quinaria, & desinunt in centenumvicenum.

2. *omnes consentiunt & rationi, & Commentariis*] Hoc idem jam sanxerat Frontinus ipse supra in Art. 31.

3. *Omnia autem, quæ mensura continentur &c.*] Vide iterum (si lubet) supra Notam 2 Art. 31.

4. *(verbi gratia) sextarii ratio ad cyathos &c.*] Sextarius, & Cyathus erant mensuræ quædam liquidorum, item mensuræ quædam aridorum. Modius vero dumtaxat aridorum mensura erat; quare hoc loco de aridorum mensuris verba Frontinum facere perspicuum est: & ab aridorum mensuris similitudinem in liquidorum negotio sumere. Ex duodecim autem cyathis (ut Doctissimus Philander ex Agricolæ Libris descripsit) componebatur sextarius; & ex XVI sextariis, sive ex CLXXXXII cyathis, componebatur modius. Si quis sextarii mutavisset magnitudinem, nonne omnem rationem tam inter cyathos & sextarium, quam inter sextarios & modium perturbavisset?

5. *ita & Quinariarum multiplicatio &c.*] Hactenus Frontinus dixerat de modulis secundi, & tertii generis; nunc agit de modulis primi generis, qui (ut definiti

sunt

ribus Modulis servare consequentiæ suæ regulam debet: [6] alioquin, cum in erogatorio Modulo minus invenitur, in acceptorio plus, apparet non errorem esse, sed fraudem.

¶ Art. 35. ¶ Meminerimus, omnem aquam, [1] quotiens ex *altiore loco* venit, [2] & intra breve spatium in Castellum cadit, non tantum respondere

Modu-

---

sunt ex Frontini verbis in Nota 4. II. Art. 29) oriebantur a multiplicatione quinariarum. Ait igitur: *quemadmodum modii respondent & ad sextarios, & ad cyathos*; idest quemadmodum modius æqualis semper est certo illi determinatoque numero sexdecim sextariorum, & centum nonaginta duorum cyathorum; *ita quinariarum multiplicatio in amplioribus modulis*, scilicet constructio ampliorum modulorum habens originem a multiplicatione quinariarum, *servare debet consequentiæ suæ regulam*; hoc est, debet ita fieri, ut consequentia (sive ordo, aut natura) modulorum primi generis, qui augebantur adjectione quinariarum, servetur: neque enim in multiplicatione quinariarum fieri debebant moduli vel adjiciendo quadrantes diametris, vel adjiciendo digitos quadratos areis, ut fiebat in modulis secundi & tertii generis; sed adjiciendo quinarias areis, ut ferebat regula ipsius consequentiæ, sive ipsius ordinis modulorum primi generis orientium *a multiplicatione quinariarum*.

II. Codex Cassinensis habet vocem *consequentiæ*, ut scripsimus: Codex Vrbinas, & Editio Iocundi, pro voce *consequentiæ*, vocem *sequentiæ* habent. Interpretatus autem sum, vocem consequentiam hoc loco significare ordinem, quo se consequuntur moduli; qui ordo cum certus sit determinatusque, etiam pro natura modulorum sumi potest. Equidem vocem *consequentiæ* retinui; neque enim aut latinior vox *sequentiæ*, aut facilior explicatu visa est.

6. *alioquin, cum in erogatorio Modulo &c.*] Si Aquarius aliquis multiplicare debuisset plures quinarias, atque ex ipsis una conjunctis modulum acceptorium (quid acceptorii, & erogatorii moduli essent diximus in Nota 1. IIII. Art. 33) ad aquam accipiendam, derivandamque efficere, deinde etiam efficere alium modulum erogatorium ad ipsam erogandam; is vero construxisset alterutrum modulorum non primi generis, sed aut generis secundi, aut tertii, ea ratione, ut acceptorius esset major, quam erogatorius: facile potuisset apparere, *cum in erogatorio modulo minus inveniretur, in acceptorio plus, non errorem fuisse* illam generis mutationem, propter quam quinariarum multiplicatio servare nequivisset consequentiæ suæ regulam, *non errorem* (inquam) *fuisse, sed fraudem*.

II. Et revera hujuscemodi fraudem factam fuisse, indicat Frontinus; non enim ut de re, quæ contingere posset, loquitur; sed affirmat: *alioquin* (idest ubi fraude non servatur consequentiæ regula) *cum in erogatorio modulo minus invenitur, in acceptorio plus, apparet; non errorem esse, sed fraudem*.

¶ Art. 35. 1. *quotiens ex* altiore loco *venit*] Codices Cassinensis, & Vrbinas, atque Editio princeps habent; *quotiens ex .... o venit*. Lacunam illam supplevit ex conjectura Iocundus; namque in emendationibus erratorum ad calcem ejus editionis positis habetur; *quotiens ex erogatorio venit*. Sed ex Castello per modulum erogatorium erogabatur aqua (ut liquere potest ex iis, quæ diximus in Nota 1. II. Art. 33) non vero *ex erogatorio* in Castellum inducebatur: pro Castello enim determinabatur aqua modulo acceptorio; quod declaratum satis fuit citato in loco.

II. Opsopœus autem in suis Notis, postquam citavit hæc Iocundi verba, subdit: *sed melior fortasse est conjectura Pithœi Libro adscriptæ; „ quotiens ex altiore loco venit: „ mox enim sequitur; „ quotiens vero ex humiliore „ &c.* Quæ conjectura mihi, attendenti

tum

Modulo suo, [3] sed etiam exsuperare: [4] quotiens vero ex humiliore, id est minore pressura, longius ducatur, segnitia ductus modum quoque deperdere: [5] ideo secundum hanc rationem, aut onerandam es-

se

---

tum omnes antecedentium, & sequentium verborum circumstantias, tum ipsius rei naturam, adeo certa atque clara visa est; ut lacunam ipsis Pithœi verbis supplere non dubitaverim.

III. Baldus in Lexico Vitruviano ad vocem Emissarium habet; *Virum vero emissarium istud Vitruvii idem sit cum erogatorio Iul. Frontini, ambigo; ait enim, „ meminerimus, omnem aquam, quoties ex erogatorio venit, intra breve spatium in castellum cadere „. Emissaria plura, erogatorium unum. Item aqua Vitruvio e Castello in emissaria; Frontino ex erogatorio in Castellum*. Sed si hic vox *erogatorio* deletur (ut fecimus qui pro ipsa posuimus *altiore loco*) Baldi difficultas omnino tollitur. Ceterum Baldo in hisce rebus non statim adhibenda fides, sed prius animadvertendum est, illum expendentem Frontini verba nec inquisivisse differentiam inter modulos acceptorios & erogatorios, nec attendisse ut Frontini ævo plura, quam olim Castella pro Aquæductibus (de qua re diximus in Nota 7 Art. 27) fieri consueverint: ex quibus, & ex novis altioribus Aquis in Vrbem inductis colligere datum est, in Architectura Aquæductuum a Vitruvii tempore ad Frontinum mutationes aliquas fuisse inductas.

2. *& intra breve spatium*] Codices habent; *& intra breve s as cum*: Editio Iocundi in ante citatis emendationibus erratorum habet; *& intra breve spatium*; ut nos quoque fecimus, amplectentes hoc loco emendationem Iocundi satis certam ex litteris, quæ supersunt *s as cum*, facile conducentibus indicandæ voci *spatium*: & certiorem ex eo, quod ad declivitatem magnam constituendam (de magna autem declivitate Frontinus loquitur) facit & altitudo loci, seu capitis, ex quo ducitur aqua, & præterea facit etiam *breve spatium* inter caput & terminum ductus. His adde, statim infra explicari exiguam declivitatem ita; cum ex *minore pressura* aqua *longius* ducitur: ergo propter contrariorum rationem magna declivitas ita debuit explicari; cum *ex altiore loco* aqua *intra breve spatium* ducitur.

3. *sed etiam exsuperare*] Idest propter majorem velocitatem acquisitam ab aqua veniente per breve spatium ab altiore loco in Castellum, aquam ipsam effluere copia majore, quam magnitudo ipsius moduli ferret.

4. *quotions vero ex humiliore, idest minore pressura &c.*] Ita Codices. Hic docetur a Frontino propositio prioris conversa; scilicet ex minore declivitate rivi segniorem fieri aquam; atque ideo *segnitia ductus* aquam *deperdere modum*, idest per modulos effluere minore copia. Hæc autem qui recte animadvertat facile comperiet, Frontino fuisse notum a rivorum declivitate augeri velocitatem fluentis aquæ; velociorem autem aquam inductam in aliquod lumen propter præconceptum impetum per idem lumen fluere (ut etiam infra in Nota 8 Art. 73 dicitur) fluere, inquam, majore copia; &, si contrarium contingat, fluere copia minore.

5. *ideo secundum hanc rationem, aut onerandam esse erogationem, aut relevandam*] Codices habent; *ideo secundum hanc rationem aut oneranda esse erogatione, aut relevanda*: Editio Iocundi habet; *ideo secundum hanc rationem, aut oneranda est erogatio, aut relevanda*. Nos attendimus verbum *esse*, quod a superiore verbo Meminerimus requirebatur (potius quam *est*) atque, ut ipsi verbo *esse* conveniebat, facilem emendationem, quæ haud dubie erat necessaria, instituimus. Verba autem citata (inter quæ, duo verba *onerandam*, & *relevandam* translate posita sunt) sic interpretamur: *ideo meminerimus, secundum hanc rationem aut onerandam esse erogationem*, idest aut comprimendos minuendosque modulos, ut minor effluat aquæ copia; *aut relevandam* esse,

idest

¶ Art. 36. ſe erogationem, aut relevandam. ¶ [1] Sed & calicis poſitio habet momentum: in rectum & ad libram collocatus modum ſervat: [2] ad curſum aquæ oppo-

ideſt aut relaxandos augendoſque modulos, ut major aquæ copia effluere queat.

II. Hinc etiam apparet, Frontinum optime cognoviſſe, velocitatis aliquam habendam eſſe rationem, quandam velocitatem nimis magnam eſſe, quandam vero nimis exiguam. Si enim id illi cognitum exploratumque non fuiſſet; profecto non juſſiſſet, majorem velocitatem arctatione moduli, minorem ampliatione moduli compenſari oportere. Quod ſi ille noſcebat, quandam velocitatem excedere, quandam deficere; utique noſcebat etiam dari velocitatem quandam intermediam, inter utramque, apprime aptam menſuris: & hæc alia eſſe non poterat, niſi ea, quam habebat aqua ex piſcina in canalem ingrediens; *ubi*, ut affirmavit in Art. 72 ipſe Frontinus, *indubitatæ* erant menſuræ: de qua media velocitate dicemus etiam infra, in Nota 4 Art. 72.

III. At ex hactenus dictis a Frontino illud quoque perſpicuum fit, ignotas fuiſſe Frontino regulas neceſſarias ad perfecte comparandas velocitates inter ſeſe; determinandaſque ex comparationibus quantitates aquæ. Nam is, qui ſæpe etiam minutas circumſtantias eſt alibi perſecutus, hoc loco rem perutilem, & prorſus neceſſariam (quid enim neceſſarium magis erat, quam dare regulas conducentes ad determinandam quantitatem, tum apte convenientem *onerandæ erogationi*, tum apte convenientem *erogationi relevandæ*?) rem, inquam, prorſus neceſſariam non omiſiſſet. Vide Notam 4. IIII. Art. 72.

¶ Art. 36. 1. *Sed & calicis poſitio habet momentum: in rectum & ad libram collocatus modum ſervat*] In Editione Iocundi ita legitur; *Sed & calicis poſitio habet momentum, ſi in rectum; & ad libram collocatus eſt, modum ſervat*: in Codice Caſſinenſi, & Vibinate; *ſed & poſitio habet momentum in rectum & ad libram collocatus modum ſervavio*. Non potui non inſerere vocem *calicis* a Iocundo adhibitam, quæ apprime congruit cum ſequentibus verbis *collocatus, appoſitus, devexus &c.*: præterea vero flagitari videtur neceſſario eadem vox a verbis, quæ proxime ſequuntur, *Eſt autem calix*: in quibus dandam eſſe *calicis* definitionem, ſed *calicis* jam nominati, a particula *autem* (*eſt autem calix*) omnino demonſtratur. Quod vero attinet ad verbum *ſervat*, pro *ſervavit*, poſitum; id fieri debuiſſe, conſideranti verba *rapit*, ac *ſumit*, quæ hac eadem periodo continentur, manifeſtiſſimum erit. Sed pergamus ad explicanda, & figuræ ope illuſtranda citata verba.

II. Si Caſtellum, aut Rivus aquæ ſit (*Fig. XII* ad pag. 71) N O; Calix L R Z; & aqua fluat ſecundum lineas *m n*, A B; atque axis C I calicis L R Z pertingat ad lineam A B in puncto I: ſit autem calix ita poſitus, ut ipſius axis C I angulos rectos faciat cum linea A B; dicetur idem calix poſitus *in rectum*. At, ſi præterea ejuſdem axis C I omnes partes in eadem altitudine ſint, dicetur (ut ex Nota 1. II. Art. 18 colligi poteſt) calix *ad librum* eatenus, quatenus neutra ipſius extremitas inclinata erit, ipſeque exiſtet ad horizontem parallelus: ergo calix ita poſitus dicetur *in rectum & ad libram collocatus*; & propter angulos, quos obtinebit ſecundum quamcumque rationem rectos ad curſum aquæ, dici poterit ſervare modum.

2. *ad curſum aquæ oppoſitus, & devexus amplius rapit*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *& ad curſum aquæ ſi oppoſitus devexuſque amplius rapit*. Sed Codicibus ſteti.

II. Si vel calix V X H ſit collocatus ea ratione, ut acutus ſit angulus B P Q factus ex linea B P, ducta ſecundum aquæ curſum, concurrente cum calicis axe P Q; vel calix K G collocatus ſit in ea Rivi ſeu Caſtelli facie T S, in quam recta fertur aqua; dicetur uterque calix *oppoſitus ad aquæ curſum*, quoniam currentis aquæ

oppositus, & devexus amplius rapit: [3] ad latus prætereuntis aquæ conversus, & supinus, *nec* ad haustum *pronus*, segniter exiguum sumit. [4] Est autem calix Modulus æneus, qui rivo vel Castello induitur, huic fistulæ

---

aquæ pars aliqua in utrumque facilius influere necessario debet. Ac, si axium calicis utriusque capita P, P Rivo aut Castello applicata altiora sint, quam extremitates Q, Q, adeo ut extremitates hæ Q, Q sint infra lineas horizontales ductas per P, P, & fiant calices declives versus extremitates Q, Q; dicetur uterque calix *devexus*. Satis autem per se liquet a calice *opposito ad aquæ cursum*, faciliusque recipiente aquam, & *devexo*, promptiusque transmittente aquam, aquæ *amplius rapi*: hoc est per talem calicem amplius aquæ effluere: quemadmodum notavi etiam infra in Nota 1. II. Art. 113. Aquam autem a calice rapi, Frontinus translate, & propter quandam (ut puto) verborum elegantiam, dixit.

3. *ad latus prætereuntis aquæ conversus, & supinus*, nec *ad haustum* pronus, *segniter exiguum sumit.*] Ita Codices; nisi quod pro verbis, *nec ad haustum pronus*, habent, *idest ad haustum pronior*: Editio Iocundi habet; *ad latus autem prætereuntis aquæ conversus, & supinus, nec ad haustum pronus segniter exiguumque sumit*. Si calix F E sit collocatus ratione contraria ejus, qua collocatus est calix V X H, ut obtusus sit angulus D *g* B factus ex linea *g* B ducta secundum aquæ cursum (idest secundum *latus aquæ prætereuntis*) concurrente cum calicis axe *g* D; calix F E dicetur *ad latus prætereuntis aquæ conversus*. Ac si extremitas E sit altior capite F, quod applicatur Rivo, aut Castello; ut ea extremitas E sit supra lineam horizontalem ductam per *g* partem axis Castello proximam, & fiat calix declivis versus eandem partem *g*: erit calix *supinus*, versus scilicet ad partes superiores, *nec ad haustum pronus*; scilicet, nec facilis ad hauriendam aquam, quæ hauriri debet. Talis vero calix, cujus orificium aqua currens facilius præterit, & cujus per acclivem positionem difficilior est aquæ fluxus, aquæ *segniter*, *exiguum* (nimirum exiguam copiam) *sumit*.

II. Ceterum multa tentavi, ut retinerem Codicum verba *supinus*, *idest ad haustum pronior*; ut ut enim *supinus*, & *pronus* opposita verba esse videantur; ea tamen cum referrem ad res diversas, volebam etiam hoc loco ope particulæ *idest* componere: sed dum hæc tentarem semper animadverti, particulam *nec* ita præstare; ut hanc a Frontino positam fuisse (quam Librarii inde corruperint) credendum omnino videretur.

III. Ex his autem, quæ de positione calicis hoc loco dicuntur, colligere licet, Frontino nostro minime fuisse ignotum, quæ calicum positiones majorem aquæ velocitatem efficerent, atque ideo etiam majorem aquæ copiam darent, & quæ minorem: sed determinatas mensuras differentiarum orientium ex variis positionibus non fuisse illi perspectas: namque si fuissent, proculdubio tradidisset Frontinus methodum, qua pro variis calicum inclinationibus possent variæ quantitates effluentis aquæ determinari. Hinc quoque de fluentium aquarum Scientia ejus temporis judicium. Profecto hujuscemodi res diligentius investigarunt recentiores Mathematici, qui (caussa exempli) inquisiverunt certam regulam, qua crescunt velocitates fluentis aquæ cum mutatur canalium positio, crescuntque ipsorum declivitates. Vide quæ dicuntur infra in Nota 1. III. Art. 113.

4. *Est autem calix Modulus æneus*] Idest erat calix fistula ænea, quæ quantitatem aquæ derivandæ determinabat, atque ideo appellabatur modulus; ut in Nota 9. II. Art. 3 ostendimus.

II. Credibile autem est, non semper in usu fuisse pro modulis æneas fistulas; sed olim, ante Frontini tempora, etiam plumbeos fuisse modulos: idque ex eo conjicio, quod

fiſtulæ applicantur: longitudo ejus habere debet digitos non minus XII: [5] lumen, ideſt capacitatem, quanta imperata fuerit. Excogitatus videtur, [6] quoniam rigore æris difficiliore ad flexum, non timeri poteſt laxari, vel coarctari [7] formulas Modulorum:

¶ Art. 37. ¶ [1] Qui ſunt omnes XXV ſubjecti, quamvis in uſu XV tantum frequentes ſint; [2] directam ad rationem, [3] de

quod Vitruvius (ut in Nota 6 Art. 25 oſtendimus) ex magnitudine laminarum, quibus *fiſtulæ perficiebantur*, nomina *fiſtulæ quinquagenariæ*, & reliquarum, originem duxiſſe crediderit: neque alias laminas præter plumbeas nominaverit.

5. *lumen, ideſt capacitatem, quanta imperata fuerit*] Subaudi, modulus vero ipſe habere debet: ut ſententia hæc ſit; modulus vero ipſe habere debet *lumen, ideſt, capacitatem* tantam, *quanta imperata fuerit* ab eo, qui beneficium conceſſit.

6. *quoniam, rigore æris difficiliore ad flexum, non timeri poteſt laxari, vel coarctari formulas Modulorum*] Ita in omnibus Codicibus; niſi quod, pro *rigore æris difficiliore*, legitur; *rigor aeris difficilior*: in Editione vero Iocundi legitur; *quoniam rigor æris difficilior ad flexum non temere poteſt laxari, vel coarctari. Formula modulorum &c.* Hac tamen in Iocundi lectione collata cum Codicum lectione, mutatio illa verbi *timeri* in adverbium temere; quod ſignificaret fortuito aut inconſulte, haud ſatisfecit mihi: namque non tantum fortuito & inconſulte laxari poterant vel coarctari modulorum calices; verum etiam laxari poterant & coarctari fraudulenter: præterea illius vocis, *Formula*, translatio a numero plurium (*formulas* enim eſt in Codicibus) ad ſingularem, atque diſtractio a verbis *laxari*, & *coarctari*, immo a tota ſententia ſuperiore, non placuit. At ſi hæc minus placebant, non tamen lectio illa, ut erat, Codicum admitti poterat. Quamobrem verborum, *rigor æris difficilior*, deſinentiam ſupplevi, fecique, *rigore æris difficiliore*, ut ablativus cauſſæ (quemadmodum ajunt) haberetur. Namque ita, exiguo ſupplemento duarum litterarum *e* (quas omiſſas fuiſſe, credibile facit ſententia alioquin manca) ſententia ipſa reſtituitur; verbum *timeri*, huc bene conveniens, non mutatur; atque integra perſtat periodus, quæ poſt verbum coarctari non dividitur, ut fit in Editione Iocundi.

7. *formulas Modulorum*] Vocem, *Formula*, ſignificare hoc loco idem, ac vox *forma*, opinor; quæ vox *forma* pro *fiſtula* aliquando accipiebatur, ut dictum eſt in Nota 5 Art. 17; diceturque infra ad verba *formas rivorum* Art. 75, & cum *modulus* aliquando pro ipſa *menſuræ* voce uſurparetur (ut notavimus ſupra in Nota 9. II. Art. 3) videtur ex his colligendum; verba citata, *formulas Modulorum*, hoc loco ſignificare *fiſtulas menſurarum*; aut, ſi mavis, *calices* ipſos.

II. Fateor autem ingenue, perpendenti omnia, atque ſuperiora verba iterum conſideranti viſum eſſe, haud contemnendam eſſe viam, quam Iocundus tenuit; ſecundum quam verba hæc *Formula Modulorum* accipi poſſent ut titulus quidam ſequentis enarrationis. Immo ita, ſi verba *Formula modulorum* pro titulo ſumerentur, opus non eſſet verbo *eſt*, quod additum a Iocundo infra (in Nota 2 ſequentis Art.) dicemus. Nihilo tamen minus via, quam ingreſſus fueram, & via hac Iocundi comparate conſideratis, in ea, quam prius inieram, inſiſtendum eſſe ratus ſum.

¶ Art. 37. 1. *Qui ſunt omnes XXV ſubjecti*] Ideſt qui omnes XXV infra a me ponuntur.

2. *directam ad rationem*] Ideſt rectam ad rationem; nimirum ad rationem in Principis Commentariis conſtitutam. Hæc autem verba referenda eſſe neceſſario ad ſequentia *emendatis quatuor*, datum eſt; ut ſententia ſit hæc: *quatuor modulis, quos*

Agra-

[3] de qua locuti sumus; [4] emendatis quattuor, quos Aquarii novaverant: [5] secundum quam & Fistulæ omnes, quæ opus facient, dirigi debent; [6] aut, si hæ Fistulæ manebunt, [7] ad Quinarias, quas capient, computari. ¶ [1] Qui non sunt in usu Moduli, in ipsis est adnotatum, & .... ¶ Art. 38.

......

Aquarii novaverant, emendatis ad rectam *rationem, de qua* ante *locuti sumus*. Ita sola emendatione interpunctionum locus, alias obscurus, efficitur satis perspicuus. De caussa vero, ob quam ita Frontinus scripsit, vide paullo infra Notam 4 hujusce Art. In Editione Iocundi, pro *directam ad rationem*, legitur *directa est ad rationem*: hanc enim mutationem fieri oportere, credidit Iocundus; qui, ubi posuerat in hac periodo vocem *Formula*, cum hac copulare vocem *directa* voluit; ac adjicere verbum *est*, quod ad totam regendam sententiam necessarium existimavit.

3. *de qua locuti sumus*] Nimirum Frontinus indicat, quæ supra in Art. 31 dixit; *Ratio Fistularum Quinariarum usque ad Centenumvicenum per omnes Modulos ita se habet &c.* Itaque hoc loco repetit; omnes XXV modulos (qui erant a quinaria usque ad centenumvicenum) ad eam rationem, *de qua ante locutus fuerat*, conformari oportere.

4. *emendatis quattuor, quos Aquarii novaverant*] Moduli a quinaria ad centenumvicenum erant XXV secundum rationem a Frontino allatam: sed Aquarii novaverant quattuor modulos, quibus servatis, moduli fuissent XXVIIII. Hic itaque, postquam Frontinus scripserat, modulos esse XXV, necessarium erat, ut declararet; modulos esse XXV, sed *emendatis* (idest ablatis) *quattuor, quos Aquarii novaverant*.

5. *secundum quam & Fistulæ omnes, quæ opus facient, dirigi debent*] Admonet Frontinus, omnes fistulas mensurarum, quæ ad quantitatem aquæ determinandam adhiberentur, jam faciendas esse directas ad rationem ante descriptam. Nam Aquarii præterquamquod quattuor modulos novaverant, alio fraudis genere multas ex fistulis concessis ea lege, ut concessa mensura non mutaretur, formabant ampliores, quam par fuisset; ut prorsus liqnet ex his, quæ infra in Art. 112 Frontinus habet: *Ampliores* (scribit) *quosdam calices, quam impetrati erant, positos in plerisque Castellis inveni*. Itaqne volebat Frontinus, omnes fistulas ad rectam illam rationem dirigi; ut tuto hujuscemodi fraudes cunctæ tollerentur.

II. Codices Cassinensis, & Vrbinas habent verba, quæ citavi; si excipias particulam *quam*; pro ea enim in Codicibus reperitur particula *quod*, manifesto Librariorum errore: qui facillime in hisce particulis errabant, propterea quia ex omnes nota plerumque una scriberentur aut *q;*, aut *q̃*, aut simili alia. In Editione Iocundi legitur; *Secundum quam fistulæ omnes opus facientes dirigi debent*. Sed a Codicibus minimum recedere volui.

6. *aut, si hæ Fistulæ manebunt*] Idest *si Fistulæ*, quæ nunc opus faciunt, & quas non constat directas esse ad rationem descriptam, *manebunt*.

7. *ad Quinarias, quas capient, computari*] Subaudi *debent*, ut sententia talis sit; hæ Fistulæ, quæ manebunt, non debent haberi tanquam ejus magnitudinis, quæ ipsis nunc tribuitur; sed, initis mensuris, debent *computari ad Quinarias* (hoc est secundum numerum Quinariarum) *quas capient*. Verba citata sumsimus a Codicibus; sed in illis, pro particula *quas*, legitur particula *quod*: in Editione vero Iocundi ita legitur; *ad quinarias quod capitur computari*.

1. *Qui non sunt in usu Moduli, in ipsis est adnotatum, &* .... ¶ Art. 38.
.... *diametri &c.*] In omnibus Codicibus, & editis Libris post particulam *&* statim sequitur

O verbum

verbum *diametri*; neque uspiam lacunæ ullius indicium apparet. Sed plura deesse, evidentissimum est. Namque prima verba, *qui non sunt in usu Moduli, ipsis est adnotatum*, referuntur ad id, quod in superiore Art. dictum fuerat, *in usu XV tantum Modulos frequentes* esse: quare X reliqui habebantur tanquam non in usu; atque in iisdem X *adnotatum* erat, ipsos *in usu non esse*: ita infra in Art. 41 post descriptionem Fistulæ Septenariæ statim subjicitur; *in usu non est*: & in Art. 44 post descriptionem Fistulæ Duodenariæ statim subjicitur; *in usu non est*: & sic porro. Hactenus autem de primis citatis verbis.

II. At sequentia, quæ in Codicibus leguntur verba, *& diametri trientem digitum dici quam qui quinariæ sexcuncia, & scripulis tribus, & besse scripuli*; referuntur ad descriptionem Moduli Vnciæ, qui supra in Art. 26, descriptus ante emendationem ita fuerat: *Vnciæ ergo Modulus habet diametri digitum unum, & trientem digiti; capit plus quam Quinariæ octava, hoc est sescuncia Quinariæ, & scripulis tribus, & besse scripuli.* Neque profecto qui verba Art. illius cum hujusce Art. verbis (ut ut depravatis) contulerat, dubitare poterit; quin utroque in loco describatur Vnciæ Modulus: adde etiam, post hæc verba sequi descriptionem digiti quadrati, & digiti rotundi; ut post illa quoque verba sequitur eadem descriptio. Vnde est longe manifestissimum; ante verba, *& diametri trientem digitum &c.* quibus verbis partium alicujus moduli descriptio fit, reperiri necessario debuisse mentionem ejus Moduli (videlicet Moduli unciæ) cujus erant partes illæ descriptæ. Sed præterea credibile omnino est, etiam post verba, *ipsis est adnotatum*, scriptum fuisse in Frontini Libro aliquid, quo transitio ad descriptionem modulorum conficeretur. Quoniam tamen vel parum vel nihil referebat *Vnciæ Modulum* proponere; & quoniam possibile non erat, ex conjectura restituere verba illa transitioni inservientia, aliaque verba, de quibus mox dicam; idcirco lacunæ situm indicavi; quæ quanta esse deberet, divinare non possum.

III. Ex conjectura autem satis probabili reor; ibi, ubi lacuna est, præter cetera, adsignatam etiam fuisse caussam, cur moduli XXV tantum dicerentur. Neque enim in iis, quæ supersunt narrationibus, Frontinus clare explicat, cur dicat; modulos esse XXV; tum vero in descriptione modulorum ponat Vnciam, Digitum quadratum, Digitum quadratum in rotundum redactum, Digitum Rotundum, & deinde modulos alios a quinaria ad centenumvicenum: qui omnes (expunctis quattuor illis, quos Aquarii novaverant) summam modulorum XXVIIII efficiunt. Quemadmodum enim supra (Vide Notam 4 Art. 37) dixerat, inter modulos non esse ponendos illos, quos Aquarii novaverant; ita probabile fit, hic præterea dixisse id etiam; nimirum, quattuor Modulos, Vnciam, Digitum quadratum, Digitum quadratum in rotundum redactum, & Digitum rotundum (quos in Nota 4. V. Art. 29 quarti generis appellavimus) inter veros XXV Modulos non esse reponendos. Ratio autem, cur inter veros illi quattuor moduli non essent reponendi, videtur originem habuisse ex eo, quod quattuor illi moduli neque essent in usu, neque in Principis Commentariis relati invenirentur; ut in loco citatæ modo Notæ scriptum fuit.

IIII. Propter hæc de Modulorum descriptione ita statuendum puto: Modulos primi generis, qui oriebantur a multiplicatione quinariarum, non potuisse definiri (atque ideo, neque inter veros Modulos poni) quoniam, quamvis in usu erant, eorum magnitudo pro varia quinariarum summa variabatur: Modulos quarti generis (Vncia, Digitus quadratus, Digitus quadratus in rotundum redactus, & Digitus rotundus) non fuisse positos inter veros Modulos, quoniam non erant in usu; neque, ut ii in Commentarios referrentur, Princeps curaverat: Modulos vero secundi, & tertii generis, quorum ratio (ut sæpe dictum fuit) constans erat, & quorum pars major frequens erat in usu, & quorum magnitudines descriptæ reperiebantur in Principis Commentariis, Modulos, inquam, illos fuisse pro veris habitos, atque de iisdem dixisse Frontinum semper, cum dixit, Modulos esse XXV: totidem enim erant Moduli generis secundi, & tertii, ut notavimus in Nota 1. Art. 34.

2. dia-

.... [2] diametri *digitum unum*, *&* trientem digiti; *capit Quinariam*, *& plus quam Quinariæ octavam*, *hoc est* sescunciam Quinariæ, & scripula tria, & bessem scripuli. Digitus quadratus in longitudine, & latitudine æqualis est. Digitus quadratus in rotundum redactus, habet diametri digitum unum, & digiti sescunciam, *scripulum*; capit Quinariæ, *dodrantem*, *semunciam*, *sicilicum*. Digitus rotundus habet diametri digitum unum; capit Quinariæ septuncem, semunciam, sextulam. ¶ [1] Fistula Quinaria diametri digitum unum, *quadrantem*; *perimetri* digitos tres, *deuncem*, *scripula III*: capit Quinariam unam. ¶ Art. 39.

---

2. *diametri* digitum unum, & *trientem digiti*; capit Quinariam, & plus quam Quinariæ octavam; hoc est *sescunciam Quinariæ*, *& scripula tria*, *& bessem scripuli*] Quid in Codicibus hoc loco legatur, diximus jam in superioris Notæ parte II. ubi illud quoque ostendimus, hunc locum pertinuisse ad Moduli Vnciæ descriptionem, ut etiam in Art. 26 Modulus ille fuerat descriptus. Propter hæc itaque ex citato illo Articulo verba hujusce loci emendanda, locumque supplendum, plane arbitrati fuimus.

II. Num vero talis modulorum descriptio bis a Frontino posita fuerit, tum hic, tum in loco jam citato, non ausim asserere. Id haud dubie affirmabo; a superiore citato loco posse expungi illam descriptionem (quare possumus etiam suspicari, illam errore Librariorum insertam fuisse perperam in eum locum) at in loco, quem in manibus habemus, esse necessariam. Namque Frontinus, ubi pervenit ad quinariæ descriptionem, ita scribit; *Fistula Quinaria diametri digitum unum &c.*; neque verbum ullum ponit (& similiter nullum ponit, cum recenset reliquarum Fistularum diametros) manifestissimo indicio, subaudiendum esse verbum *habet*, quod paullo supra Frontinus posuerat, cum dixerat; *Digitus rotundus habet diametri digitum unum*. Quamobrem, ut recte intelligi queant quæ de quinaria, aliisque fistulis dicuntur, manere debent necessario ea, quæ ad Digitum rotundum, & per consequens etiam ea, quæ ad tres præcedentes modulos pertinent.

1. *Fistula Quinaria &c.*] Ventum est ad inquinatissima loca: nimirum ea omnia, quæ usque ad Art. 64 leguntur, sunt in singulis Editionibus omnino manca, atque depravata: quod ostendere fusius, non est opus; quando cuique, vel tantillum inspicienti editos Libros, res hæc per se fiat manifestissima. Nec quidem in Codicibus eadem hæc loca integra sunt, sed etiam in Codicibus pleræque numerorum, ac omnes ferme particularum expressiones vitiatæ reperiuntur: & hæ particularum expressiones, sive illæ Notæ, quibus particulæ ipsæ (idest partes Assis) significabantur, magnam partem intelligi nullo modo queunt propter illos, qui irrepserunt, errores ex variis caussis fuse expositis jam in Nota 6. I. & II. Art. 26.. Et nonnullæ, quæ fortassis intelligi possent, cum aliis depravatis adeo sunt aut conjunctæ, aut commixtæ; ut vera, atque germana quantitas nequeat comprehendi. ¶ Art. 39.

II. Hic vero prætermittere nolo, me scivisse ad Calcem Codicis Vrbinatis appositas esse Figuras Fistularum; quare curavi, ut diligentissime Figuræ illæ describerentur, quæsiturus inde, num aliquam ex ipsis utilitatem ad res hasce illustrandas

¶ Art. unam. ¶ Fistula *Senaria* diametri digitum unum,
40. semissem; perimetri digitos quattuor, *bessem*, *semun-*
ciam, *scripulum*: capit Quinariam *unam*, *quincuncem*, *si-*
¶ Art. *cilicum*. ¶ Fistula Septenaria diametri digitum *u-*
41. *num*, *dodrantem*; perimetri digitos *V*, *semissem*: capit
Quinariam *unam*, *deuncem*, *semunciam*. In usu non
¶ Art. est. ¶ Fistula Octonaria diametri digitos duos;
42. perimetri digitos sex, *quadrantem*, *duellam*: capit Qui-
¶ Art. narias duas, *semissem*, *semunciam*, *sicilicum*. ¶ Fistu-
43. la Denaria diametri digitos duos, & semissem; pe-
rimetri digitos septem, *dextantem*, *sicilicum*: capit Qui-
¶ Art. narias quattuor. ¶ Fistula Duodenaria diametri
44. digitos *tres*; *perimetri digitos VIIII*, *quincuncem*, *scripula II*:
capit

---

percipere possem. Ex iisdem autem (speciminis caussa) incisæ sunt in Tabulam P, ad pag. 73, Figuræ Digiti quadrati, Digiti rotundi, & Fistulæ Quinariæ, (una cum appositis ibi inscriptionibus) quæ Figuræ prorsus æquales, & simillimæ sunt Figuris illis Codice Vrbinate contentis. At si nunc, inspiciendo eas Figuras, consideremus; pro Digito quadrato exhiberi ibi rectangulum altera parte longius; & Digiti rotundi, habentis pro diametro digitum unum (ut Frontinus scripsit in Art. 26) diametrum in Figuris iisdem æqualem esse diametro Fistulæ Quinariæ, cujus certe diameter æquat unum digitum, & insuper digiti quadrantem; si hæc, inquam, consideremus, percipiemus facile, ab indocto aliquo Homine formatas fuisse eas Figuras, neque ex ipsis quidquam utilitatis posse in rem nostram provenire. Neque enim hæ solæ, quas in Tabula P exhibui, Figuræ falsæ apparent; verum reliquæ omnes sunt ejusdem farinæ.

III. Sed redeo ad expressiones particularum, quæ sunt in Codicibus, in quibus id etiam vitii offenditur; quod Notæ ad significandas particulas appositæ reperiuntur alicubi iis in locis, in quibus nullæ esse deberent; caussa enim exempli, pro Vicenaria vera, cujus diameter haud dubie erat digitorum quinque præcise, & cujus capacitas erat quinariarum sexdecim præcise, in Codice Cassinensi post digitorum numerum quinque, & quinariarum numerum sexdecim, particularum Notæ reperiuntur, quæ perperam a Librariis intrusæ fuere. Præterea in eodem Codice numeri quidam integri scripti sunt post particularum Notas quibusdam in locis, ubi numeris iisdem opus non est: ita, caussa exempli, post numerum Digitorum, & Notas sequentes particularum diametri Fistulæ Quinquagenariæ legitur numerus *quinque*; necnon post numerum Quinariarum, & post sequentes particularum Notas Fistulæ Sexagenumquinum, legitur numerus *octo*; qui duo numeri nihil equidem faciunt ad ea loca.

IIII. Quod vero attinet ad numeros, quibus integri Diametrorum, Perimetrorumque Digiti, ac integræ Quinariæ exprimuntur; sunt quidem inter illos aliqui minime depravati; ut, caussa exempli omnes integri numeri spectantes ad Fistulam Vicenumquinum, & ad Fistulam Quadragenariam, necnon alibi quidam alii in Cassinensi Codice recte scripti sunt (ut in contextu nostro videre est, in quo numeros, & omnia verba pertinentia ad hasce formulas Modulorum, rotundo, ut ajunt,
caractere

capit Quinarias v, *dodrantem*. In usu non est. [2] A-
lia apud Aquarios habebat diametri digitos tres se-
munciam, sicilicum: capacitatis Quinarias sex. ¶ Fi- ¶ Art.
stula Quinumdenum diametri digitos *tres*, *dodrantem*; 45.
perimetri digitos *xi dodrantem*, *duellam*: capit Quina-
rias VIIII. ¶ Fistula Vicenaria diametri digitos ¶ Art.
quinque, perimetri digitos *xv*, *bessem*, *semunciam*: ca- 46.
pit quinarias XVI. [1] Apud Aquarios habebat diame-
tri digitos *quattuor*, *semissem*: capacitatis Quinarias
xii, *deuncem*, *semunciam*. ¶ Fistula Vicenumquinum ¶ Art.
diame- 47.

---

caractere expressa, ex Cassinensi Codice summa fide descripsimus) consentiuntque numeri illi cum iis, quos in supputationibus nostris invenimus: atque ex his, si demonstrationes aliæ deessent, demonstrare possemus; supputationes nostras optime fuisse institutas. Ceterum plures alii ex ipsis integris numeris, & quædam verba sunt in eo quoque Codice omnino depravata: hæc autem diverso caractere, ut fert institutum nostrum, sunt in contextu expressa.

V. Propter hæc itaque Codicum vitia, & propter majora illa vitia editorum Librorum (in quibus lacunæ sunt plures, quam in Cassinensi Codice; in quibus etiam numeri aliqui in eo Codice recte positi, vitiati leguntur: quin in Editione Iocundi, aliisque post hanc, pro quibusdam particularum notis substitutæ perperam sunt notæ numerorum arabicæ) propter hæc, inquam, prætermisi comparationem inter emendationes a me factas, & lectiones Codicum, editorumque Librorum. Neque vero talis comparatio, ubi informes particularum Notæ intelligi nequeunt, fieri potuisset; & ubi fieri potuisset, res evasisset tædii plena, ac ferme inutilis.

VI. Ferme profecto inutilis, cum opus minime esse videatur, quidquam aliud adducere, quod ad emendationes nostras comprobandas faciat; quæ optime quidem institutæ videntur: quando ex iis, quæ supra Frootinus scripserat, & quæ integra conservata sunt, potuimus optime determinare Modulorum Diametros, Perimetros, & Capacitates, tum a Fistula Quinaria ad Fistulam Vicenariam (ut demonstravimus in Nota 9. II. Art. 25) tum a Fistula Vicenumquinum ad Fistulam Centenumvicenum (ut demonstravimus in Nota 4. I. Art. 29) atque adeo omnium Fitnlarum, sive omnium vigintiquinque Modulorum, quos hoc loco Frontinus describit. Quamobrem emendationes nostras referimus ad citatas Notas; neque hic quidpiam a nobis addendum superest, nisi id; nimirum, in habenda scripulorum ratione, ac in supputandi methodo, me secutum fuisse ea principia, quæ Rationi supputandi Frontinianæ congruere ostenderam in Nota 6. IIII. Art. 26.

VII. Tandem hoc in loco animadvertendum est; ex hisce formulis Modulorum plus satis id perspicuum esse; quod scilicet cum moduli nominaotur, subaudiri debeat vox Fistula, quæ in plerisque ex hisce Modulis reperitur: legitur enim *Fistula Quinaria*, *Fistula Septenaria*, *Fistula Octonaria &c.* Quod sane debuissemus ante animadvertere in Notis 4. Art. 23., & 11. Art. 32.

1. *Alia apud Aquarios habebat &c.*] De magnitudine Diametri, atque Capaci- ¶ Art.
tatis Fistulæ hujusce Duodenariæ, quam novaverant, auxerantque Aquarii, dictum 44.
fuit supra in Nota 2 Art. 32.

1. *Apud Aquarios habebat &c.*] Diametrum, & Capacitatem hujusce Fistulæ Vi- ¶ Art.
cenariæ, quam novaverant Aquarii, definivimus jam in Notis 5, & 6 Art. 32.

1. *Apud* 46.

diametri digitos v. *ſeptuncem*, *ſemunciam*, *ſextulam*, *ſcripulum*; perimetri digitos xvii, *beſſem*, *ſemunciam*, *ſicilicum*: capit Quinarias xx, *trientem*, *ſemunciam*. In uſu non eſt.

¶ Art. 48. ¶ Fiſtula Tricenaria diametri *digitos* vi, *ſextantem*, *ſextulam*; perimetri digitos xviiii, *quincuncem*: capit Quinarias xxiiii, *quincuncem*, *duellam*.

¶ Art. 49. ¶ Fiſtula Tricenumquinum diametri digitos vi, *beſſem*, *ſcripula iii*; perimetri digitos *xx*, *deuncem*, *ſemunciam*, *ſicilicum*: capit Quinarias *xxviii*, *ſemiſſem*, *ſicilicum*. In uſu non eſt.

¶ Art. 50. ¶ Fiſtula Quadragenaria diametri digitos vii, *ſexcunciam*, *ſextulam*; perimetri digitos xxii, *quincuncem*; capit Quinarias xxxii, *ſeptuncem*, *ſextulam*.

¶ Art. 51. ¶ Fiſtula Quadragenumquinum diametri digitos vii, *ſemiſſem*, *ſemunciam*, *duellam*; perimetri digitos *xxiii*, *dodrantem*, *duellam*: capit Quinarias *xxxvi*, *beſſem*. In uſu non eſt.

¶ Art. 52. ¶ Fiſtula Quinquagenaria diametri digitos vii, *deuncem*, *ſemunciam*, *ſicilicum*; perimetri digitos *xxv*, *ſemunciam*, *ſicilicum*: capit Quinarias xxxx, *dodrantem*.

¶ Art. 53. ¶ Fiſtula Quinquagenumquinum diametri digitos viii, *trientem*, *ſicilicum*, *ſextulam*; perimetri digitos *xxvi*, *quadrantem*, *ſemunciam*: capit Quinarias xxxxiiii, *dodrantem*, *ſemunciam*, *duellam*. In uſu non eſt.

¶ Art. 54. ¶ Fiſtula Sexagenaria diametri digitos *viii*, *beſſem*, *ſemunciam*, *duellam*, *ſcripulum*; perimetri digitos *xxvii*, *quincuncem*, *ſemunciam*: capit Quinarias xxxxviii, *dextantem*, *ſemunciam*, *ſextulam*.

¶ Art. 55. ¶ Fiſtula Sexagenumquinum diametri digitos viiii, *unciam*, *ſextulam*; perimetri xxviii, *ſemiſſem*, *ſemunciam*, *ſicilicum*, *ſextulam*: capit Quinarias lii, *deuncem*, *ſemunciam*. In uſu non eſt.

¶ Art. 56. ¶ Fiſtula Septuagenaria diametri digitos viiii, *quincuncem*, *duellam*; perimetri digitos xxviiii, *beſſem*: capit Quinarias *lvii*, *ſemunciam*.

¶ Art. 57. ¶ Fiſtula Septuagenumquinum diametri digitos viiii, *dodrantem*, *ſicilicum*;

cilicum; perimetri digitos xxx, *bessem*, *duellam*: capit
Quinarias *LXI*, *unciam*, *duellam*. In usu non est. ¶ Fi- ¶ Art.
stula Octogenaria diametri digitos x, *semunciam*, *duel-* 58.
lam, *sicilicum*; perimetri digitos *XXXI*, *bessem*, *duellam*:
capit Quinarias *LXV*, *sextantem*, *sicilicum*. ¶ Fistula ¶ Art.
Octogenumquinum diametri digitos x, *trientem*, *se-* 59.
munciam, *duellam*; perimetri digitos xxxii, *bessem*,
sextulam: *capit Quinarias LXVIIII*, *quadrantem*, *sextulam*.
In usu non est. ¶ Fistula Nonagenaria diametri di- ¶ Art.
gitos x, *bessem*, *duellam*, *scripula III*, perimetri digitos 60.
xxxiii, *septuncem*, *duellam*, *sicilicum*: capit Quinarias
LXXIII, *trientem*. ¶ Fistula Nonagenumquinum ¶ Art.
diametri digitos *XI*; perimetri digitos *XXXIIII*, *semis-* 61.
sem, *semunciam*, *sextulam*: capit Quinarias *LXXXVII*, *quin-*
cuncem. In usu non est. ¶ Fistula Centenaria dia- ¶ Art.
metri digitos xi, *quadrantem*, *sicilicum*, *sextulam*; peri- 62.
metri digitos *XXXV*, *quincuncem*, *sicilicum*, *sextulam*: ca-
pit Quinarias LXXXI, *quincuncem*, *semunciam*, *duellam*.
[1] Apud Aquarios habebat diametri digitos *XI*, *deun-*
cem, *semunciam*, *sicilicum*, *sextulam*: capacitatis Quina-
rias LXXXXII, *duellam*, *sicilicum*. ¶ Fistula Cen- ¶ Art.
tenumvicenum diametri digitos xii, *trientem*, *duellam*; 63.
perimetri digitos *XXXVIII*, *dextantem*: capit Quinarias
LXXXXVII, *dodrantem*, *sicilicum*, *sextulam*. [1] Apud Aqua-
rios habebat diametri digitos xv, *deuncem*, *semunciam*,
duellam: [2] capacitatis Quinarias CLXIII, *semissem*, *se-*
munciam, *sextulam*: qui modus duarum Centenariarum
est.

---

1. *Apud Aquarios habebat &c.*] Supputationes pertinentes ad Diametrum, at- ¶ Art.
que Capacitatem hujusce Fistulæ Centenariæ auctæ ab Aquariis dedimus ante in No- 62.
tis 9, & 10 Art. 32.

1. *Apud Aquarios habebat &c.*] Demonstravimus supra in Notis 12, & 13 Art. ¶ Art.
32, talem quidem fuisse apud Aquarios Diametrum, atque Capacitatem hujusce
Fistulæ Centenumvicenum, quam ipsi Aquarii dolo malo novaverant, auxerantque. 63.

2. *capacitatis Quinarias CLXIII*, semissem, semunciam, sextulam: *qui modus duarum Centenariarum est*.] Et Codices, & Editio Iocundi consentiunt in numero Quinariarum: in Codice Cassinensi post Quinariarum numerum sunt quædam particularum
notæ,

¶ Art. 64. est. ¶ Persecutus ea quæ de Modulis dici fuit necessarium, [1] nunc ponam quem modum quæque Aqua, ut Principum Commentariis comprehensum est, usque ad nostram curam habere visa sit, [2] quantumque erogaverit; deinde quem ipsi scrupulosa inquisitione, præeunte providentia optimi diligentissimique Prin-

---

notæ, in Editione Iocundi non ita: post autem verba *duarum Centenariarum* neutrubi particularum notæ ullæ visuntur. Porro quinariæ CLXIII, semis, semuncia, sextula constant ex scripulis 16647993: Modus duarum Centenariarum (idest ducenti digiti quadrati) constat ex scripulis 16588800. Differentia est scripulorum 59193; paullo major dimidio quadrato digito.

II. Quam differentiam scripulorum 59193 neglexit Frontinus, quoniam mentionem hujusce Modi duarum Centenariarum quasi obiter fecit; neque enim duæ Centenariæ efficiebant ullum ex iis vigintiquinque Modulis, de quibus dicere Frontinus instituerat. Satis quidem erat, in aucta illa ab Aquariis Fistula Centenumvicenum contineri eam digitorum quadratorum summam, quæ a ducentorum summa neque unius digiti defectu, neque unius digiti excessu differret.

III. Hinc autem colligo, rationi consonum esse; capacitatem Fistulæ Centenumvicenum fuisse illam, quæ a duabus Centenariis non differret integro digito quadrato.

IIII. Colligo etiam, in comparatione Fistulæ Centenumvicenum cum duarum Centenariarum modo differentiam minorem digito quadrato negligi (ut Frontinus fecit) tuto posse. Itaque ubi quadrati digiti unius differentia non reperiatur; ibi, modum Fistulæ Centenumvicenum auctæ ab Aquariis consentire cum modo duarum Centenariarum, negari non poterit.

V. Ceterum illud adjiciam, credibile non esse, quantitates solidas integrasque eodem modo potuisse a Frontino prætermitti; neque enim quantitas æqualis uni solido quadrato digito negligenda fuisset, quæ duabus Centenariis debuisset addi; ut tota quantitas esset digitorum quadratorum CCI. Quare, si Frontinus affirmavit, Fistulæ Centenumvicenum auctæ ab Aquariis modum fuisse duarum Centenariarum, statuendum profecto est; eam Fistulam nec æquare debuisse ducentos, & unum integrum digitum, nec excedere.

VI. Demum, cum hi duo numeri, alter quinariarum CLXIII, semissis, semiunciæ, sextulæ, alter duarum Centenariarum, expensi secundum eam rationem, quam Frontinus secutus est, bene inter se consentiant; minime dubitandum videtur quin uterque verus sit, atque mendo prorsus uterque careat.

¶ Art. 64. 1. *nunc ponam quem modum quæque Aqua, ut Principum Commentariis comprehensum est, usque ad nostram curam habere visa sit*] Ita Codex Cassinensis; nisi quod, pro verbis *quem modum*, habet *quemadmodum*: ac parum differt lectio Codicis Vrbinatis. At Editio Iocundi ita habet; *Nunc ponam, quemadmodum quæque aquarum principium, commentariis comprehensum usque ad nostram curam habere visa sit*: quæ Iocundi lectio manca est, neque intelligi facile potest. Contra vero Codicis verba satis perspicua sunt, adhibita una emendatione verbi *quemadmodum* eo in loco, ubi legendum esse *quem modum*, cum rei ipsius natura ostendit, tum sequentia verba satis declarant, ut in sequente Nota dicemus.

2. *quantumque erogaverit; deinde quem ipsi*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas habet; *quantumcumque erogaverit. Deinde quo ipsi*: Editio Iocundi; *quantum quæque erogaverit, deinde quæ ipsi*. Præstare autem lectio Codicis Cassinensis visa est: cujus particula illa *quem*, cum dumtaxat ad verbum *modum* referri queat, satis declarat, supra ponenda fuisse verba *quem modum*, ut fecimus.

3. in

Principis Nervæ, invenerimus. Fuere ergo [3] in Commentariis in universo Quinariarum XII millia DCCLV: [4] in erogatione XIIII millia XVIII; plus in distributione, quam in accepto, computabantur [5] Quinariæ MCCLXIII. Hujus rei admiratio (cum præcipuum Officii opus in exploranda fide Aquarum, atque copia crederem) non mediocriter me convertit ad scrutandum, quemadmodum amplius erogaretur, quam in Patrimonio, ut ita dicam, esset. Ante omnia itaque capita Ductuum metiri aggressus sum; sed longe, id est

3. *in Commentariis in universo Quinariarum XII millia DCCLV*] Nam in Commentariis reperiebatur habere Quinarias

Appia	(ut in Nota 1. Art. 65.)	841.
Anio vetus	(ut in Nota 1. Art. 66.)	1441.
Marcia	(ut in Nota 1. Art. 67.)	2162.
Tepula	(ut in Nota 4. Art. 68.)	400.
Iulia	(ut in Nota 4. Art. 69.)	649.
Virgo	(ut in Nota 6. Art. 70.)	752.
Alsietina	(ut in Nota hac II. & in Nota 6 Art. 71.)	392.
Claudia	(ut in Nota 3. Art. 72.)	2855.
Anio novus	(ut in Nota 1. Art. 73.)	3263.
	& est in universo Summa	12755.

Quæ Summa optime consentit cum proposito numero Quinariarum XII millium DCCLV. Quod si quis dicat, infra in Art. 71. a Frontino sic scribi: *Alsietinæ conceptioni modus nec in Commentariis ascriptus est*; me tamen Alsietinæ modum posuisse inter modos illos, qui ad Commentarios conceptionis spectabant, huic ita respondebo:

II. Si negligerentur quinariæ 392 pertinentes ad Alsietinam, non haberetur in universo summa quinariarum 12755, quæ habenda necessario est, habeturque perfecte ex appositis quinariis 392; manifesto indicio numerum illum 392 & recte esse constitutum, & recte poni, ut cum aliis colligatur ad efficiendam summam 12755. Quamobrem statuendum est, scribi a Frontino, in Commentariis non reperiri verum modum conceptionis Alsietinæ, quem citato in loco scribit, certum inveniri non potuisse. Sed tamen pro modo conceptionis fuit in Commentariis modus erogationis, qui in comperto habebatur. Et, quando erogabantur quinariæ illæ 392, certum erat, eas etiam in conceptione extitisse; atque ideo satis apparet, in Commentarios etiam conceptionis fuisse relatas: non tamen illæ integrum certumque modum conceptionis efficiebant.

4. *in erogatione XIIII millia XVIII*] Hic numerus, ad indicandam distributionem seu veram erogationem omnium Aquarum strictim sumtam, etiam infra in Art. 78, & in Art. 79 iterum atque tertium ponitur, ponitur que prorsus idem; manifestissimo indicio, ubique recte poni.

5. *Quinariæ MCCLXIII*] Nam, si a quinariis 14018, quæ erant in erogatione subtrahantur quinariæ 12755, quæ erant in distributione, remanent quinariæ 1263 hoc loco descriptæ. Talis autem consensus trium numerorum 14018, 12755, 1263 satis declarat, nullum ex tribus numeris fuisse depravatum, sed omnes recte esse positos.

id est [6] circiter Quinariis x millibus, ampliorem, quam in Commentariis modum inveni: ut per singulas demon-

---

6. *circiter Quinariis X millibus, ampliorem, quam in Commentariis modum inveni*] Talis autem amplior modus inveniri potuit, non solum propter Aquariorum, Privatorumque fraudes; verum etiam aliqua ex parte propter non accuratam metiendi methodum. Sæpe enim neglexerat Frontinus quamcumque computationem velocitatis aquæ in suis mensuris; semper vero omiserat computationem solidam veramque (cujus natura, atque germana ratio ea tempestate ignorabatur) quare nihil certi in ejus mensuris aquarum fluentium esse poterat: ut nemo negabit, qui recte noverit, quid sit fluentes aquas metiri.

II. Hunc ipsum Frontini errorem animadvertit P. Benedictus Abbas Castellius (in Libro, cui titulus *de Aquarum Fluentium Mensura*, Appendice I ad Corollarium XVI) quæ Castellii animadversio injustam bilem movit Viro, ceteroquin æquissimo, Raphaeli Fabretto a nobis sæpe laudato; qui, dum studuit Frontini caussam defendere (quod nos quoque, si fieri æquo ullo modo posset, libentissime faceremus) quædam protulit tantum a veritate aberrantia, quantum a veritate alienum est, Frontinum habuisse velocitatum aquarum veram determinatamque rationem. Porro P. Castellio adstipulandum omnino erit, quousque aliquis inveniatur, qui possit contrarium ostendere in Frontinianis aquæ mensuris; at is, nisi prodeant aliqui Frontini Libri ab eis, quos habemus, diversi, numquam mehercle invenietur.

III. Ceterum etiam infra, in Art. 74, Frontinus scribit ita; *illud utique detegitur, X millia Quinariarum intercidisse*: ubi, cum iterum ponatur numerus *X millia*, hunc recte habere credendum est. Nunc vero, eundo per singulas (quas metitus est Frontinus) Aquas, videamus quot quinarias, mensuris actis prope Aquarum Conceptiones, hoc est ad earum capita, Frontinus invenerit.

In Conceptione habebat,	ut dicitur	Quinarias
Appia	in Art. 65.	1825.
Anio vetus	in Art. 66.	4398.
Marcia	in Art. 67.	4690.
Tepula	in Art. 68.	445.
Iulia	in Art. 69.	1206.
Virgo	in Art. 70.	2504.
Claudia	in Art. 72.	4607.
Anio novus	in Art. 73.	4738.
	Summa Quinariarum	24413.

Frontinus ergo, mensuris ad capita Aquarum actis, invenit Summam Quinariarum 24413.

IIII. Ex his vero colligere datum est; verba illa Frontini, *ampliorem, quam in Commentariis, modum inveni*; intelligenda esse ita: *ampliorem, quam in Commentariis* esset erogationis modus, *modum inveni*: erogationis enim modus (ut paullo supra, in hoc eodem Art. scripserat Frontinus ipse) erat quinariarum 14018 (cum ceteroquin essent *in universo Quinariæ* 12755; quem numerum, ex collatione liquet, non fuisse adhibitum a Frontino in re præsenti) illis autem quinariis 14018 subductis ex quinariis 24413, remanent eæ, quæ intercidebant, quinariæ 10395: hoc est, si numero solido, ac (ut ajunt) rotundo utamur, remanent quinariarum X millia. Frontinum etenim noluisse numerum scribere diligenter, sed eum voluisse rotunde indicare, perspicue apparet ex particula, *circiter*, ab ipso Frontino apposita. Illud præterea animadverto; perspicuum esse, in ea, quæ supra posita fuit Aquarum Summa inventa ex mensuris, non fuisse Alsietinam Aquam, cujus ad caput mensura acta non fuerat, ut scribitur infra in Art. 71; nimirum Alsietinæ conceptionis modum certum inveniri non potuisse.

1. *Qui*

monstrabo. ¶ Appiæ in Commentariis adscriptus est modus [1] Quinariarum DCCCXXXXI. Ad caput inveniri mensura non potuit, quoniam ex duobus rivis constat. Ad Gemellas tamen, qui locus est [2] intra Spem veterem, ubi jungitur cum Ramo Augustæ, [3] inveni altitudinem aquæ pedes quinque, latitudinem pedis ¶ Art. 65.

1. *Quinariarum DCCCXXXXI*] In hoc Art. infra scribitur; Appia *erogabat Quinarias 704; minus, quam in Commentariis adscribitur, Quinariis 137*: ergo in Commentariis adscribebantur quinariæ 137 supra 704, idest quinariæ 841; hicque numerus quinariarum cum aliis rebus, quæ ibidem dicuntur de eadem Aqua, apprime consentit. In Codicibus, & Iocundi Editione sic legebatur; *Quinariarum DCCC uniuscujusque ad caput inveniri mensura non potuit*: qui locus & falsum numerum DCCC continebat; &, propter verbum *uniuscujusque*, intelligi haud poterat: nam de sola Aqua Appia hic sermo est. Conjeci itaque, olim sic fuisse scriptum; *quinariarum octingentarum unius & quadraginta. Ad caput* &c.: deinde Librarios in describendo erravisse; &, loco *unius & quadraginta*, substituisse verbum *uniuscujusque*, fœde vitians sententiam totam. ¶ Art. 65.

2. *intra Spem veterem*] Ita Codices, & Iocundi Editio. At Famianus Nardinus (in Lib. VIII Cap. 4. ejus Operis citati alias, cujus in latinam linguam translati titulus est, *Roma Vetus*) locum hunc emendandum esse opinatur. *Quod enim* (scribit) „ *intra Spem Veterem* „ *illic legitur fieri non potuit, ut eo Aqua Appia unquam venerit, idest adusque Portam Majorem*. Bona tamen venia Manium Viri eruditissimi dixerim; fieri debuisse, ut Aqua Appia, quæ concipiebatur Via Prænestina, inducebaturque in Vrbem prope Portam Capenam, transmitteret Viam Labicanam, super quam est Porta Major. Quid itaque mirum, si Aqua Appia prope Portam Majorem transivit trans Labicanam Viam (ut in Tabula nostra K ad pag. 15 delineatum est) cum illam Viam alicubi transire certe debuerit?

II. Addit ille præterea: *igitur e superius allato Frontini loco* („ *Via Prænestina* „ *fons rami Augustæ*) *corrige ita*; „ *intra Anienem veterem* „; *idest cis eum locum, ubi Vetus Anio cum Aqua Appia conjungebatur*. Nemo tamen non videbit, hæc scripta a Nardino festinanter, quem latere non poterat, nuspiam Aquam Anionem veterem cum Aqua Appia conjunctam fuisse. Quamobrem falsa omnino Nardini correctio; neque locus, qui recte habet, ulla indiget correctione.

3. *inveni altitudinem aquæ pedes quinque, latitudinem pedis unius, dodrantis*] Ita perspicue Codices: Iocundus post verbum *latitudinem*, habet; *aquæ pedis unius, & dodrantis*. De aquæ autem velocitate hic omnino nihil subjicitur: quid ergo clarius desiderari potest, ut cognoscatur, Frontinum aliquando in suis mensuris rationem quidem habuisse capacitatis rivorum, scilicet altitudinis, & latitudinis aquæ; velocitatis autem rationem habuisse omnino nullam? Ita quoque de mensura Anionis veteris in Art. 66; & Marciæ in Art. 67 habet; *ad caput inveni*; *ad caput mensus*: ubi perspicuum est, velocitatis considerationem nullam a Frontino fuisse habitam; idemque etiam in aliarum quarundam mensurarum narratione apparet.

II. Hinc liquet oportere, ut nos attendamus areas luminum, de quorum mensura Frontinus agit; atque ut ad easdem areas accommodemus calculos, instituendasque rationes; ne a Frontini methodo, cum Frontinianos calculos subducere propositum sit, aberremus.

III. Si quis vero forte quærat, quanam ratione existimem, Frontinum invenisse altitudinem aquæ pedum quinque, latitudinem aquæ pedis unius, & dodrantis, respondebo, me plane existimare, Frontinum fuisse metitum altitudinem, latitudinemque specus, quo recipiebatur aqua, & ex magnitudine recipientis definivisse

pedis unius, dodrantis: [4] fiunt areæ pedes octo, dodrans; Centenariæ XXII, & Quadragenaria; [5] quæ efficiunt Quinarias MDCCCXXV: [6] amplius, quam in Commentariis habent, Quinariis DCCCCLXXXIIII. Erogabat Quinarias DCCIIII; minus, quam in Commentariis adscribitur, Quinariis CXXXVII; [7] & adhuc minus, quam ad Gemellas mensura respondet, Quinariis MCXXI. Intercidit tamen aliquantum e

Ductus

---

aquam receptam. Porro si hujusce specus amplitudinem attendamus, ac respiciamus majorum etiam specuum, qui in Tab. L ad pag. 39 sunt delineati, fatendum erit, non tantam fuisse specuum amplitudinem, quantam aliqui descripsere. Hinc recte, ut assolet, Fabretius in Num. 280 animadvertit, caute intelligendum esse eum Procopii locum, ubi Aquæductibus attribuit „ *id latitudinis, & profunditatis, ut homini equo insidenti hic equitandi facultatem præbeant* „. *Nam Specus* (verba hæc Fabretti sunt) *aliarum, sex septemve pedum profunditatis, virum, & equum (modo is equum loro apprehensum traxerit) ægre forsan admittebant: Iuliæ vero, ac Tepulæ, latitudinis ped. duorum, profunditatis pedum trium ac semis, ne Pygmæi quidem, arietis, capræve dorso insidentis (quales eos describit Plinius Lib. VII. Cap. 7) capaces fuerunt*.

4. *fiunt areæ &c.*] Altitudo pedum 5 ducta in latitudinem pedis unius, & dodrantis (idest pedis 1, & 3:4) efficit aream pedum quadratorum 8, & 3:4 (seu, & dodrantis) Et, cum pes quadratus contineat quadratos digitos 256, eadem area æqualis est digitis quadratis 2240: nimirum *Centenariis* 22, *& Quadragenariæ*.

II. Nequeo autem hic non affirmare (etiamsi nimius fortasse videbor) futurum facile fuisse, ut doctissimus Fabrettus abstineret ab iis omnibus, quæ de Doctrina velocitatum aquæ fluentis pro Frontino contra Castellium disputavit, si Frontini locum modo citatum diligenter excussisset.

5. *quæ efficiunt Quinarias MDCCCXXV*] Digiti quadrati 2240 æquales sunt quinariis 1825, & quinariæ quadranti semunciæ, & amplius: sed puto, Frontinum nostrum non una de caussa minutias hisce in circumstantiis consulto neglexisse. Idemque pro omnibus similibus, quæ infra erunt, locis velim animadverium.

6. *amplius, quam in Commentariis habent, Quinariis DCCCCLXXXIIII.*] Nam si ex invento modo quinariarum 1825 subtrahatur modus, qui erat in Commentariis quinariarum 841, remanet excessus quinariarum 984. In Cassinensi Codice legitur; *quinariis nongentis octoginta quatuor*: in Codice Vibinate, & in Editione Iocundi legitur; *quinariis DCCCCLXXXIII.*; unitate per facilem errorem prætermissa.

7. *& adhuc minus, quam ad Gemellas mensura respondet, Quinariis MCXXI*] Ad Gemellas mensura respondebat quinariis 1825: ergo erogari debuissent quinariæ 1825; sed erogabantur, justa erogatione, tantum quinariæ 704; ergo reliquæ 1121 (quæ cum 704 efficiunt integram summam quinariarum 1825) non erogabantur; atque ideo verum erat, erogari *minus, quam ad Gemellas mensura responderet*, seu minus quam mensura requisivisset, *Quinariis* 1121.

II. Sed hic notemus distributionem, seu veram erogationem Appiæ. Pro vera autem erogatione intelligimus eam, qua aqua, erogata ex aliquo Aquæductu, educitur ut distribuatur, adhibeatur, consumaturque, non ut transferatur in alium Aquæductum: quando enim aqua transfertur in alium Aquæductum, vere non erogatur; sed tunc imminuitur quantitas aquæ in primo Aquæductu, ut augeatur quantitas aquæ in secundo. Appiæ igitur vera erogatio erat quinariarum 704:

nulla

Ductus vitio, qui cum sit depressior, non facile manationes ostendit, quas esse ex eo apparet, quod in plerisque Vrbis partibus [8] *præbita* aqua observatur, [9] id quod ex ea manat: sed & quasdam fistulas intra Vrbem [10] illicitas deprehendimus. Extra Vrbem autem propter pressuram libræ, [11] quæ fit *infra* terram ad caput pedibus L, nullam [12] accepit injuriam. ¶ Anioni veteri adscriptus est modus in Commentariis [1] Quinariarum MCCCCXXXXI. [2] Ad caput inveni IIII millia CCCLXXXXVIII, præter eum modum, qui in proprium Ductum Tiburtium derivatur; ¶ Art. 66.

---

nulla etenim usquam subductione quantitas hæc minuitur. Neque de hujus numeri sinceritate dubitari potest: quando integre solideque consentit cum tribus ex proximis superioribus numeris, qui nulla emendatione indiguere.

8. præbita] In Codicibus *probata* legebatur: Iocundus legit, *præbita*. Hoc autem loco hujuscemodi lectionem secutus sum: nam aquam præbitam, idest per vitia Ductuum scaturientem prolatamque in apertum dici, credibile magis est; quam dici probatam aquam, idest puram, salubrem. Quod si, pro *probata*, legere malis *prolata*, haud multum repugnabo.

9. *id quod ex ea manat*] Ex ea, scilicet ex ea Aqua Appia, pars cujus per Ductuum rimas, & vitia effluebat. In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate ita legitur, ut posuimus: in Libris antiquis legitur; *idque ex ea manasse*: in Iocundi Editione; *idque, quod ex eo manat*.

10. *illicitas*] Ita Codex Cassinensis: at Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent, *inventas*: sed præstat illa lectio; tum quia reapse illæ fistulæ erant illicitæ; tum quia Frontinus plerumque ita loquitur, ut ipse deprehendisse per se potius, quam deprehendisse res jam inventas videatur. Adde locum infra in Art. 88 similem. *Illi*, scribit Frontinus, *quoque, qui timidi illicitam aquam ducebant*.

11. *quæ fit* infra *terram*] In Codice Cassinensi locus est depravatus: videtur sic legi; *quam fit jus trā terram*: in Codice Vrbinate legitur; *quam fit vis terram*: in Iocundi Editione legitur; *quæ fit cis terram*. Malui tamen propius accedere ad litteras Cassinensis Codicis, *jus tra*, & ponere *infra* potius, quam *cis*; nam Frontinus ipse ante, in Art. 18, scripserat; *Veteres ex industria infra terram Aquas mergebant*: quo etiam in loco de hac eadem Aqua (Aquarum omnium antiquissima) verba erant. Credibile itaque est, Frontinum & in hoc loco particulam *infra* adhibuisse, non particulam *cis*, quæ rei propositæ non conveniret.

12. *accepit injuriam. Anioni veteri*] Ita perspicue Codices: Editio princeps; *accipit injuriam sicut inveni quattuor millia Anieni veteri*: Editio Iocundi; *accipit injuriam, sicut inveni Anioni veteri*.

1. *Quinariarum MCCCCXXXXI.*] Ita in Codicibus: Iocundi Editio habet 1421; sed hic numerus si adhiberetur, facta cum aliis additione, non reperiretur summa, quæ haberi debet; nimirum ea, de qua Frontinus supra in Art. 64 scripserat; *fuisse in Commentariis in universo Quinarias 12755*: quæ summa profecto habetur ponendo numerum 1441. Præstat ergo is, qui in Codicibus reperitur numerus. ¶ Art. 66.

2. *ad caput inveni IIII millia CCCLXXXXVIII*] Ita in Codicibus, & in Editione Iocundi legitur; & recte legitur, ut mox in hujus Art. Nota 4. II. demonstrabitur.

3. Qui-

tur; amplius quam in Commentariis est [3] Quinariis II millibus DCCCCLVII. [4] Erogabantur antequam ad Piscinam veniret Quinariæ CCLXII: [5] modus in Piscina, qui per mensuras positas initur, efficit Quinariarum II millia CCCLXII: intercidebant ergo inter caput & Piscinam Quinariæ MDCCLXXIIII. Erogabat post Piscinam Quinarias MCCCXXXXVIII: [6] amplius, quam in Commentariis conceptionis modum signi-

3. *Quinariis II millibus DCCCCLVII*] In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate, atque in Editionis Iocundi emendationibus ad calcem Libri positis, legitur; *Quinariis II. millibus DCCCLVII.* Huic numero numerum C addendo, ut habeatur DCCCCLVII (totusque numerus sit 2957) locus emendatus est. Namque si ex mensura fuerant inventæ ad caput quinariæ 4398, & in Commentariis erant Quinariæ 1441, his ab illis subductis, debuerunt remanere quinariæ 2957, quæ in mensura reperiebantur *amplius, quam in Commentariis* esset.

4. *Erogabantur antequam &c.*] Hoc loco narrat Frontinus quid Aquæ illi, cujus mensuram ad caput invenerat quinariarum 4398, accidisset antequam aqua ipsa a piscina efflueret: ait itaque, primum *erogabantur antequam aqua ad Piscinam veniret* quinariæ 262: Deinde piscinam influebat tanta aqua, ut ejusdem *modus, qui per mensuras* initus erat, efficeret quinarias 2362: hæ in unam summam collectæ cum illis 262, quæ erogabantur (ut modo dictum est) efficiebant quinarias 2624. Sed aqua ad caput inventa fuerat in mensura quinariarum 4398, qui numerus excedit numerum 2624 numero 1774; quid ergo his reliquis 1774 quinariis contingebat? Quid contigerit narrare pergit Frontinus his verbis; *intercidebant ergo inter caput & Piscinam Quinariæ 1774.*

II. Cum tam in Codicibus, quam in Editione Iocundi eodem modo se habeant tres ante relati numeri exprimentes quinarias 262, 2362, 1774, iidemque in unam summam collecti omnino dent numerum 4398; scilicet modum mensura inventum ad caput; statuendum omnino videtur, eundem numerum, sive modum quinariarum 4398, quem in hujus Art. Nota 2 posuimus, pro vero esse reputandum.

5. *modus in Piscina, qui per mensuras positas initur*] Supra etiam in Art. 19 scripserat ita; *modus earum* Aquarum *mensuris ibidem positis initur*. Positas autem in Piscinis mensuras nihil aliud fuisse, nisi divisiones in pedes & digitos, sculptas in basibus, & in lateribus Piscinarum, opinor. Ponamus (*Fig. XI.* ad pag. 55) ostii, caussa exempli, B divisam fuisse basim in pedes digitosque, & divisam illam longitudinem ipsius positam in conspicuo Piscinæ loco extitisse; divisum pariter fuisse ostii ejusdem latus, ut ad quodcumque punctum aqua cum ascenderet, sciretur quanta esset aquæ supra ostii basim altitudo. Hac profecto ratione dici potuerunt positæ mensuræ in Piscinis; & potuit ex observata quacumque aquæ altitudine *modus* ejusdem *in Piscina per mensuras positas iniri* juxta Frontinianam methodum; qua modus aquarum ex mensura altitudinis, atque latitudinis aquæ cognoscebatur: ut perspicue apparet ex ea metiendi ratione, qua aquam Appiam se mensum fuisse supra in Art. 65 Frontinus ipse professus est. Vide Notam 3 Art. 65. Si quis mallet per *mensuras positas* intelligere mensuras sumptas; per me licet: mihi quidem ea, quam posui, interpretatio non una de caussa magis placet.

6. *amplius, quam in Commentariis conceptionis modum significari diximus, Quinariis CLXVIIII*] Dixerat paullo ante, erogari ex hac Aqua Anione veteri, *antequam*

aqua

ſignificari diximus, Quinariis CLXVIIII : [7] minus quam recipi in Ductum *poteſt* , *ut jam* poſuimus , Quinariis MXIIII. Summa , quæ inter caput & Piſcinam , & poſt Piſcinam intercidebat , [8] Quinariarum II millium DCCLXXXVIII: quod errore menſuræ fieri ſuſpicarer , niſi inveniſſem ubi [9] averterentur.

¶ Mar-

aqua ipſa *ad Fiſcinam veniret* , Quinarias 262: deinde addidit, erogari *poſt Piſcinam Quinarias* 1348 ; hiſque collectis cum illis , erogabantur in ſumma quinariæ 1610. At in Commentariis conceptionis (ideſt in iis Commentariis , in quibus quantitas conceptionis ſingularum Aquarum , ſeu menſura a capite inita , continebatur) modus erat quinariarum 1441 ; & , his ſubductis a quinariis 1610 , remanent quinariæ 169 : ergo in iis , quæ erogabantur , quinariis 1610 , *erogabantur amplius quam in* Commentariis quinariæ 169 . Ex hac itaque demonſtratione numerum CLXVIIII reſtitui. In Codice Caſſinenſi legitur ; *ſexaginta novem* : in Vrbinate ; *LXVIII*: in Editione Iocundi ; *LXIII*: ſed, qui numerus recte legendus eſſet, in obſcuro manere non poterat.

7. *minus , quam recipi in Ductum* poteſt , ut jam *poſuimus* , *Quinariis MXIIII.*] Ideſt, erogabat *Quinarias* 1014 *minus* , *quam in Ductum recipi poteſt* a Piſcina ; in quam recipi poterant quinariæ 2362 ; *ut jam poſuimus*. Vt clarius intelligamus hunc locum , qui certe aliqua indigebat emendatione , animadvertere præſtat ; Frontinum erogationem aquæ cum duobus ante inventis aquæ modis comparare voluiſſe : ſcilicet primum cum eo , *qui in Commentariis conceptionis ſignificabatur* , modo ; deinde eum modo *in Piſcina per menſuras poſitas* inito . Primam itaque comparationem jam fecit ; atque invenit , eam erogationem abſumere aquæ *amplius* , quam *in Commentariis conceptionis modus ſignificabatur* , Quinariis 169 . Nunc autem alteram comparationem faciens ſtatuit , erogationem poſt Piſcinam abſumere aquæ minus , quam Ductus poſt Piſcinam recipere poſſet (recipere autem poterat quinarias 2362) quinarias 1014 . Et quidem *modus in Piſcina efficiebat Quinarias* 2362 , ac erogatio poſt Piſcinam efficiebat quinarias 1348 , quæ ab illis 2362 ſubtractæ relinquunt quinarias 1014 ; ergo ille modus erogationis quinariarum 1348 abſumebat quinarias 1014 minus, *quam* poterat *recipi in Ductum* a Piſcina.

II. In Codice Caſſinenſi legitur ; *minus , quam recipi in ductum p̃ iis ei nam poſuimut quinarias mille decem quattuor*: ita etiam in Codice Vrbinate , niſi quod , pro *p̃* legitur *poſt*: in Editione Iocundi legitur ; *minus , quam recipi in ductum poteſt , nam poſuimus quinarias MXIIII* : ſed in hac Editione mendum manifeſtum eſt ; neque enim uſpiam Frontinus poſuit *Quinarias MXIIII* . Attendens ego Frontini ſententiam , & verbum *poſuimus* , inter verba *Ductus* , & *Quinarias* ſcripſi pro *p̃ iis ei nam poſuimus* , ſcripſi (inquam) *poteſt* , *ut jam poſuimus*: ſecutus quæ meliora viſa ſunt ad emendationem principia ; ut germana (ni peſſime fallor) Frontini ſententia reſtitueretur.

III. Anionis veteris itaque diſtributio , ſeu vera erogatio erat quinariarum 1610: cum hanc ſummam efficiant quinariæ 262 erogatæ ante Piſcinam , & quinariæ 1348 poſt Piſcinam erogatæ : neque ulla ſubductione quantitas hæc minuitur . Si mutaretur hæc ſumma , deberent mutari plures ex proximis numeris , qui in Codicibus , & Iocundi Editione conſentiunt.

8. *Quinariarum II millium DCCLXXXVIII.*] Si poſt Piſcinam erogabantur , ut in Nota præcedente oſtendimus , quinariæ 1014 minus , quam reciperentur in Piſcinam ; liquet , has quinarias 1014 intercidiſſe : quare ſi hæ colligantur in unam ſummam cum quinariis illis 1774 , quæ *intercidebant inter caput , & Piſcinam* , efficientur pro ſumma quinariæ 2788 .

9. aver-

¶ Art. 67. ¶ Marciæ in Commentariis adſcriptus eſt modus Quinariarum II millium CLXII. Ad caput menſus inveni Quinariarum IIII millia DCLXXXX: [1] amplius, quam in Commentariis eſt, Quinariis II millibus DXXVIII. Erogabantur antequam ad Piſcinam perveniret Quinariæ LXXXXV; & dabantur in adjutorium Tepulæ Quinariæ LXXXXII; item Anioni Quinariæ CLXIIII: [2] ſumma, quæ erogabatur ante Piſcinam, Quinariæ CCCLI. Modus, qui in Piſcina menſuris poſitis initur, [3] cum eo, qui circa Piſcinæ Ductum eodem canali in arcus excipitur, efficit Quinariarum II millia DCCCCXXXXIIII. Summa, quæ aut erogatur ante Piſcinam, [4] aut *quæ* in arcus recipitur, Quinariarum III millium

9. *averterentur.*] Ideſt averterentur quinariæ intercidentes. Codices perſpicue habent, ut ſcripſimus: in Editione Iocundi, poſt *averterentur* legitur numerus *mille CLXII*, qui ex depravatiſſimo loco hoc in principe Editione originem habuiſſe videtur.

¶ Art. 67. 1. *amplius, quam in Commentariis eſt, Quinariis II millibus DXXVIII*] Ad caput inventæ fuerant quinariæ 4690, & in Commentariis erant tantum quinariæ 2162; his ex illis ſubductis remanent quinariæ 2528; quæ certe in menſura ad caput erant *amplius, quam* in Commentariis. In his tribus numeris conſentiunt Codices, & Iocundi Editio. Præterea hi numeri ſuccedente ſubductionis operatione probantur.

2. *ſumma, quæ erogabatur ante Piſcinam, Quinariæ CCCLI*] Summa hæc componitur & ex quinariis 95, quæ erogabantur antequam aqua perveniret ad piſcinam, & ex quinariis 92 datis Tepulæ, & ex quinariis 164 datis Anioni. Tres numeri 95, 92, 164 in unam ſummam collecti efficiunt 351; ut in Codicibus, & Editione Iocundi legitur: manifeſto indicio, tum numeros ante collectionem, tum ſummam ipſam recte legi.

3. *cum eo, qui circa Piſcinæ Ductum eodem canali in arcus excipitur*] Ita Iocundi Editio, & Codex Vrbinas; niſi quod hic, pro *qui*, habet *quid*: Codex Caſſinenſis, pro verbis *cum eo, qui*, habet; *quo in eo quod*. Secutus autem ſum Iocundi lectionem; cum ſententia ipſa & conſenſus lectionis in Vrbinate Codice id hic perſuadere viderentur. Ad hunc vero locum explicandum, exiſtimo concipiendum eſſe, ita rem ſe habuiſſe: ex canali, per quem aqua perducebatur ad Piſcinam, partem aquæ influxiſſe Piſcinam, & deinde ex ipſa Piſcina in arcus (ideſt in Ductum arcubus ſuſtentatum) fuiſſe introductam; partem vero reliquam, non per Piſcinam, ſed *per eundem* productum *canalem circa Piſcinæ Ductum* (ideſt circa Ductum, per quem ducebatur aqua effluens a Piſcina) fuiſſe exceptam in arcus: talis enim aquæ modus dici poterat is, *qui circa Piſcinæ Ductum eodem canali in arcus* exciperetur.

4. *aut* quæ *in arcus recipitur, Quinariarum III millium CCLXXXXV*] Erogabantur ante Piſcinam quinariæ 351; excipiebantur in arcus quinariæ 2944; qui duo numeri efficiunt ſummam quinariarum 3295. Numeri iidem leguntur tam in Codicibus, quam in Editione Iocundi: ac tamquam genuini ipſa etiam additione confirmantur. At in Codicibus, pro verbis *aut quæ in arcus*, legitur; *aut quinarias*

millium CCLXXXXV; amplius, quam [5] in conceptis Commentariorum positum est, [6] Quinariis MCXXXIII; [7] minus, quam mensuræ ad caput actæ efficiunt, Quinariis MCCCLXXXXV. Erogabat post Piscinam Quinarias MDCCCXXXX; [8] minus, quam in Commentariis conceptionis significari diximus, Quinariis CCXXVII; [9] minus, quam ex Piscina in arcus recipiuntur, sunt Qui-

---

rias arcus: in Editione Iocundi legitur; *aut in arcu recipitur:* sed satis verisimilis visa nobis est ea, quam apposuimus, emendatio.

5. *in conceptis Commentariorum*] Pro *conceptis Commentariorum* intelligendum, opinor, id, quod in Commentariis positum erat.

6. *Quinariis MCXXXIII*] In conceptis Commentariorum erant quinariæ 2162: summa, quæ aut erogabatur ante Piscinam, aut recipiebatur in arcus erat quinariarum 3295, qui numerus numerum 2162 excedit numero 1133: ergo illæ quinariæ 3295 sunt amplius, quam hæ quæ in conceptis Commentariorum erant, quinariis 1133.

7. *minus, quam mensuræ ad caput actæ efficiunt, Quinariis MCCCLXXXXV*] Mensuræ ad caput actæ dabant quinarias 4690, si ex his subducantur quinariæ 3295 nimirum summa quinariarum, quæ aut erogabantur ante Piscinam, aut recipiebantur in arcus, reliquum erit quinariarum 1395. Tot igitur quinariis minus erat in summa illa quinariarum 3295, quam esset in mensuris quinariarum 4690 ad caput actis.

II. Quare tot quinariæ, nimirum 1395, ante Piscinam intercidebant.

8. *minus, quam in Commentariis conceptionis significari diximus, Quinariis CCXXVII*] *Erogabantur ex Marcia antequam ad Piscinam perveniret Quinariæ 95*. Nam quinariæ illæ 92, quæ dabantur in adjutorium Tepulæ, & quinariæ illæ 164, quæ dabantur in adjutorium Anioni non pertinebant ad distributionem, veramque erogationem Marciæ; sed ad veras erogationes Tepulæ, atque Anionis.

II. Et erogabantur *post Piscinam quinariæ* 1840: ergo summa veræ erogationis erat quinariarum 1935: hisce subductis a quinariis 2162, quæ significabantur in Commentariis conceptionis, remanent quinariæ 227: sic tota erogatione erogabatur *minus, quam in Commentariis conceptionis* erat, *quinariis* 227.

III. Marciæ itaque distributio, seu vera erogatio erat quinariarum 1935; quod satis constat ex iis, quæ ante dicta sunt: si mutaretur hæc quantitas erogationis, deberent mutari plures ex proximis numeris, qui in Codicibus, & Libris editis consentiunt.

IIII. Erogatio autem ejusdem Marciæ latiore modo sumta, computatis etiam quinariis 92, & 164, quæ dabantur in adjutorium Tepulæ, & Anioni, erat quinariarum 2191.

9. *minus, quam ex Piscina in arcus recipiuntur, sunt Quinariæ MCIIII.*] Postquam Frontinus comparavit totam erogationem cum tota quantitate, quæ erat in Commentariis; nunc comparat erogationem post Piscinam cum quantitate aquæ ex Piscina in arcus receptæ. Hæc autem quantitas erat quinariarum 2944; a quibus, subtrahendo quinarias 1840 erogationis post Piscinam, remanent quinariæ 1104. Quinariis igitur 1104 *minus, quam ex Piscina in arcus reciperetur*, erogabatur post Piscinam.

II. Ergo quinariæ istæ 1104 post Piscinam intercidebant:

III. Illi autem quinariarum numeri 1840, 227, 1104 eodem modo in Codicibus,

Quinariæ MCIIII. Summa utraque, quæ intercidebat, aut inter caput & Piscinam, aut post Piscinam, [10] Quinariarum II millium CCCCLXXXXVIIII; quas, sicut in ceteris, pluribus locis intercipi deprehendimus. [11] Non enim eas cessare, manifestum est [12] & ex hoc, quod *ad* caput [13] præter eam mensuram, quam comprehendisse nos capacitate Ductus posuimus, [14] effunduntur amplius CCC Quinariæ.

¶ Art. 68. ¶ Tepulæ in Commentariis adscriptus est modus Quinariarum CCCC. Hujus Aquæ fontes nulli sunt: venis quibusdam constabat, quæ interceptæ sunt in Iulia. Caput ergo ejus observandum est a Piscina Iuliæ; ex ea enim primum accipit Quinarias CLXXXX; [1] deinde statim ex Marcia Quinarias LXXXXII; præterea

---

& Editione Iocundi leguntur. Insuper duplici, ut vidimus, subtractione probantur.

10. *Quinariarum II millium CCCCLXXXXVIIII*] Intercidebant ante Piscinam, ut ostendimus in hujusce Art. Nota 7. II. quinariæ 1395: post Piscinam vero, ut ostendimus in Nota præcedente II. intercidebant quinariæ 1104: ab illis cum his in unam summam collectis efficiebantur quinariæ 2499; idest, *Summa utraque Quinariarum, quæ intercidebat aut inter caput & Piscinam, aut post Piscinam*. In Codicibus, & Editione Iocundi legitur; *quinariarum II millium quingentarum*. Puto numerum aliquando fuisse scriptum non verbis, sed litteris ita MMID; eum vero Scriptorem, cui placuit in Codicibus numerum non notis numerorum, sed verbis exprimere, unitatis I demendæ fuisse oblitum. Certe numerus, recte positus, esse debet 2499. Neque faciliter crediderim, hoc in loco Frontinum nostrum quinariam integram neglexisse, ut rem numero rotundiore, ut ajunt, exprimeret.

11. *Non enim eas cessare, manifestum est*] Scilicet; non enim eas aquæ quinarias 2499 deficere propter paupertatem aquæ fontium, manifestum est &c.

12. *& ex hoc, quod* ad *caput &c.*] In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate legitur; *& ex hoc eo quod caput*: in Editione Iocundi legitur; *etiam ex hoc eo quod e capite*. Sed particulæ illæ, *hoc eo*, mendum continere visæ sunt; quippe quæ explicari satis recte non possunt: quare particulam *eo*, facile intrusam, expunxi. Addidi vero particulam *ad*, quam requiri a voce *caput*, manifestissimum est, quandoquidem Frontinus in similibus locis dictione hac, *ad caput*, uti semper consuevit.

13. *præter eam*] Ita Codex Vrbinas, & Editio Iocundi: in Codice Cassinensi legitur; *ꝓ tantam*: sed si verbum *tantam* dividas; scribasque *ꝓ tan tam*, videbis ambiguitatem oriri potuisse tum ex vitiis litterarum, tum ex verborum divisione haud satis apparente.

14. *effunduntur amplius CCC Quinariæ*] Idest; tam sunt aquarum divites fontes, ut effundantur extra Ductum amplius CCC quinariæ; quæ, Ductu jam pleno, nequeunt capacitate ipsius contineri.

¶ Art. 68. 1. *deinde statim ex Marcia Quinarias LXXXXII*] Hoc idem scripserat etiam ante in Art. 67 Frontinus noster: Marciæ etenim Aquæ distributionem recensens, posue-

terea ex Anione novo [2] ad Hortos Epaphroditianos Quinarias CLXIII. [3] Fiunt omnes Quinariæ CCCCXXXXV; amplius, quam in Commentariis, [4] Quinariis

---

posuerat verba hæc ; *& dabantur in adjutorium Tepulæ quinariæ 92* . At Fabrettus, in Num. 217, verba faciens de quibusdam cisternis, quas fuisse Piscinas antiquas suspicatur, hunc Frontini locum profert, deinde subjungit; *Quæ si ita intelligenda sunt, nec in Frontino mendum inest; possitque aliqua ratione ex Aqua Marcia inferiori, Tepulæ, quæ superior erat, supplementum adjungi; jam noster piscinarum ordo invertetur &c.* Porro ego mihi facile persuadeo, nullum *in Frontino mendum inesse* ; nam hæc translatio aquæ ex Ductu Marciæ in Tepulæ Ductum bis (ut paullo ante notavi, notaveratque etiam Fabrettus) ponitur ; atque definitur eadem utrobique quantitas quinariarum 92 : quare credibile mihi non fit, eundem errorem in eadem re semper contigisse.

II. Præterea videtur mihi manifesta esse ratio, qua *potuerit ex Aqua Marcia inferiori, Tepulæ, quæ superior erat, supplementum adjungi* : quando enim Frontinus supra in Art. 18 verba fecit de Aquarum altitudinibus, attendit dumtaxat libram, qua Aquæ *in Vrbem proveniebant*. Veniebant autem in Vrbem super eosdem arcus (ut in Notis 11. II. Art. 9, & 6 Art. 19.) Iulia, Tepula, & Marcia ita, ut Marciæ quidem rivus inferior esset Tepulæ rivo, proxime tamen inferior: sed antequam Marciæ, & Tepulæ rivi in eosdem arcus reciperentur, facillime potuit ex Marciæ rivo deduci aqua, quæ induceretur in rivum Tepulæ: facillime (inquam) potuit, cum Marcia *capite etiam Claudiæ*, altioris Tepula, *libram æquaret*; quemadmodum Frontinus ipse ante in Art. 18 affirmavit. Vt igitur a capite Claudiam Marcia altitudine æquabat; ita mirum non est, factum fuisse, ut alibi Tepulam æquaret.

2. *ad Hortos Epaphroditianos*] Horum Hortorum nulla (quod sciam) apud veteres Authores mentio reperitur, præter jejunam istam a Frontino hic factam. Donatus in Lib. III. Cap. 23 opinatur, hos Hortos pertinuisse ad Epaphroditum, qui Neronis fuit Libertus, eidemque a libellis.

3. *Fiunt omnes Quinariæ CCCCXXXXV.*] Nam quinariæ ex Iulia 190, ex Marcia 92, ex Anione novo 163 dant in summa quinarias 445. Ita numeri eodem modo in Codicibus, & Iocundi Editione exhibiti probantur cum ex justa hac additione, tum etiam ex subtractione: ubi enim modus *Quinariarum quadringentarum*, qui erat *in Commentariis*, subtrahitur ex his quinariis 445, apparet, illas ab his superari quinariis 45 ; ut a Frontino prorsus asseritur his verbis ; *Fiunt omnes Quinariæ 445 ; amplius, quam in Commentariis, Quinariis 45*.

4. *Quinariis XXXXV ; quæ in erogatione comparent*] Dixerat Frontinus, Tepulæ *in Commentariis ascriptum esse modum Quinariarum CCCC* : sed ex mensuris inventas fuisse quinarias 445 ; *amplius, quam in Commentariis, quinariis XXXXV*. Ne quis itaque de mensuris dubitaret, subdit ; alio modo excessum illum quinariarum 45 supra 400 posse probari: nimirum quod, præter quinarias 400, etiam quinariæ 45 in erogatione compareant. Cassinensis Codex habet ut edidimus : Codex Vrbinas habet, *quæ in eroganiur, nec comparent* : in Iocundi Editione legitur ; *quæ inde eroganiur nec comparent*; quasi illæ 45 quinariæ fuissent interceptæ. Sed sententia illa Codicis Cassinensis multo magis ad rem facit: nam (ut apertissimo exemplo utar) etiam infra in Art. 70 mensuras Aquæ Virginis probat eodem modo ex erogatione Frontinus; asseritque, talem *approbationem expeditissimam esse*.

II. Tepulæ itaque justa erogatio erat quinariarum 445 : nulla etenim subductione quantitas hæc minuitur. Quod si mutaretur hæc quantitas, deberet etiam mutari tota illa sententia ; *amplius, quam in Commentariis, Quinariis XXXXV, quæ in erogatione comparent*.

¶ Art. 69. riis XXXXV; quæ in erogatione comparent. ¶ Iuliæ in Commentariis adscriptus est modus Quinariarum DCXXXXVIIII. ad caput mensura iniri non potuit, quoniam [1] ex pluribus acquisitionibus constat; [2] sed ad VI ab Vrbe milliarium universa in Piscinam recipitur, [3] ubi modus ejus manifestis mensuris efficit Quinarias MCCVI: [4] amplius quam in Commentariis Quinariis DLVII. Præterea accepit prope Vrbem, [5] post Hortos Pallantianos, ex Claudia Quinarias CLXII. [6] Est omne Iuliæ in acceptis Quinariæ

¶ Art. 69.

1. *ex pluribus acquisitionibus*] Acquisitionum nomine intelligo derivationes aquarum ex scaturiginibus suis in Ductus. Quæ aquæ sparsim fluxissent, nisi fuissent acquisitæ; idest derivatæ, ut plures una ducerentur. Quare nomine acquisitionum aliquando etiam quantitates aquæ ad caput inventæ venire possunt. Vide Notam 8 Art. 9.

2. *sed ad VI*] In Codice Cassinensi lacuna visitur, locusque integer talis est; *ex pluribus acquisitionibus constat, set ...... sextum ab Vrbe milliarium*: & pariter in Codice Vrbinate legitur; *sed ...... ad sextum ab Vrbe milliarium*: propter verba illa *sextum ab Vrbe milliarium* particula *ad* adjungenda prorsus videbatur. In Iocundi Editione legitur; *& ad sextum*: verum particula illa *sed* videtur melius cum ceteris verbis cohærere.

3. *ubi modus ejus manifestis mensuris &c.*] Prius dixerat Frontinus, *ad caput mensuram non posse iniri*; quapropter reliquum erat, ut ostenderet ad quem locum iniri posset: ostendit autem, cum locum ibi fuisse, ubi *ad sextum ab Vrbe milliarium universa* aqua *in Piscinam recipitur*; nunc subdit, quænam eo in loco esset ipsa mensura, atque asserit, *ibi* (idest in Piscina) *modus ejus manifestis mensuris efficit Quinarias* 1206.

4. *amplius, quam in Commentariis, Quinariis DLVII*] Ita in Codicibus Cassinensi, & Vrbinate: at in Iocundi Editione legitur; DLIII: sed supputatio pro Codicibus facit. Quinariis enim 649, quarum modus adscriptus erat in Commentariis, subductis de quinariis 1206 mensuræ in Piscina inventæ, reperitur inventæ mensuræ excessus supra id, quod in Commentariis continebatur, quinariarum 557. In numeris autem illis 1206, & 649 Codices Cassinensis, & Vrbinas, atque Iocundi Editio consentiunt.

5. *post Hortos Pallantianos ex Claudia Quinarias CLXII*] Rivus, per quem hæc Aquæ Claudiæ pars ducebatur in rivum Aquæ Iuliæ, delineatur in *Fig. VI*, ad pag. 15, ubi sunt litteræ h æ. Citata vero Frontini verba refero ad locum h; quo in loco ex Claudiæ Ductu quinariæ istæ 162 hauriebantur; non ad locum æ, ubi istæ quinariæ inducebantur in rivum Iuliæ. Neque enim *post Hortos Pallantianos* Claudiæ Aquæ pars pertingere poterat Iuliæ rivum, atque in eum influere; cum Iuliæ arcus nequaquam transierint *post Hortos Pallantianos*; ut liquere potest ex iis, quæ dicta fuere supra in Nota 11 Art. 19.

6. *est omne Iuliæ in acceptis Quinariæ MCCCLXVIII*] Ita in Codicibus, & in Iocundi Editione. Præterea, si in Piscina modus erat quinariarum 1206, cum his adduntur quinariæ 162 post Hortos Pallantianos receptæ ex Claudia, fit *omne Iuliæ in acceptis Quinariæ* 1368.

7. ex

riæ MCCCLXVIII: [7] ex eo dat in Tepulam Quinarias CLXXXX; erogat suo nomine DCCCIII. [8] Fiunt, quas erogat, Quinariæ DCCCCLXXXXIII: amplius quam in Commentariis [9] habet Quinarias CCCXXXXIIII; [10] minus, quam in Piscina habere posuimus, CCXIII; quas ipsas apud eos, qui sine beneficiis Principis usurpabant, [11] deprehendimus. ¶ Virgini in Commentariis adscriptus est modus [1] Quinariarum DCCLII minus. ¶ Art. 70.

---

7. *ex eo dat in Tepulam Quinarias CLXXXX*] Congruit locus cum iis, quæ in Art. præcedente scripta leguntur; ubi de Tepula verba hæc: *Capue ergo ejus* (Tepulæ) *observandum est a Piscina Iuliæ. Ex ea enim primum accipit Quinarias 190.*

8. *fiunt, quas erogat, Quinariæ DCCCCLXXXXIII*] Dabat Iulia *in Tepulam Quinarias* 190, erogabat *suo nomine quinarias* 803; quæ in unam summam collectæ efficiunt quinarias 993: ergo fiebant, quas (latiore modo proposita erogatione) erogabat Iulia, *quinariæ 993*.

II. Sed distributio, seu vera erogatio Iuliæ erat quinariarum 803: nam illæ 190, quæ dabantur in Tepulam pertinebant ad veram erogationem Tepulæ, non autem ad veram Iuliæ erogationem. Si mutaretur hæc quantitas, deberent mutari duo ex proximis numeris, qui in Codicibus, & Iocundi Editione consentiunt; & præterea alii duo, qui in Codicibus (servatis duobus illis) mutatione non indigent.

9. *habet Quinarias CCCXXXXIIII*] Iulia habet *in Commentariis ascriptum* (ut narratum fuit) *modum Quinariarum 649*: erogat in summa *Quinarias 993*; illæ ex his subductæ relinquunt quinarias 344: ergo Iulia erogationis *habet amplius, quam in Commentariis Quinarias* 344. In Cassinensi Codice, & in Vrbinate legitur; *habet quinarias trecentas quadraginta quatuor*; & recte: non ita vero in Editione Iocundi, in qua legitur, *quinariæ CCCXLIII*.

10. *minus, quam in Piscina habere posuimus, CCXIII*] in Piscina modus efficiebat quinarias 1206; erogatio in summa erat quinariarum 993; his subductis ex illis remanebant quinariæ 213: ergo Iulia habebat in erogatione *minus, quam in Piscina* haberet, quinarias *CCXIII*. Recte quidem numerus hic intelligitur ex Cassinensi Codice, cum quo consentit Codex Vrbinas, legitur enim; *minus, quam in Piscina habere posuimus ducentis decem tribus*. In Iocundi Editione perperam legitur *CXXIII*: prima littera X (ut opinor) in locum litteræ C illapsa.

11. *deprehendimus*] Frontinus noster (ne quis suspicaretur, ipsum aut errore, aut fraude supputationis, finxisse, Iuliæ erogationem minorem esse quinariis 213) non modo ostendit, sibi constare de mensura ad Piscinam, & de erogatione, ex quibus per subductionem rationum de his reliquis quinariis 213 constare satis poterat; verum etiam ostendit, se has ipsas quinarias reliquas re ipsa, præter subductionem rationum, cognovisse.

1. *Quinariarum* DCCLII *minus*.] Idest quinariarum non perfecte 752, sed tantillum deficientium: deficientium tamen minus una quinaria; namque, si unius solidæ quinariæ fuisset defectus, scripsisset Frontinus *Quinariarum* 751. Vt vero scripsimus, ita legitur in Editione principe, & in Editione Iocundi: at in utroque Codice legitur; *quinariarum DCLII*. Ratus vero sum, numerum illum *DCCLII*, qui in editis Libris legitur, esse retinendum; propterea quia cum reliquis numeris, qui erant in Commentariis ita convenit; ut, eo numero 752 cum ceteris collecto, fiat *in universo* Summa Quinariarum 12755, de quibus dictum fuit in Nota 3 Art. 64: ¶ Art. 70.

minus. Mensura ad caput inveniri non potuit, quoniam ex pluribus acquisitionibus constat, [2] & leniore rivo intrat; [3] prope Vrbem tamen ad milliarium VII [4] in agro, qui nunc est Cejonii Commodi, ubi [5] velo-

---

quæ Summa nequaquam haberetur, posito numero 652. Cum tamen numerus Summæ illius recte positus esse omnino videatur, propter consensum (ut ostendimus jam in Nota 5 Art. 64) trium numerorum 14018, 12755, 1263; qui eodem prorsus modo & in Codicibus, & in Iocundi Editione leguntur.

2. *& leniore rivo intrat*] Rationem afferre Frontinus voluit, cur *mensura ad caput inveniri non potuerit*; scripsitque, *quoniam ex pluribus acquisitionibus constat* (subaudi Aqua Virgo) postea subjungit, *& leniore rivo intrat*. Porro particula *&*, ac res ipsa effecere, ut putaverim, lenioris rivi mentionem factam fuisse, ut adderetur alia ratio, cur mensura ad caput non potuerit inveniri: ideoque citata illa verba, contra ac in Codicibus, & in editis Libris est, a sequentibus verbis sejunxi.

3. *prope Vrbem tamen ad milliarium VII*] In Iocundi Editione deest particula *tamen*; quæ in Cassinensi, & Vrbinate Codice reperitur. Citata hæc verba referenda esse ad præcedentia verba, *& leniore rivo intrat*, non videbantur propter jam dicta in superiore Nota: verum, ut ipsa verba, *prope Vrbem*, conjungi recte queant cum subsequentibus verbis, *ad milliarium VII*, particula prope, tamquam si esset hæc *propius*, assumi debet. Enimvero, si ipsius particulæ *prope* significatio stricte sumatur, cum Aqua Virgo conciperetur ad milliarium octavum, facile non apparet; qua deinde ratione ager ad milliarium septimum ceu *prope Vrbem* existens haberi posset. Conjeci itaque, laxiore interpretatione adhibita, totum locum esse intelligendum ita: *mensura ad caput inveniri non potuit*, in loco tamen propius Vrbem, quam caput, mensura potuit inveniri. Vt verum tamen fatear; valde suspicor, mendum subesse in milliariorum numero: quæ si pauciora erant, quam septem (puta duo, vel tria) jam sensus evadit perspicuus, atque manifestus.

4. *in agro, qui nunc est Cejonii Commodi*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas: nisi quod, pro nomine *Cejonii*, ille habet nomen *Celonii*, hic nomen *Ceroni*: Editio Iocundi habet; *in agrum, qui nunc est Ceroni Commodi*. Nos Cassinensem Codicem præsertim secuti sumus; si excipias indicatam emendationem nominis Celonii in nomen Cejonii: hoc enim ultimum persacili litteræ *i* in *l* mutatione fuisse vitiatum, opinamur: & quidem Petrus Victorius in Variarum Lectionum eruditissimo Opere, Lib. XXXVII Cap. 11 probat, *commutasse sæpe inter se Librarios in vetere scribendi ratione litteras I & L; & commutasse in nostra quoque scribendi ratione litteras i & l, & alteram pro altera cepisse*.

II. Porro Frontinus hoc loco aliquod illustre nomen & plerisque notum ponere voluit. Cur enim ut notum agrum faceret, obscurum, ignotumque Hominem nominavisset? At reperio ab Adriano adoptatum fuisse Cejonium Commodum, qui deinde (ut Spartianus scribit in AElio Cæsare) præter cetera quæ obtinuit nomina, *Cæsar appellatus est*: cujus, eodem Spartiano teste, *Majores omnes nobilissimi*; consentitque cum Spartiano Capitolinus in Vero Imperatore. Hujus itaque AElii Veri pater fuit Cejonius Commodus, qui consulatum gessit anno V. C. 857; Avus autem (ut, præter ceteros, ostendit Henricus Noris in Epistola Consulari pag. 49) Consul pariter fuit; isque anno V. C. 829; nimirum antequam Frontinus noster scriberet hosce de Aquæductibus Libros. Quamobrem credibile omnino est, Frontinum nominavisse eum Commodum, cui Cejonio nomen erat: & illustre illud nomen, quod hic positum remur, nomen Cejonii Commodi aut patris, aut avi ejus Cejonii Commodi, qui deinde Cæsar fuit appellatus, esse habendum.

[5] velociorem sane cursum habet, mensuram egi, quæ efficit Quinariarum 11 millia DIIII: [6] amplius, quam in Commentariis, Quinariis *MDCCLII.* [7] Omnibus appro-


bendum. Adde, si vis, hisce argumentis auctoritatem Petri Pithœi, qui Libro suo (ut refert Opsopœus in Nota ad hunc locum) adscripserat nomen *Cejonii Commodi.*

5. *velociorem sane cursum*] In Codice Cassinensi legitur, *velociorem sani cursum:* loco *sani* substitui *sane*; ne a Codice Cassinensi recederem. In Editione Iocundi, & in Codice Vrbinate legitur dumtaxat, *velociorem cursum*. Si quis dicat, Frontinum hic non consideravisse eodem modo aquam intrantem *leniore rivo*, ac aquam cujus erat *velocior cursus*; huic adstipulabor. Prorsus enim liquet, vel ex hoc loco, Frontinum (qui certe velocitatis aquæ considerationem alicubi neglexit) comparavisse aliquando velocitatem majorem cum minore; atque tunc ab eodem Frontino aliquam (incertam tamen, indeterminatamque) rationem velocitatis aquæ fuisse habitam.

II. Quoniam vero altitudinem ac latitudinem aquæ fluentis ubi cursus erat lenior, cum velocitate ejusdem aquæ fluentis non ita Frontinus confert; ut ex his, una conjunctis, nobis demonstret quantitatem aquæ ibi fluentis; neque nobis demonstret quantitatem aquæ fluentis illis in locis, in quibus velocior erat rivi cursus: iccirco statuendum videtur, nullius veræ Doctrinæ de aquarum fluentium mensura indicium hoc loco afferri; ac perperam a Fabretto citari in Num. 232 hunc locum contra Castellium. Namque Castellius, cum doceat & ex nota altitudine ac latitudine aquæ fluentis, & ex nota ejusdem aquæ velocitate cognoscendam esse præcise quantitatem ejusdem aquæ fluentis, profecto docet aliquid omnino necessarium, quod in citatis Frontini verbis nullo modo docetur.

6. *amplius, quam in Commentariis, Quinariis* MDCCLII] Nam mensura inventa fuit quinariarum 2504; modus ex Commentariis erat (secundum eam, quæ diximus in Nota 1 hujusce Art.) quinariarum 752; his subtractis ex illis, remanent quinariæ 1752: quæ in mensura fuerunt inventæ esse *amplius, quam in Commentariis*. In Cassinensi Codice legitur; *ille octingentis quinquaginta .... tribus approbatio*: in Codice Vrbinate legitur; *mille DCCCL ...... nibus approbatio*: in Editione Iocundi legitur; *MDCCLII. Omnibus approbatio*. Porro verbum *omnibus*, pro eo *tribus*, aut *nibus*, quod in Codicibus legitur, rectissime positum reor. At quod attinet ad numeri hujusce 1852, qui in Codicibus legendus videretur, mutationem in numerum 1752; libere dicam, me id ægre fecisse: propterea quia numerus hic, 1852, conjunctus cum numero illo 652, qui in Codicibus legitur (ut diximus in Nota 1 hujusce Art.) restituit numerum 1504, qui restitui debet. Sed quoniam mutatio numeri illius 652 prorsus necessaria visa est; ut ex citata modo Nota satis liquet: iccirco non potui hunc etiam numerum 1852 non mutare; atque, ut in priore numero feceram, in hoc quoque præeuntem Iocundum sequi: hac differentia inter Codices, & Editionem Iocundi ansam aliquam mihi præbente, ne errorem hunc Frontino adscriberem; ut adscripsi errorem eum; de quo infra, in Nota 5 Art. 73. verba fient. Nolui tamen prætermittere; quin eum, qui me impediebat scrupulus, & qui nondum integre exemptus est, indicarem. Ceterum numeri reliqui ad Virginem Aquam pertinentes, in Codicibus, & in Editione Iocundi iidem leguntur.

7. *Omnibus approbatio nostra &c.*] Hunc locum sic interpretandum opinor: *Omnibus*, quæ afferri possent, *approbatio* (idest confirmatio inventæ mensuræ.) *nostra expeditissima est: erogat enim* Aqua Virgo *omnes* quinarias, *quas mensura deprehendimus; idest* 2504. Nam evidens illud fit; quod, si quinariæ 2504 erogabantur, necesse erat, eas constitisse etiam in loco, ubi mensura acta fuerat.



approbatio noſtra expeditiſſima eſt. Erogat enim omnes, quas menſura deprehendimus, [8] ideſt duo millia DIIII. ¶ Art. 71. ¶ Alſietinæ conceptionis modus nec in Commentariis adſcriptus eſt, nec in re præſenti certus inveniri potuit; [1] cum ex Lacu Alſietino, & deinde

---


II. Virginis itaque juſta erogatio erat quinariarum 2504; nulla etenim ſubductione hæc quantitas minuenda: quæ ſi mutaretur, deberet etiam mutari tota illa ſententia: *erogat enim omnes, quas menſura deprehendimus: ideſt 2504.*

8. *ideſt duo*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *ad duo*.

¶ Art. 71. 1. *cum ex Lacu Alſietino*] Quando ſupra, in Art. 11, veni ad verba, *Alſietina concipitur ex Lacu Alſietino, Via Claudia, milliario XIIII, Diverticulo dextrorſus paſſuum VI millium D. Ductus ejus efficit longitudinem paſſuum XXII millium CLXXII*, ſine mora progreſſus ulterius ſum; ratus, ex antiquæ Geographiæ Scriptoribus citata loca ſatis eſſe nota. At quando ad hæc verba, *cum ex Lacu Alſietino, & deinde circa Carejas ex Sabatino*, perveni, cœpique Alſietinum Lacum a Sabatino diſtinctum velle, conſultique antiquæ Geographiæ Scriptores; mirum, in quantas difficultates inciderim (ne dicam quot errores offenderim: de iis enim, qui minus pertinent ad rem noſtram, mentionem lubens hic prætermittam) Vt ergo utrumque Frontini locum explicarem, ab antiquæ Viæ Claudiæ perquiſitione exorſus; primum vidi, a Nicolao Bergerio in Opere, cui latine reddito titulus eſt, *de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis* Lib. III. Sect. 22 citari duos Ovidii verſus (quos poſtea ab aliis multis citatos reperi) ex Lib. I. *de Ponto* Epiſt. 8:

Nec quos piniferis poſitos in collibus Hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta Viæ.

Hinc extra dubitationis aleam eſt, Claudiam Viam (ſive Clodiam, utroque enim modo nomen hoc, a Claudia Gente ortum, ſcriptum reperitur) fuiſſe Viæ Flaminiæ ramum. Iunctam autem fuiſſe Claudiam Flaminiæ ad III ab Vrbe lapidem Cluverius (in Italia Antiqua, pag. 525) conjicit ex Tabula Peutingeriana: de qua conjectura utcum-



utcumque fit; omnes consentiunt, Flaminiam Viam post Milvium Pontem (Vide Tabulam R) inflexam fuisse secundum Tiberim fluvium; quare consideranti Viæ Claudiæ positionem credibile fit, ipsam Claudiam Viam, per quam ad Pontem Milvium perveniendum erat, haud longe a Milvio Ponte conjunctam fuisse Flaminiæ Viæ.

II. Illud autem hic animadverto; Clodiam Viam, per Sutrium, Clusium, Florentiamque (ut paullo infra apertius ostendetur) transeuntem, fuisse inter Viam Flaminiam, quæ juxta ripam Tiberis in Vmbriam tendebat, perveniebatque ad Superum Mare, & Viam Aureliam, quæ tendebat ad littora Inferi Maris. Sed inter easdem Vias Flaminiam, ac Aureliam erat etiam Via Cassia, teste Cicerone, qui Philip. XII docet, *tres Vias* Roma fuisse *Mutinam; a Supero Mari Flaminiam, ab Infero Aureliam, mediam Cassiam*. Colligimus itaque ex his inter Viam Flaminiam & Aureliam fuisse utramque Viam, Cassiam, Clodiamque.

III. At expendamus nunc quid habeant de hac Via Tabula Peutingeriana, atque Itinerarium Antonini. In Tabula Peutingeriana inter Viam Flaminiam tendentem ad Mare Superum, & Viam Aureliam, aliasque tendentes ad Mare Inferum, Via Clodia visitur delineata. Ejus autem delineationem (videatur DELINEATIO PARTIS TABVLAE PEVTINGERIANAE) partisque vicinarum Viarum huc transtulimus. Brevioribus tamen adhibitis, nec eadem ratione, nec ubique inflexis lineis, ut a *Luca* ad *Clusium*, quo tractu magis adhuc brevitati fuit consulendum; lineis tamen omnino commonstrantibus rem nostram: nam habuimus rationem ordinis, quo posita sunt loca secundum singulas lineas (non vero ordinis secundum comparationem locorum unius lineæ cum locis alterius lineæ; hujuscemodi enim ratio vel ab Authore Tabulæ neglecta est) In Itinerario autem Antonini Iter per Viam Clodiam a Luca Romam (Loca, posita etiam in Tabula Peutingeriana, majoribus litteris scripsi) ponitur ita, ut in adjecta Tabella vides:

A LVCA
Romam per Clodiam. M. P. CCXXXVIII.
PISTORES. M. P. XXV.
FLORENTIA. M. P. XXV.
Ad Fines, sive Casas Cæsarianas. M. P. XXV.
ARRETIO. M. P. XXV.
Ad Statuas. M. P. XXV.
CLVSIO. M. P. XII.
VVLSINIS. M. P. XXX.
FORO CASSI. M. P. XXVIII.
SVTRIO. M. P. XI.
Baccanas. M. P. XII.
ROMA. M. P. XXI.

Ex

Ex his, quæ fuerit Via Clodia (eam in nostra DELINEATIONE distinximus litteris A E F G) *Sutrium* usque, satis colligere possumus. Abrahamus Ortelius in Tusciæ Antiquæ descriptione nullum ex recensitis locum prætermisit: non tamen distantiæ ibi omnes distantiis Itinerarii respondent, neque facta in eadem Ortelii Charta Delineatio Viæ Clodiæ pro germana habenda ubique est.

IIII. Ex his etiam, quæ exhibita fuere, liquet; Cassiam Viam junctam fuisse Clodiæ tum ad *Clusium*, tum *ad sextum*, & eam fuisse Viam, ad quam in Tabula Peutingeriana notantur nomina hæc: *Perusio. Ameria. Castello Amerino. Faleros. Nepe. Vejos.* Namque si inter Viam Flaminiam tendentem ad Superum, & alias tendentes ad Inferum Mare duæ Viæ Claudia, & Cassia esse debebant; sunt autem in Charta Peutingeriana, inter Flaminiam & Vias tendentes ad Mare Superum, duæ Viæ, altera cui in DELINEATIONE nostra adjecimus litteras A B C P D, altera cui adjecimus litteras A E F G, harumque inferior Claudia est; sequitur, ut superior illa A B C P D Cassia sit. Neque enim Via A B C P D, perveniens cum Clodia ad Pontem Milvium supra Vrbem, Triumphalis esse poterat; cum hæc Via, inferior Clodia, ad Vrbem ipsam, nimirum ad Triumphalem Portam, dirigeretur: reliquæ autem Viæ, Aureliæ duæ, Cornelia, Vitellia adhuc inferiores erant Via Triumphali. Prorsus ergo confirmatur, Viam A B C P D Cassiam fuisse.

V. Quamobrem erraverunt qui scripsere, hujus Viæ Cassiæ vestigia exstare inter Sutrium, Viterbium, & Vulsium; si qua etenim exstant vestigia, ea Clodiæ, non Cassiæ vestigia debent reputari: quo in errore Pancirolus, Bergerius, aliique nonnulli de Cassia Via scribentes versati sunt. Sed ante Pancirolum, & Bergerium Blondus Flavius (in Libro, cui titulum fecit, *Italia Illustrata*) Cassiam, scripsit, transivisse per Forum Cassii (nunc, ut ipse ait, *Vetralla*) per quod Forum vere Claudia transibat. Quod tamen Blondus subdidit, Cassiam transivisse per Baccanam, mihi verisimile fit; a Vejis enim ad Nepem (ut dirigebatur Via Cassia, quod constat ex Peutingeriana Tabula) transitus per Baccanam commodus erat. Ex eo autem, quod Cassia juncta erat Clodiæ *ad Sextum* ab Vrbe lapidem, videtur; Cassiam melius fortassis dici posse ramum Clodiæ, quam Flaminiæ, ut ut Flaminiæ ramus a Bergerio dicta fuerit. Certe haberi nequit ceu juncta ipsi Flaminiæ prope Pontem Milvium; ut Fabrettus eam junxit in sua Tabula ad Dissert. III. Operis alias citati. Ceterum credibile non est, Viam Cassiam transivisse per Sutrium: cum enim Veji propiores essent Nepem, quam Sutrium; verisimile non est, Viam Cassiam directam fuisse ad Sutrium, ut inde dirigeretur ad Nepem, si multo breviore intervallo a Vejis versus Nepem dirigi poterat; ut in Tabula nostra R dirigitur.

VI. Sed redeamus ad Viam Clodiam, quæ Sutrium usque, nimirum ad litteram G (quam, ut alias, addidimus facilioris reddendæ explicationis caussa) in sectione III. hujusce Notæ jam perducta, nunc ad ipsam Vrbem Romam perducenda est. Video autem in Tabula Peutingeriana rem quasi dubiam manere, propterea quia videtur a Sutrio Romam sumi posse Viam G D S X, vel G R Z N. At cum ad superiorem Viam apponatur Nepe, ostenderimusque, Viam tendentem a Vejis Nepem non transivisse per Sutrium; reliquum est, ut finem Viæ Clodiæ constituamus secundum lineam G R Z N transeuntem per Carejas: quod ubi factum sit, jam totam Claudiam Viam invenimus. Quod erat faciendum.

VII. Illud autem venit præterea in mentem, fieri potuisse, ut (vide Tabulam R) a Sutrio ad Baccanam fuerit Viatrium aliquod S R conjungens Viam Clodiam cum Cassia: atque ita in Itinerario Antonini iter describi maximam partem secundum Clodiam Viam, & dumtaxat per particulam ab R ad *Sextum* secundum Cassiam: neque enim propter illam Cassiæ Viæ particulam *Iter* non erat dicendum *per Clodiam* Viam. Quod si ita fuit; jam etiam Itinerarium cum Tabula consentit.

VIII. Id unum monendum superest de Clodiæ Viæ descriptionibus: nimirum ultimæ ejus partis mansiones a Bergerio, ut vides in adjecta Tabella, describi.

Vico Matrini IIII.
Sutrio XVI.
Vejos XII.
Ad Sextum Via Clodia VI.
Roma III.

Quæ

Qua in descriptione, pro mansione ad Vejos, mansio ad Carejas ponenda erat (nihil autem de milliariorum numeris dico, qui ita depravati in Tabula sæpe reperiuntur; ut, nisi singulatim examinentur, admittendi non sint) At Henricus Christianus Henninius in suis ad Bergerium Notis hæc habet: *Ex Tabula etiam disponi possunt mansiones, & forsan melius sic*, ut vides in Tabella. Sed ex Tabula Peutingeri satis apparet, mansionem illam *ad Novas* huc nullo modo esse referendam: ceterum, ablata mansione illa *ad Novas* dispositio hæc optima esse videtur.

Vico Matrini IIII.
Sutrio *
ad Novas XII.
Carejas VIIII.
ad Sextum VIIII.
Roma VI.

Si quis vero dicat, Hieronymum Magium in Miscellaneorum Lib. IIII. Cap. 16 hæc scribere; *Sic inquit Possidonius ejusdem Cypriani Diaconus in ejus Mart. Et cum pervenisset in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab Vrbe milliario, expoliavit se birro &c.* hinc autem colligendum esse, locum *ad Sextum*, quattuor tantum ab Vrbe milliariis distitisse: huic respondebo; eundem Magium in eodem Cap. adnotare, *a Plutarcho in Galba, locum, in quo sub Cæsaribus animadverteretur in Sontes, Sestertium appellari*: nonne itaque fieri potest, ut etiam apud Possidonium pro *Sexto*, legi debeat *Sestertio*? At etiamsi liquido constaret, verbum *Sextus*, quovis mendo carere; qui tamen fieri poterit, ut probetur, illum a Possidonio nominatum locum eundem cum nostro esse habendum?

VIIII. Tandem ad Alsietinum Lacum accedo: verum, etsi properare aveo, antequam tamen de eo dico, animadvertam oportet; Frontinum semper retulisse adverbia *dextrorsus*, & *sinistrorsus* ad euntes ab Vrbe Roma. Supra enim sæpe id expressit; ut in Art. 7, *Diverticulo euntibus ab Vrbe Roma dextrorsus*; & in Art. 8, *Diverticulo euntibus ab Roma dextrorsus*; & in Art. 9, *Via Latina euntibus ab Roma dextrorsus*; & ita porro. Atque si verba *euntibus ab Roma* non posuit alicubi Frontinus, ea subaudiri voluit; quandoquidem etiam deficientibus verbis illis, adverbia *dextrorsus*, & *sinistrorsus* intelligi debent de iis, qui Roma abibant: namque ita de Augustæ Ramo, in Art. 5, scribit: *Hic Via Prænestina ad milliarium VI, Diverticulo sinistrorsus passuum DCCCCLXXX, proximo Viam Collatiam accipit fontem*: quare manifestum est, subaudiri *euntibus ab Vrbe Roma*; nam Via Collatia, aut Collatina (si ita scribere mavis) adeoque etiam loca proxima Viæ Collatiæ, positaque inter Viam Collatiam, & Prænestinam, erant *sinistrorsus* euntibus per Viam Prænestinam a Roma, non euntibus Romam (ut in Topographia Tabulæ M ad pag. 45 videre est) ita quoque, in Art. 14, de Claudia habet: *Claudia concipitur Via Sublacensi, ad milliarium XXXVIII, Diverticulo sinistrorsus*; ubi, etsi non ponit Frontinus verba *euntibus ab Roma*, debent tamen subaudiri: Fontes enim Claudiæ adhuc dum cognosci verisimillimum est; ut diximus in Notis 1, & 2 Art. 14; viderique potest eorundem locus in DELINEATIONE REGIONIS positæ in Tabula I ad pag. 11, ubi Fontes ipsi prope A esse debent; nempe *sinistrorsus* euntibus per Sublacensem ab Vrbe Roma. Hæc cum ita se habeant, cumque scriptum nusquam reperiatur *dextrorsus* aut *sinistrorsus* euntibus Romam, & cum nusquam, ubi deest verbum *euntibus*, videatur subaudiendum esse *euntibus Romam*; jam satis liquet, in similibus locis subaudiendum semper esse *euntibus ab Vrbe Roma*.

X. Itaque euntibus ab Vrbe Roma per Clodiam Viam (vide Tabulam R) tres Lacus dextrorsus reperiuntur: quorum unus nunc dicitur *il Lago di Marsignano*; alter, *il Lago di Stracciacappa*; tertius, *il Lago di Baccano*. Sed hic ultimus exiguior est; secundus tum minor est primo, tum remotior, quam ut Ductus longitudine passuum XXII millium CLXXII, qualis erat Alsietinæ Ductus, posset ab eo Lacu ad Augusti Naumachiam pervenire. Propterea que mirari subit, Philippum Cluverium (in Italia Antiqua pag. 524) voluisse, Lacum Alsietinum fuisse eum, *qui nunc vulgo Lago di Stracciacappa*: & illud mirandum magis est, eundem Cluverium attulisse Frontini locum, quem ante citavimus; *Concipitur* Aqua Alsietina *ex Lacu Alsietino Via Claudia milliario XIIII, Diverticulo dextrorsus passuum VI millium D*; attulisse, inquam, verba hæc Frontini, deinde (quasi Codicem Frontini manu exaratum vidisset)

disset) fidenter asseverasse: *Omnino scripserat ipse Frontinus milliario XVIII, diverticulo dextrorsus millium duum, passuum D*. Qua ratione Frontini locum non emendavit Cluverius, sed depravavit omnino. Quod vero attinet ad verba illa, *Via Claudia, milliario XIIII*: numerus XIIII, ut legitur a Cluverio, ita legitur in Editionibus principe, & Iocundi, aliisque: in Codice Vrbinate legitur pariter ita *quartodecimo*: at in Cassinensi Codice, fateor, videtur *quintodecimo* legi posse. Dum tamen attendi, in omnibus Aquis notabili differentia, longitudines Ductuum majores fuisse, quam distantias secundum Vias & Diverticula sumtas; plane credidi, sine ulla dubitatione numerum XIIII esse retinendum: quo etiam retento, differentia illa uno milliario & milliarii dodrante minor adhuc est. Itaque eum numerum supra in Art. 11 retinui; nuncque pariter adhibebo. Sed redeundo ad Cluverium: contigit Cluverio, ut sæpe in mensuris itinerariis erraret, quia Romana milliaria antiqua sæpe fecit justo majora: quod, præter ceteros, Guilielmus Delisle animadvertit in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ anni 1714, pag.m. 175. Vbi etiam idem doctissimus Geographus constituit, quolibet maximi Terræ circuli Gradu contineri septuaginta quinque milliaria Romana antiqua, cum quidam Geographi dumtaxat sexaginta milliaria antiqua uni Gradui tribuerint. Equidem paullo minus (scilicet minus dimidio circiter milliario) milliariorum septuaginta quinque uni Gradui tribuendum etiam est secundum mensuras Romanorum Pedum antiquorum, de quibus supra dictum a nobis fuit in Nota 4. IIII. Art. 3; idque apparebit conferenti eas mensuras cum uno Terræ Gradu, cujus longitudo a Regiæ Scientiarum Academiæ Sociis posita est Parisiensium Regiorum Pedum 342360.

XI. Quæ cum ita se habeant, reliquum est, ut Lacus, qui nunc dicitur *di Martignano*, cognoscatur pro Alsietino Lacu, ad quem ex puncto z (nimirum ex decimoquarto milliario Claudiæ Viæ) diverticulum z x a passuum VI millium D perveniebat, ut a Frontino dictum est; & a quo ad Naumachiam Augusti perveniebat Aquæ Alsietinæ Ductus passuum XXII millium CLXXII. Quod vero Cluverius habet (citato in loco) *veteris Alsietinæ Aquæ Ductus reliquiæ hodieque conspiciuntur tendentes Romam versus; haud procul oppido Cesano in meridiem sitæ*, probare non possum: namque Ductus habens longitudinem passuum XXII millium CLXXII incipiens ab Alsietino Lacu, transiens prope *Carejas* (ut Frontinus ipse testatur) & perveniens ad Naumachiam Augusti, transire non poterat etiam prope Cesanum; ipsa Ductus longitudine ad formandos tantos anfractus minime sufficiente. Crediderim potius, reliquias illas aut ad Rivum alterius Aquæ ductæ Romam post Frontini tempora; aut ad Rivum alicujus Aquæ ductæ non Romam, sed ad nobile aliquod Oppidum (habentur enim alia exempla similium Ductuum) pertinuisse.

XII. Cur autem noster Lacus appellatus fuerit Alsietinus, ingenue dicam, ignoro. Raphael Volateranus Commentariorum Vrbanorum Libro V, ubi haud pauca ex iis, quæ de Etruria legi, falsa reperi (reperique etiam ut in Volaterani Libro, ita sæpe descripta a Leandro Alberti in Opere suo, cui titulus *Descrittione di tutta Italia*: neque enim cum primum antiqua Geographia tractari incipiebat, perfici etiam poterat) Volateranus, inquam, hæc habet; *Alsium unde Alsietina Romæ Aqua, & Lacus, quem Brachiani quidam esse putant*. Sed ex jam dictis plus satis constare puto, Lacum Alsietinum non fuisse eum, qui nunc Brachiani dicitur: præterea verisimile non fieri, ex oppido Alsio nomen provenisse Alsietino Lacui. Porro Alsium distitisse milliariis X & VIII a Portu testatur Antonini Itinerarium: addit Cluverius, lapidis fragmentum erutum fuisse prope Farnesianæ Gentis villam (vulgo *Palo*) cum hujusmodi Inscriptione DECVR. COLON. ALSIENSIS: atque ex indiciis hisce distantiæ & lapidis constituit antiqui Alsii situm. Addere vero possumus, immo debemus, testimonium Ptolemæi, qui cum tribuat Vrbi Romæ Latitudinem Grad. 41 Minut. 40, Longitudinem Grad. 36 Minut. 40, Alsio autem Latitudinem Grad. 41 Minut. 40, Longitudinem Grad. 36 Minut. 15, ponit Romam, & Alsium sub eodem Parallelo, facitque Alsium Minutis 25 propiorem occidentali plagæ, quam Roma sit: qua positione positio oppidi Alsii

deinde [2] circa Carejas [3] ex Sabatino, [4] quantum Aqua-

Alsii in Tabula nostra R potest confirmari: cur vero nonnulli Interpretes Ptolemæi, aliique voluerint, vetus Alsium ibi fuisse, ubi nunc *Santa Severa*, non video: video tamen, illos palmatem errorem erravisse. Idem dicendum de Leandro Alberti, qui opinatus est, ibi fuisse Alsium, ubi hodie *Ceri*.

XIII. Nunc evidens prorsus est, Lacum Alsietinum ex oppido Alsio, tamquam ex proximo oppido, nomen habere nequivisse. Insuper etiam animadverti potest, Oppidanos, ex Alsio nomen trahentes, dictos fuisse *Alsienses*, non *Alsietinos*; quin & ager, & villæ dicebantur Alsienses: ita in Inscriptione, citata in præcedente hujusce Notæ sectione, legitur COLONIA ALSIENSIS: ita Livius Lib. XXVII. Cap. 38; *ea die hi Populi ad Senatum venerunt; Ostiensis, Alsiensis*: Cicero in Oratione pro Annio Milone; *Pompejum ut videret? sciebat in Alsiensi esse*: Idem Epist. Famil. Lib. VIIII. Epist. 6, *se in Alsiense venturum*. Quod vero in *Itinerario* Rutilii ab hoc *Alsia tellus* dicta fuerit; hoc Poetæ exemplum ad rem nostram non facit. At, si quis sciscitetur a me, unde Lacus Alsietinus appellatus fuerit? respondebo; me huic divinationi imparem, nihilque jam addendum Notæ huic longæ ultra modum: prolixitudini tamen veniam daturos spero eos, qui considerent; neminem a me inventum esse recte præeuntem; multa falsa me offendisse; neque, nisi hisce omnibus, me potuisse ad explanandum difficilem illum Frontini locum pervenire.

2. *circa Carejas*] Ita Codex Cassinensis: at Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent; *circa Careas*: sed *Carejas* scribendum esse ex aliis Authoribus, qui Oppidum hoc nominavere, certum est. Prima indicia ad veram positionem Carejatum inveniendam ex Cluverio haberi possunt: scripsit ille (loco ante citato) *super intervallo inter Romam, & Carejas probe convenit Tabulæ cum Antonini Itinerario. Quidpe Antoninus habet hoc itinere millia XV, Tabula vero a Carejis ad Sextum millia VIIII, quibus si VI addas, quæ ab Vrbe ad Sextum usque Lapidem erant; erunt & ipsa omnino XV. Ex hoc igitur intervallo oppidum Carejæ deprehenditur fuisse prope ipsum Lacum Sabatinum apud Aronem Flumen*. Hæc tamen non sufficiunt: sed, cum Carejæ essent ad XV milliarium Via Clodia, & ad milliarium XIIII eadem Via inciperet Diverticulum, cujus longitudo usque ad Alsietinum Lacum a Frontino constituitur milliariorum VI, & passuum D; oppidum Carejas (Tab. R) sic posui, ut in Via Clodia distaret ab Vrbe Roma millibus passuum XV; & Diverticulum, a milliario XIIII ductum, esset longitudinis a Frontino nostro constitutæ. Quod ut efficeremus, coacti fuimus (ut in quibusdam aliis rebus) discedere a positione, quæ Carejis tribuitur in Tuscia Suburbicaria Iacobi Philippi Ameti (ibi enim *Carejæ* ponuntur, ubi nunc *Galera*) quam tamen Ameti Topographiam aliis omnibus Delineationibus Regionis illius præstare, nobisque fuisse magno adjumento, lubentes fatemur.

3. *ex Sabatino*] Post ante dicta quinam esset Sabatinus Lacus dubitari non potest. Hunc Lacum (nisi forte quendam etiam ex superioribus comprehendit) C. Silius Italicus, Punicorum Lib. VIII, versu 492, *Sabatia Stagna* appellavit:

Quique tuos, Flavina, focos, Sabatia quique
Stagna tenent; Ciminique lacum, qui Sutria tecta:

Abrahamus Ortelius in Synonymis Geographicis, ad verbum *Sabatus*, citat Leandrum, quasi hic scripserit, Lacum Sabatinum a Plinio nomine *Tarquiniensis Lacus* nuncupari: sed neque inveni, a Leandro Plinium ad hunc locum citari; neque in Libris Plinii, qui Lacum Tarquiniensem nominat in Historiarum Naturalium Lib. II. Cap. 95, inveni ea indicia, propter quæ constituendum videretur, Lacum Tarquiniensem fuisse eum, de quo nunc agimus. Sabatinus autem Lacus hodie a nonnullis appellatur *Lago di Bracciano* ob proximum oppidum *Bracciano*: ut appellatur etiam *Lago di Anguillara* ob proximum oppidum *Anguillara*.

II. Sabatinum Lacum sortitum olim fuisse id nomen a Sabate oppido, omnes consen-

Aquarii temperaverunt, [5] *habeat*. [6] Alſietina erogat Quina-

---

eoofentiunt. Quidam tamen oppidum Sabate ſupra Lacum (& inter hos Cluverius, Operis citati pag. 554) poneodum opinantur; quidam alii iofra. Porro ex Charta Peutingeriana conſtare videtur, ut in oostra DELINEATIONE PARTIS TABVLAE PEVTINGERIANAE obſervari poteſt, fuiſſe Viam aliquam (haoc *Viam Anonymam* in Tab. R nominavimus) a Carejis per Sabate pervenieotem ad oppidum Lucaniam (id oppidum nunc, ut creditur, *Toſcanella* eſt) quæ Via eodem ferme modo ſupra Lacum, & infra Lacum ire poterat: ſed, quoniam ſupra Lacum Via Clodia dirigebatur, veriſimillimum fit; hanc aliam Viam infra Lacum fuiſſe; atque ideo exiſtimavi, adſtipulandum eſſe Ameto, qui Sabate poſuit ubi nuoc *Bracciano*.

III. Liceat etiam hoc loco addere, aquam hujuſce Lacus Sabatini *ex Romanis Aquis* (ideſt ex iis, quæ hodie Vrbem Romam influunt) *minus eſſe ſalubrem*; ut facta analyſi, comperit Lanciſius; notavitque in Libro, cui titulus eſt, *De nativis Romani Cali qualitatibus*, pag. 63: etſi *levior eſt reperta* aqua hæc, *quam Romanorum fontium ulla*; ut ſcribitur in eodem Libro pag. 68. Quare ſatis credibile fit, hujus commixtione aquam Alſietini Aquæductus meliorem redditam noo fuiſſe: ſed vel hioc confirmari id, quod ſupra in Art. 11 Frontinus dixerat; ejus Aquæductus aquam eſſe *parum ſalubrem*.

IIII. Ex Lacu autem Sabatino per rivum *a e* i aqua in Ductum Alſietinæ *circa Carejas*, ut Frontinus ſcribit, duci optime poterat: idque ultimum eſt ex iis, quæ oſtendere pro inſtituta explicatione & debebam, & conſtitueram. At inquiet aliquis, nimis multa ſcripſiſti: reſpondebo; paucioribus exponere omnia non potui.

4. *quantum Aquarii temperaverunt*] Tempero ſignificat ſæpe, miſcere; ſignificat etiam miſcere proportiooe ſervata: ſcribit itaque Frontinus, Aquam Alſietinam tantum recipere ex Lacu Alſietino, & ex Lacu Sabatino, quantum ex utroque placuit Aquariis commiſcere; nimirum *quantum Aquarii temperaverunt*. Concipiendum autem videtur; Aquarios omni tempore potuiſſe ex utroque Lacu aquæ modum varie temperare: ideo modum pendentem ab Aquariorum voluntate, nec fuiſſe *in Commentariis aſcriptum, nec in re præſenti certum inveniri potuiſſe*.

5. habeat. *Alſietina erogat*] Hunc *Textum*, in quo de Alſietina Aqua ſermo eſt, *aliquo levi mendo* ſcatere, affirmavit in Num. 377 Operis ſæpe laudati Fabrettus: non tamen emendavit. Sed in editis Libris mendo graviſſimo ſcatet io numero paullo infra poſito quinariarum; in propoſitis autem verbis noo levi. Quod itaque ad propoſita verba *habeat. Erogat*, in Caſſioenſi Codice ſic legitur; *quantum Aquarii temperaverunt Alſietina erogat quinarias &c.* io Iocundi Editione ſic legitur; *quantum Aquarii temperaverunt, habet non plus quinariis duobus millibus*. Profecto, oiſi verbum *habet* referatur ad proxime præcedentem ſententiæ partem, nimis obſcura tota ſenteotia eſt. At, verbo *habet* in *habeat* (ob particulam *cum* præcedeotem) mutato, relatoque ad proxime præcedentem ſententiæ partem, exiſtimavi, reliqua Editionis Iocundi verba (quæ in Codicibus plane deſunt) *non plus quinariis duobus millibus*, prorſus eſſe mittenda. Nam, ſi Frontinus negavit, conceptionis modum potuiſſe inveniri, reliquum erat, ut de erogatiooe verba faceret: cujus modum (deficiente Conceptionis menſura) quaſi haberet etiam pro modo ipſius Cooceptioois; quemadmodum diximus ſupra io Nota 3 II. Art. 64. Itaque repoſui verbum *habeat*, quod ibi fuiſſe veriſimile eſt: nam verbum aliquod certe requiritur, & verbum *habeo* in quibuſdam ſimilibus locis certe legitur. Ceterum Codici Caſſinenſi prorſus ſteti; alioquin plura verba, immo totam ſententiam & mutare, & vitiare cum Iocuodo debuiſſem.

II. Porro, ſi Alſietinæ Aquæ Conceptioni, ideſt menſuræ ad caput actæ, tribuiſſet Frontinus quinarias bis mille, ut in Editione Iocundi legitur, computaviſſet eas ioter alias quinarias inventas menſuris actis ad Aquarum aliarum capita; ſed

Quinarias CCCLXXXXII. ¶ [1] Claudia, abundantior aliis, [2] maxime injuriæ exposita est. In Commentariis habet non plus Quinariis II millibus DCCCLV: cum ad caput invenerim Quinariarum IIII millia DCVII; [3] amplius quam in Commentariis MDCCLII. Adeo ¶ Art. 72.

autem

sed in ea, quæ posita ante fuit (Vide Notam 6 IIII. prope finem, Art. 64) Aquarum Summa haudquaquam locum habere potest Aquæ Alsietinæ Conceptio, idest mensura ad caput ipsius. Præterquamquod si in eam Summam conserres duo millia quinariarum, supputationes illæ Frontinianæ, quibus conveniunt numeri in citata modo Nota expositi, supputationes (ioquam) illæ pessum irent.

6. *Alsietina erogat Quinarias CCCLXXXXII*] Ita in Cassinensi Codice, qui sibi constat; cum infra, in Art. 85, ubi ponitur quid erogaretur oomine cujusvis Aquæ, ita scriptum sit; *Alsietinæ* oomine erogantur *Quinariæ trecentæ nonaginta duæ*. Præterea numerum hunc quinariarum 392 recte poni, firmo probavimus argumento supra in Nota 3 II. Art 64. In Editione Iocundi deest verbum *Alsietina*. Legitur autem locus ita; *habet non plus quinariis duobus millibus*: sed quam falsa sit lectio hæc, jam in præcedente Nota demonstravimus.

II. Alsietinæ igitur distributio, seu vera erogatio erat quinariarum 392. Nulla etenim subductione quantitas hæc miouitur. Si mutaretur hæc quaotitas deberent subduci plures centenarii numeri ex iis, qui ad Summam positam *in Commentariis in universo* quinariarum 12755 pertinebant.

1. *Claudia abundantior aliis*] Omoium Aquarum collatis ad caput meosuris, inveniuntur Claudia & Anio novus alias copia superare; ex illis tamen mensuris videretur potius Anio novus *abundantior*, quam *Claudia*. Namque cum in Claudia, mensura ad caput, repertæ fuissent Quinariæ 4067; io Anione novo, mensura ad caput, repertæ sunt (ut dicitur in Art. 73) quinariæ 4738: & adhuc *ampliorem* quinariis hisce 4738 *modum* io Anione novo *inventum* scribit in citato modo Art. Frontinus, *ex quo* apparebat, *etiam exuberare comprehensam mensuram*. Sed nihilominus, si attendemus quæ de Claudia ipsa in hoc eodem Art. infra Frontinus scribit, facile liquebit, Claudiam *abundantiorem* fuisse appellandam: namque infra habet Frontinus hæc; fontes Aquæ Claudiæ, & Aquam Augustam adjectam fontibus Claudiæ ita *sufficere ad præstandas Ductui suo Quinarias*, quæ significatæ supra sunt, 4607, *ut præterea 1600 effundantur*. Ergo, ab his 1600 quinariis oon modo quemcumque excessum mensuræ Anionis compensatum fuisse, reputandum est; verum etiam superatos excessus ipsos; ut propter has Claudia *abundantior* dicenda fuerit. Vide Notam 14 hujus Art.

2. *maxime injuriæ exposita est*] Nimirum quia abundaotior, non ita facile quidquid intercipiebatur ex ea, cognosci poterat. Et tamen nihilominus, reapse ingentem aquæ copiam fuisse interceptam, liquebat, ut ex iis, quæ paullo infra in hoc eodem Art. posita sunt, satis constat: scribitur enim, ex Claudia *quinarias 2857* erogatas fuisse *minus*, *quam mensura ad caput facta* demonstraverant inesse in ipso Claudiæ Ductu: itaque hæ 2857 quioariæ (etiam prætermissa consideratione aquæ, quæ effundebatur) a Privatis injuria certe usurpabantur; nec quidem tantum ex ulla alia Aqua intercipiebatur: quamobrem *Claudia & maxime injuriæ exposita*, & maxime injuriis affecta. Mihi quidem explicatio hæc videtur rationi consona magis, quam si diceretur, citatis Frontini verbis significari; Ductum Claudiæ commodiorem ceteris fuisse, ut aqua ex eo injuria ioterciperetur.

3. *amplius, quam in Commentariis MDCCLII*] Erant in Commentariis quinariæ 2855, quinariæ ad caput inventæ fuerant 4607: quare, subductis illis ex hisce, remanent quinariæ 1752, quæ erant in mensura *amplius, quam in Commentariis*.

4. in

autem nostra certior est mensura, ut ad VII ab Vrbe milliarium, [4] in Piscina, ubi indubitatæ mensuræ sunt, inveniamus Quinarias III millia CCCXII; plus quam in Commentariis CCCCLVII: quamvis & ex beneficiis ante Piscinam eroget, & plurimum subtrahi deprehenderimus, ideoque minus inveniatur, quam revera esse debeat, Quinariis MCCLXXXXV. [5] Et circa erogationem fraus apparet, quæ [6] neque ad Commenta-

4. *in Piscina, ubi indubitatæ mensuræ sunt, inveniamus Quinarias III millia CCCXII*] Quod supra dixerat (ut animadvertimus in Nota 4 Art. 19) hic firmius asseverat, appellans *indubitatas mensuras in Piscina*, idest in ostio, puta B in *Fig. XI* ad pag. 55, per quod aqua Piscinam ingrediebatur. Duabus autem de caussis, opinor, tantum tribuisse Frontinum nostrum mensuræ habitæ in Piscina.

II. Primum, quia ibi commodius iniri poterat ipsa mensura rivi, & fortasse in ipsis ostii marginibus erant insculptæ divisiones factæ per pedes, atque digitos; ut mensura adhuc facilius dignosceretur.

III. Secundum, quia ibi velocitas reputabatur, neque excedens, neque deficiens: si enim excessisset, etiam modus aquæ exstitisset major; si defecisset, modus aquæ evasisset minor: neutraque ratione mensura fuisset indubitata. Itaque puto, Frontinum hic (quod etsi non semper fecit, attamen fecit etiam alibi: vide Notas, 5 Art. 35, 5 Art. 70, & 8 Art. 73) attendisse velocitatem; atque reputavisse, hanc esse velocitatem propriam, convenientemque fluenti aquæ, ne modus ejus excederet, aut deficeret. Talis autem velocitas, voce nunc sæpe in hujuscemodi rebus usurpata ab iis, qui de aquarum fluentium Doctrina agunt, Media velocitas potest appellari.

IIII. Quod vero omnes suas mensuras ad ipsam Mediam velocitatem præcise non retulerit Frontinus, contigisse reor, propterea quia Doctrinam mensuræ fluentium aquarum, necessariam in optima comparatione, ignoraret. Quod tamen neque præterpropter, ut ajunt, comparationem semper instituerit; id sane mirum est.

V. Venio ad postrema verba, *Quinarias III millia CCCXII*. Si supra in Codice Cassinensi aliam aliquam similem dictionem inveni, ratus sum, in verbo *Quinarias* postremam litteram pro compendiaria nota significante syllabam *rum* posse sumi, libentiusque scripsi *Quinariarum*. At dubitari non potest, quin hic, & alio aliquo in loco *Qninarias* scriptum fuerit: quod ubi ita est, non meliorem interpretationem apponi posse existimo, quam si dicatur, intelligendum esse ita; Quinarias trecentas duodecim, & Quinariarum tria millia. Porro etsi fieri potuit, ut a Librariis, aut ab indocto aliquo Homine hæc loca vitiata fuerint quoniam tamen nonnulla, quæ pertinent ad numeralia nomina in obscuro sunt, cum notas numerorum potius, quam numeralia nomina scripta reliquerint Veteres; iccirco locum animadversione dignum existimavi.

5. *Et circa erogationem fraus*] Ita Editio Iocundi: Codex Cassinensis habet; *& circa erogationem aũ fraus*: Codex Vibinas; *& circa erogationem aut fraus*. Cum nescirem quænam particula revera ante verbum *fraus* ponenda esset (etsi conjicerem particulam *etiam* posse convenire) videremque ex neglecta particula minime mutari sententiam, placuit hoc in loco Iocundi Editioni adhærere.

6. *neque ad Commentariorum fidem*] Idest; neque *ad fidem* mensurarum, quæ *Commentariis* continentur.

7. neque

mentariorum fidem, neque ad eas, quas ad caput egimus menfuras, [7] neque ad illas faltem ad Pifcinam, poft tot injurias convenit. [8] Solæ enim Quinariæ MDCCL erogantur: minus, quam Commentariorum ratio dat, Quinariis MCV; minus autem, quam menfuræ ad caput factæ demonftraverunt, Quinariis II millibus DCCCLVII; minus etiam, quam in Pifcina invenitur, Quinariis MDLXII. [9] Ideoque cum fincera in Vrbem proprio rivo perveniret, in Vrbe mifcebatur cum Anione novo, ut confufione facta, [10] & conceptio earum, & erogatio effet obfcurior. [11] Quod fi qui forte me acquifitionum menfuris blandiri putant, admonendi funt; [12] adeo Curtium, & Cærulum

7. *aeque ad illas faltem ad Pifcinam, poft tot injurias convenit*] Ideft; *neque ad illas* menfuras, cum quibus *faltem* convenire deberet ad Pifcinam, ubi, *poft tot injurias* ante Pifcinam, finis injuriarum effe debuiffet, neque (inquam) *ad illas* menfuras *convenit*. Quod vero attinet ad verbum *Pifcinam*, fateor, me in Codicibus legiffe *ad Pifcinas*; fed *ad Pifcinam* multo magis videtur cum eo confentire, quod Frontinus, fe fumfiffe menfuras *in Pifcina* (non in Pifcinis) femper dicat. In Codicibus etiam legitur; *poft tot injurias funt convenit*: at verbum *funt*, plane redundans, non potuimus non prætermittere, ut Iocundus fecerat.

8. *Solæ enim Quinariæ MDCCL erogantur &c.*] Proportio inter erogationem, & Commentariorum rationem, & menfuras ad caput, & menfuras in Pifcina, iifdem numeris in Codicibus, atque in Iocundi Editione exprimuntur. Præterea (ut ante fæpe fecimus) ipfi numeri poffunt juftis fubductionibus manifeftiffime comprobari. Claudiæ itaque erogatio, latiore modo fumta, erat quinariarum 1750.

II. Sed, agendo ftrictiore modo, diftributio, feu vera erogatio Claudiæ invenitur quinariarum 1588. Nam fupra in Art. 69 dictum fuit, Iuliam *accipere ex Claudia quinarias* 162, quæ quinariæ in fupputationem erogationis Iuliæ, non Claudiæ veniunt: fic, illis 162 ab 1750 fubductis, remanent pro jufta erogatione quinariæ 1588. Si vero quantitas hæc mutaretur; deberent mutari quatuor ex proximis numeris, qui in Codicibus, editifque Libris confentiunt.

9. *Ideoque cum fincera in Vrbem proprio rivo perveniret*] Claudia, & Anio novus fuper eofdem arcus ducebantur in Vrbem: fed utriufque Aquæ rivi erant feparati: fic Claudia fincera, ideft pura fine alius commixtione, in Vrbem poterat pervenire. In Editione Iocundi pro particula *Ideoque*, quæ in Codicibus eft, legitur *Itaque*.

10. *& conceptio earum, & erogatio effet obfcurior*] Nam quæcumque menfura aquæ fic commixtæ confiderata fuiffet, non potuiffet fciri quæ portio Aquæ Claudiæ, quæve Anionis in ea menfura effent.

11. *Quod fi qui forte me acquifitionum menfuris blandiri putant &c.*] Ideft; *fi qui forte putant*, me velle defcribere majores, quam reapfe fuit, menfuras acquifitionum, fcilicet derivationum aquarum ad Ductus, feu quantitatis aquæ ad capita Ductuum &c.

12. *adeo Curtium*] Particula *adeo*, qua tota fententia illuftrior fit, exftat in utroque Codice Caffinenfi, & Vrbinate; fed in Editione Iocundi deeft.

R 13. *ut*

lum fontes, Aquæ Claudiæ sufficere ad præstandas Ductui suo Quinarias, quas significavi, IIII millia DCVII, [13] ut præterea MDC effundantur. Nec eo inficias, quin eæ, quæ superfluunt, non sint proprie horum fontium: capiuntur enim [14] ex Augusta, quæ inventa in Marciæ supplementum, [15] dum illa non indiget, adjicitur fontibus Claudiæ, [16] quamvis ne hujus quidem Ductus omnem aquam recipiat.

¶ Art. 73. ¶ Anio novus in Commentariis habere ponebatur Quinarias III millia CCLXIII. Mensus ad caput reperi Quinarias IIII millia DCCXXXVIII; [1] amplius, quam in conce-

13. *ut præterea MDC effundantur*] Idest; superfluant disperdanturque; propterea quod Ductus capiens quinarias 4607, ante significatas (nimirum ad caput mensura inventas) recipere has alias 1600 minime queat. De hac autem re etiam supra in Nota 1 hujusce Art dictum est.

14. *ex Augusta, quæ inventa in Marciæ supplementum &c.*] Consentit locus cum iis, quæ supra in Art. 12 scripta fuerant his verbis: *Idem Augustus in supplementum Marciæ, quotiens siccitates egerent auxilio, aliam ejusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marciæ rivum, quæ ab inventore appellatur Augusta.* Vt ut vero aqua superfluens caperetur ex Augusta; semper tamen manet ac verum est, Claudiam fuisse abundantiorem (quemadmodum in Nota 1 hujusce Art. dictum est) Vndecumque enim perveniret, certe in Claudiam ea aquæ copia pervenire poterat; ut ad Claudiæ caput tanta aqua ex abundantia superflueret, quanta nequiret ad caput ullius alterius Aquæ superfluere.

15. *dum illa non indiget, adjicitur fontibus Claudiæ*] Etiam Augustus præviderat, futurum, ut Aqua Augusta non esset admodum necessaria ad supplementum Aquæ Marciæ; namque duxit illam tantum pro eo tempore, *quotiens siccitates egerent auxilio*. Et raro admodum id contigisse credendum est, quoniam supra in Art. 14 Frontinus ipse hoc animadvertit, scripsitque his verbis; *Augustæ fons, quia Marciam sibi sufficere apparebat, in Claudiam derivatus est &c.* Alibi, nimirum in Art. 67 præterea ostendit, haud exiguam fuisse copiam aquæ ad caput Ductus Marciæ, de qua agens habet hæc; *ad caput, præter eam mensuram, quam comprehendisse nos capacitate Ductus posuimus, effunduntur amplius CCC Quinariæ*. Quomodo autem Aqua Augusta in rivum Marciæ influeret, si Marcia indigeret; dum vero hæc non indigeret, Augusta adjiceretur fontibus Claudiæ, conjecimus supra in Nota 6 Art. 14.

II. In Codicibus, & Iocundi Editione legitur verbum *adjecimus*: sed, præterquamquod Frontinus hoc loco de re a se facta non loquitur; verba illa, *quæ* (Aqua Augusta) *inventa*, requirunt verbum *adjicitur*, non verbum *adjecimus*, ut per se est manifestum.

16. *quamvis ne hujus quidem Ductus omnem aquam recipiat*] Idest; *quamvis ne hujus* rivi *quidem* Aquæ Augustæ *omnem aquam Ductus* Claudiæ *recipiat*. Et certe, si quinariæ 1600 effundebantur, ut paullo supra in hoc eodem Art. dictum fuit, non recipiebatur Claudiæ Ductu omnis aqua.

¶ Art. 73. 1. *amplius, quam in conceptis Commentariorum est, Quinariis MCCCCLXXV*] In conceptis Commentariorum erant quinariæ 3263, ex mensura ad caput repertæ fuere

conceptis Commentariorum est, Quinariis MCCCCLXXV: [2] quarum acquisitionem non avide me amplecti, [3] quo alio modo manifestius probem, quam quod in erogatione ipsorum Commentariorum major pars earum continetur? [4] Erogantur enim [5] Quinariarum IIII

fuere quinariæ 4738; illæ si subducantur ex his, remanent quinariæ 1475; quibus scilicet numerus mensura inventus numerum in Commentariis positum superabat. Tres modo expositi numeri 4738, 3263, 1475 in Codicibus & in Iocundi Editione eodem modo scribuntur. At quod attinet ad verbum *conceptis*; id perspicue legitur in Codicibus: in Editione Iocundi legitur, *conceptelis*.

2. *quarum acquisitionem non avide me amplecti*] Idest; me non avide id efficere, ut mensura illius quantitatis aquæ ad caput inventæ major appareat. Porro cordi admodum erat (ut ex hoc, & similibus locis abunde liquet) Frontino nostro, ne quispiam existimare posset, a se tradi mensuras ad caput justo majores. Nam, quoniam ex quantitate aquæ ad caput inventæ collata cum erogatione innotescebat copia aquæ, quæ intercipiebatur, atque usurpabatur, si quantitatem illam Frontinus fecisset justo majorem; justo etiam majorem copiam intercipi statuisset, fuissetque calumniæ reus.

3. *quo alio modo manifestius probem, quam quod in erogatione ipsorum Commentariorum major pars earum continetur?*] Ita ferme in utroque Codice; nisi quod, loco verbi *in erogatione*, legitur *in erogationem*; nec interrogationis nota adest. Sed in Editione Iocundi legitur; *quo non alio modo manifestius probem quam erogatione ipsorum commentariorum, major pars earum continetur*. Præstare tamen lectionem Codicum per se manifestum adeo est; ut, si in Codicibus legeretur eo modo, ac in Editione Iocundi legitur, non aliis videretur restituenda sententia verbis, quam illis, quæ in Codicibus reapse sunt. Et si quis mallet, pro *quo non*, reponi *quonam*: nondum profecto res foret satis perspicua. Existimavi autem, totam eam veram sententiam adhuc clariorem fieri interrogationis nota; quæ ab ipsa verborum vi postulari videbatur.

4. *Erogantur*] In Codicibus legebatur *Negantur*: & in Iocundi Editione *Negantur*. Verum, cum sermo de erogatione fiat, evidens est, legendum esse, *Erogantur*.

5. *Quinariarum IIII millia CCXI*] Cum haud faciliter cognosci queat, an numeri, qui in Codicibus, atque editis Libris reperiuntur, justi sint: præter alias, hanc mihi regulam constitueram, ut quando tres numeri sic essent positi; ut, uno ex alio subducto, id reliquum esset, quod Frontinus in tertio numero reliquum esse oportere dixerat; tunc, si accederet consensus Codicum, meliorumque editorum Librorum, pro justis numeros illos sine ulla hæsitatione reputarem. Si res vero non succederet, aut Codices cum editis Libris non consentirent; tunc consuevi vel eum seligere numerum, vel eam instituere emendationem, unde proveniret inter duos ex propositis, aut inter alios numeros alibi positos, genuinus consensus. Hic autem legitur erogari quinarias 4211 (in hoc numero, & in duobus aliis, de quibus hic agitur a nobis, consentiunt Codices, atque Editio Iocundi) & supra scriptum est, ope mensuræ ad caput inventas fuisse quinarias 4738: infra vero scribitur, inter mensuram & erogationem quinarias 527 interesse: & quidem subducto numero 4211 a numero 4738, remanet numerus idem ille quinariarum 527. Quod si ponatur, erogationem illam latiore modo sumtam fuisse quinariarum 4211; subducendo ex hisce quinarias 163, quæ dabantur in adjutorium Tepulæ post Hortos Epaphrodicianos (ut supra in Art. 68 dictum est: consentitque apprime numerus 163 cum aliis numeris, quibus copulatur) subducendo, inquam, quinarias 163, remanerent pro distributione, seu vera erogatione Anionis novi quinariæ 4048.

II. Nunc vero in unam summam colligamus cunctam distributionem Aquarum, seu erogationes illas omnes (nullam adhibendo erogationem positam latiore modo) quæ, ut ex præcedentibus Notis perspicue apparet, hujuscemodi erant: nimirum erat vera erogatio

		Quinariarum
Appiæ	(ut est in Nota 7. II. Art. 65)	704.
Anionis veteris	(ut in Nota 7. III. Art. 66)	1610.
Marciæ	(ut in Nota 8. III. Art. 67)	1935.
Tepulæ	(ut in Nota 4. II. Art. 68)	445.
Iuliæ	(ut in Nota 8. II. Art. 69)	803.
Virginis	(ut in Nota 7. II. Art. 70)	2504.
Alsietinæ	(ut in Nota 6. II. Art. 71)	392.
Claudiæ	(ut in Nota 8. II. Art. 72)	1588.
Et Anionis novi	(ut ponitur in Nota hac)	4048.
	fit Summa	14029.

Ergo Quinariarum 14029 reperitur Summa Veræ Erogationis *in universo*: quæ debuisset reperiri tantummodo quinariarum 14018, quemadmodum apparet ex iis, quæ dicta fuere in Nota 4 Art. 64; ubi ostendimus numerum illum 14018 recte poni; idest eum esse, quem Frontinus scripserat. Hinc credidi, in Summa errorem inesse, & erogationi veræ alicujus Aquæ tribui quinarias undecim amplius, quam fieri debuisset; atque ita manifestum reddi, undecim quinarias ex vera alicujus Aquæ erogatione esse subducendas, ut sit verarum erogationum Summa æqualis proposito numero 14018.

III. Ob id itaque singularum erogationes Aquarum diligenter examinavi, & inveni, eas mutari non posse, nisi mutarentur (excepta erogatione Anionis novi, in qua duo tantum numeri erant mutandi) aut plures numeri, aut integræ aliquæ, solidæque sententiæ. Tentavi numeros quinariarum, quas una Aqua in alterius subsidium dat, remque in omnem ferme partem converti. Sed non adinveni, in propositis quinariis undecim subducendis fieri posse mutationem minorem illa, quæ fiebat, cum eæ ab Anionis novi Erogatione subducerentur: propterea que visum est, in nullam aliam Erogationem errorem cadere facilius potuisse, quam in Anionis novi Erogationem. Et quidem credibile est, Frontinum (quemadmodum in supputandi arte Hominibus accidit) numerum 4211 hoc loco pro numero 4200 sumsisse, qua una exigua imprudentia produci hoc loco potuit is quinariarum undecim error; qui si referretur in aliam Erogationem, major profecto (contra atque verisimile est) Frontino, Viro accurato & diligenti, imprudentia esset imputanda. Neque tamen, hunc quinariarum undecim errorem in alias etiam subsequentes Frontini supputationes incidisse, credendum est: quandoquidem infra erogatio vera semper describitur quinariarum 14018, non autem quinariarum 14029.

IIII. At, quod errorem hunc Librariis tribuere noluerim, in caussa fuere regulæ rationesque in prima hujusce Notæ sectione expositæ, quamobrem etiam numeros 4211, & 527 in contextu non mutavi: namque mei est curare, ut Frontiniano contextui pro vitiatis verbis restituam propria Frontini verba, si hæc inveniri ullo modo queant; non ut veritatem, quasi vi atque violentia intrudam, si uspiam desit in verbis, quæ incorrupta, & propria Frontini ex indiciis omnibus videntur esse reputanda. Quod autem veritas, quam contextui interponere non licet, constitui debeat in Notis, nullus dubito. Idcirco hic ajo; re ad probabilitatis trutinam expensa, statui posse: Erogationem Anionis novi, latiore modo sumtam, fuisse quinariarum 4200; veram erogationem, seu distributionem Anionis novi (demtis quinariis 163, quæ ab Anione novo dabantur in adjutorium Tepulæ) fuisse quinariarum 4037. Hac enim erogatione in unam summam cum reliquis pariter veris collecta, habetur germanus numerus quinariarum 14018; qui in universo veræ erogationis Summæ convenire debebat. Tali autem Anionis novi erogatione vera quinariarum 4037, ob ea, quæ dicta fuere in fine Sectionis III hujusce Notæ, infra semper utemur.

6. cum

IIII millia CCXI; [6] *cum* alioquin in eisdem Commentariis inveniatur conceptio non amplius, quam III millium CCLXIII. Præterea intercipi non tantum DXXVII, quæ inter mensuras nostras & erogationem intersunt, *sed* longe ampliorem modum deprehendi; ex quo apparet, etiam exuberare comprehensam a nobis mensuram. [7] Cujus rei ratio est, quod vis aquæ rapacior, [8] ut ex largo & celeri flumine excepta, velocitate ipsa ampliat modum. ¶ Non dubito, ali- ¶ Art. 74.
quos annotaturos, quod longe major copia actis mensuris inventa sit, quam erat in Commentariis Principum: cujus rei caussa est error eorum, qui ab initio parum diligenter uniuscujusque fecere æstimationem. Ac ne metu æstatis, aut siccitatum in tantum a veritate eos recessisse [1] credam, obstant ...., quod

ipsis

---

6. cum *alioquin in eisdem Commentariis inveniatur*] In utroque Codice legitur verbum, *inveniatur*: in Editione Iocundi, *invenitur*: at particula *cum* nuspiam est. Nihilo tamen minus & Codicum verbum *inveniatur*, & totius sententiæ vis adeo requirebant particulam *cum*; ut visum sit, eam posse in contextum reponi. Neque vero facile apparuit caussa, propter quam exprobrare quis posset, particulam illam temere fuisse restitutam. Similesque ob rationes, paullo infra posui particulam *sed*; quæ deest in Codibus: hanc tamen jam posuerat Iocundus.

7. *Cujus rei ratio est, quod vis aquæ rapacior*] Idest rapidior, velociorque: quoniam enim aqua quo est velocior, eo etiam majorem vim habet ad secum rapienda obvia quæque; iccirco aqua velocior dici etiam potest aqua rapacior. Huç aliquo modo spectat illud, quod legitur in tertio Ciceronis Libro, *de Natura Deorum*;

Europam, Lybiamque rapax ubi dividit unda.

Sed posset dubitari: num hic legendum esset *rapidior* apud Frontinum? Ceterum in Codice Cassinensi legi videtur; *cui rei rationem quamvis aquæ rapacior*: in Vrbinate legitur; *cui rei ratio est, quod jus aquæ rapacior*: in Editione vero Iocundi, ut posuimus; visa enim est hoc in loco optima esse Iocundi emendatio.

8. *ut ex largo & celeri flumine excepta, velocitate ipsa ampliat modum*] Hæc Frontini verba indicant, illi minime fuisse ignotum, aquam, quæ prædita sit majore velocitate, inductam in aliquod lumen fluere per idem lumen majore copia (propter impetum præconceptum) idest eam aquam ampliare modum. Et hæc quoque verba commonstrant, aliquando (quod etiam alibi animadversum) a Frontino aliquam, incertam tamen indeterminatamque, velocitatis aquæ rationem fuisse habitam.

II. At hæc verba certe non indicant, aut Frontinum certa aliqua Doctrina metitum fuisse etiam ex velocitate aquas, aut Frontinum scivisse eam Doctrinam Aquarum Fluentium, quam P. Castellius invenit; utut contra Castellu inventa, pro ipso Frontino, Fabrettus hunc locum (Num. 232 sæpe citati Operis) in medium trahat.

1. *credam, obstant ...., quod ipsis .... mensuris*] In Codicibus legitur ita; *credam obstantibus quod ips .... mensuris*: in Iocundi Editione ita; *credam* ¶ Art. 74.

constan-

ipsis .... mensuris Iulio mense hanc uniuscujusque copiam, quæ supra scripta est, tota deinceps æstate durantem [2] exploravi. Quæcunque tamen est [3] caussa, quæ præcedit; illud utique detegitur, x millia Quinariarum intercidisse: [4] dum beneficia sua Principes secundum modum Commentariis adscriptum temperant.

¶ Art. 75. ¶ [1] Sequens diversitas est, quod [2] alius modus concipitur ad capita, alius nec exiguo minor in Piscinis, minimus deinde distributione continetur. Cujus rei caussa est fraus Aquariorum, quos Aquas ex Ductibus publicis in Privatorum usum derivare deprehendimus. Sed & plerique Possessorum,

---

constantibus quidem ipsis mensuris: sed lectio hæc totam sententiam mancam reddit. Opinatus autem sum, verbum *obstantibus*, quod in Codicibus est, compositum fuisse ex duobus verbis (quorum ultimum fortasse compendiaria nota scriptum fuit) quæ perperam Librarii una conjunxerint, cum ante scriptum esset *obstant observationes*, aut scriptum esset verbum aliud verbo *observationes* analogum; quare pro hoc verbo lacunam reliqui, & posui verbum *obstant*. Lacunæ vero alteri convenire existimo verbum *actis*. Itaque totius periodi sententiam hanc esse reor: *ac ne credam, eos metu æstatis, aut siccitatum* (quando copia aquæ imminui valde potest) *in tantum recessisse a veritate*, *obstant* observationes, propterea *quod ipsis actis mensuris Iulio mense* (idest; post ipsas actas mense Iulio mensuras, quas ante tradidi) *deinceps hanc uniuscujusque* Aquæ inventam *copiam* tota æstate *durantem*, repetitis mensuris, *exploravi*; idest, explorando, eandem inveni durantem.

2. *exploravi*] Ita Codices. Editio Iocundi, *exploraverim*.

3. *caussa, quæ præcedit, illud &c.*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *caussa, a qua procedit illud*. Sed Codicibus steti.

4. *dum beneficia sua Principes secundum modum Commentariis adscriptum temperant*] Idest; dum Principes putantes, se posse concedere quinarias 14018, quæ apparebant in erogatione (ut dictum est supra in Art. 64) nescientesque, veram copiam aquæ omnium Aquæductuum constare ex quinariis 24413 (ut demonstratum fuit in Nota 6 III. Art. 64) concedentesque beneficia sua secundum apparentem illam erogationem, amittebant circiter X millia quinariarum. Codex Cassinensis habet, ut scripsimus: Editio Iocundi habet; *Princeps secundum modum Commentariis ascriptum temperat*. Codex Vrbinas in verbo *Princeps* consentit cum Editione Iocundi; in verbo autem *temperans*, cum Codice Cassinensi consentit.

¶ Art. 75. 1. *sequens diversitas*] Idest sequens caussa diversitatis inter copiam actis mensuris inventam, & copiam, quæ erat in Commentariis Principum descripta.

2. *alius modus concipitur ad capita &c.*] Si inter capita Ductuum & Piscinas pars aquæ surripiebatur fraudibus Aquariorum, & Privatorum (ut statim post verba hæc scribitur) contingere debebat, ut in Piscinis modus aquæ minor esset, quam ad capita; ac, si inter Piscinas, & loca, ubi distribuebatur aqua, iterum fraudibus ante indicatis alia pars aquæ intercipiebatur, fieri quidem debebat, ut modus aquæ in distributione esset minor minore illo modo in Piscinis; idest, ut modus in distributione minimus esset.

3. e quo-

forum, [3] e quorum agris aqua circumducitur, [4] inde [5] formas rivorum perforant; unde fit, [6] ut Ductus

3. *e quorum agris aqua circumducitur*] Ita Codex Cassinensis, & Codex Vrbinas: Editio Iocundi habet; *ex quorum agris aquæ circumducuntur*. Puto, ea verba significare; circum quorum agros (seu circum confinia agrorum) aqua circumducitur. Fateor tamen, suspectam mihi fuisse eam lectionem, propterea quia talis dictio aliquid insolentis habere visa est.

4. *inde*] Ita Codex Vrbinas, & Codex Vaticanus: Codex Cassinensis habet, *unde*: Editio princeps, ac Editio Iocundi habent, *fraude*; quod verbum aptius quidem videbatur; non tamen necessarium, & quod cogeret, ut a Codice Cassinensi nimis recederem.

5. *formas rivorum*] Verbum hoc *Forma* significat aliquando fistulas, tubos, seu specus, per quos aqua ducitur, ut scripsimus etiam in Nota 5 Art. 17: secundum quam significationem hoc loco id verbum usurpatur. Ita Sidonius Lib. I. Ep. 5, *Ravnit & Roma conspectui, cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus*. Ad hunc autem Sidonii locum notat Iacobus Sirmondus; caussam, *cur rivorum canales Formæ nuncupentur. Nomen* (scribit) *inde, ut apparet, quod subditis formis instruebantur. Qua ratione formacei quoque Afrorum, Hispanorumque ex terra parietes dicti, quoniam in forma circumdatis duabus tabulis inferciantur, ut docet Plinius Lib. XXXV. Cap.* 14. Quod tamen attinet ad Plinii locum, non prætermittam; eum in quibusdam Libris (ut in Aldina Editione) ita legi; *Quid? non in Africa, Hispaniaque ex terra parietes, quos appellant fornaceos, quoniam fornacum modo circumdati utrinque duabus tabulis infarciuntur*. Vtcumque tamen de his Plinii verbis sit; videtur mihi verisimillima conjectura Sirmondi. Quare, ut ad id, quod certum est, revertar; fistulæ, seu specus rivorum, hoc *Formarum* nomine (ut jam dictum est) fuerunt nuncupati.

II. Quin pro integris quoque Aquæductibus vox hæc aliquando usurpata reperitur; ut apud Frontinum nostrum infra in Art. 126 ubi legitur; *deinde vicinales Vias, agrestesque per ipsas formas dirigunt* (vide infra Notam 4 Art. 126) Ita etiam apud Cassiodorum; qui in *Variarum* Lib. VII, in Formula VI, quæ inscribitur, *Formula Comitiva Formarum Vrbis*, habet; *in Formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis*. Apud Iureconsultos etiam, & alibi vox hæc adhibita in proposita significatione reperitur.

III. Quidam citant Itinerarium Antonini: nam in ea veluti Appendice, quæ ad calcem Itinerarii adjicitur, inscribiturque *Itinerarium Maritimum*, legitur; *Nunc nomina Aquarum, quæ usibus æternæ Vrbis Formarum constructionibus advectæ sunt, indicemus*. Sed ea Aquarum Descriptio Appendici illi false intrusa (nisi velimus, totum illud *Itinerarium* Maritimum false attribui Authori melioris illius Itinerarii, cui titulus est *Itinerarium Provinciarum*) ea, inquam, Descriptio Aquarum barbari cujusdam Hominis est; atque infra tempora Antoninorum scripta. De Claudia enim Aqua, ab Appio Claudio Cæco Romam deducta, in ea Descriptione legitur; *Claudia inventa, & adducta est a Claudio Cæsare*: de Marcia, a Q. Marcio Rege deducta, legitur; *Marcia inventa est a Marco Agrippa*: de Iulia, a Marco Agrippa deducta, legitur; *Iulia inventa ab Aureliano perductaque est*; videlicet in Descriptione, quæ Antonino a multis tribuitur, nominatur Aurelianus, quod falsissimum commentum legitur etiam in Lexico Vniversali Io. Iacobi Hofmanni, ad verba *Aquæ Romæ Vrbis*. Hæc autem de illa Aquarum Descriptione, quæ ab aliquo haberi fortasse poterat ceu pertinens ad res nostras, semel indicavisse sufficiat. Neque vero jam propositæ verbi *Forma* significationi, aliunde jam certæ atque manifestæ, adjicienda est probatio hujus farinæ.

IIII. De-

ctus publici Hominibus Privatis vel ad Hortorum *usum* itinera suspendant. ¶ Art. 76. ¶ Ac de vitiis ejusmodi nec plura, nec meliora dici possunt, [1] quam a Cælio Rufo dicta sunt in ea concione, cui titulus est, DE AQVIS. Quæ [2] nunc nos omnia, simili licentia usurpata, [3] utinam non per offensas probaremus: irri-

IIII. Demum, non me latet, Andream Alciatum (in Annot. in tres posteriores Lib. Cod.) dubitavisse, num verbum *Formæ* in Frontini Libris corrupte scriptum sit, & *Forinæ* legi debeat: nam *Forinarum* vocabulo appellati fuisse videntur tubi, seu canales in antiquis Inscriptionibus (quod etiam ex Gruteri Inscriptionibus constat) Sed hoc verbum derivatum a verbo *Forica* significante tubos, per quos immundæ res deferebantur, pertinuisse ad tubos Aquæductuum, credi non potest.

6. *ut Ductus publici Hominibus Privatis vel ad Hortorum* usum *itinera suspendant*.] Locum ita explico, ut verba *Hominibus Privatis* pro dativo commodi (ut Grammatici ajunt) habenda sint; quasi diceretur ad commoditatem Privatorum Hominum: ut verba *Ductus publici suspendant itinera* translate posita sint, quasi Ductus ipsi facerent id, quod fiebat in ipsis fraude Hominum suspendentium itinera aquarum; idest Hominum avertentium cursum aquarum. In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate sic legitur; *ut Ductus publici hominibus privatis vel ad hortorum itinera suspendant*: at in Editione Iocundi legitur; *ut ductus publici Hominibus Privatis vel ad hortorum usum subserviant, vel ad itinera suspendant*. Quare vides in Editionem Iocundi inserta esse verba (quæ in Codicibus frustra requiras) hæc quattuor; *vel ad usum subserviant*; quæ nimia profecto sunt: quin tamen unum Iocundi verbum ego quoque retinerem, nimirum verbum *usum*, facere non potui; alioquin enim sententia nullo modo poterat explicari.

¶ Art. 76. 1. *quam a Cælio Rufo dicta sunt*] Hunc, opinor, fuisse M. Cælium Rufum, insignem Oratorem, Ciceronis amicum, atque familiarem, qui de vi a Sempronio Atratino accusatus, defensus fuit a Cicerone; & ipse quoque caussam suam egit auctore Quinctiliano Lib. II. Cap. 1, & Suetonio de claris Rhet. Caussa conjecturæ meæ hæc est: orationem, cui tantum tribuit Frontinus, ab eloquente aliquo Homine profectam fuisse, pro certo est habendum; nullum autem eloquentem Cælium Rufum, præter eum, quem nominavi, invenio. Accedit, Cælium hunc functum fuisse Quæstura Vrbana, Tribunatu Plebis, AEdilitate Curruli, Prætura Vrbana (hoc autem abrogato Magistratu, Vrbe pulsus, & occisus est) quamobrem contingere facile potuit, ut talis Vir ex aliqua occasione dicere de Aquis debuerit. Num vero ex hoc Frontini loco appareat, Cælium Rufum *pugnasse cum Aquariis, qui ex Familia publica erant*, ut asserit Laurentius Pignorius in suo *de Servis Commentario*, aliis judicandum relinquo.

2. *nunc nos omnia, simili licentia usurpata*] Ergo ante Frontini tempora, nimirum tempore Cælii Rufi, a Privatis usurpabantur aquæ: & idem erat Frontini ætate: & idem etiam multo post, ut liquet ex Cassiodoro, qui in *Variarum* Lib. III. Epist. 31 multa jussu Theodorici Regis scribit Senatui Vrbis Romæ adversus illos, qui aquas rivorum Aquæductuum (ipse Formas appellat) derivabant ad privatum usum. Hæc autem animadvertere in gratiam eorum, qui temporum vitia conferunt, lubuit.

3. *utinam non per offensas probaremus*] Etiam enim per offensas tueri officium constituerat Frontinus: quo in proposito persistens, ad extremum Libri habet hæc; *In reliquo vero opto, ne executio legis necessaria sit, cum officii fidem etiam per offensas tueri præstet.*

4. taber-

irriguos agros, [4] tabernas, cœnacula etiam, corruptelas denique omnes perpetuis salientibus instructas invenimus. [5] Nam quod falsis titulis aliæ pro aliis aquæ erogabantur, [6] etiam sunt leviora ceteris vitia. Inter ea tamen, quæ emendationem videbantur exigere, [7] numerandum est, quod fere [8] circa montem Cælium, & Aventinum accidit; qui colles, priusquam Claudia perduceretur, utebantur Marcia & Iulia; sed postquam Nero Imperator Claudiam, [9] opere arcuato *altius* exceptam, usque ad Templum Divi Claudii perduxit, ut inde distribueretur, priores non ampliatæ, sed [10] omissæ sunt: nulla enim Castella adjecit, [11] sed iisdem usus est, quorum, quamvis mutata aqua,

---

4. *tabernas, cœnacula etiam, corruptelas denique omnes*] Ita Codices. Luxum Romanorum, vel in nimia aquæ copia apparentem, exaggeravit Seneca Rhetor, in Controversiarum Lib. V. Controversia 5, testatus, *in summis culminibus* ædium *navigabilium piscinarum freta* fuisse. Ac de copia aquæ in Domos immissa, Strabo *in* Geographiæ Lib. V. ita scribit; *Tantum autem aquæ per Aquæductus in Vrbem derivatur, ut quælibet propemodum domus cisternas, tubulos, ac canales habeat copiosos*. Sed multi illicitam ducebant aquam, ut hoc in loco narrat Frontinus noster.

5. *Nam quod*] Ita Codex Cassinensis: atque ita sententia perspicua est, atque elegans; aliud enim vitium, dum Frontinus imminuere simulat, enarrat. In Editione Iocundi, pro particula *nam*, legitur *non*; hinc sententia tota obscura redditur.

6. *etiam sunt leviora*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas habet; *etiam inter leviora*: Editio Iocundi habet; *etiamsi inter leviora*. Mutationis caussa orta (ut opinor) ex particula *non* superius pro *nam* illapsa: hinc etiam perperam periodus hæc cum proxime superiore fuit a Iocundo copulata.

7. *numerandum est*] Ita Codices: Editio Iocundi habet, *mirandum est*.

8. *circa montem Cælium, & Aventinum accidit &c.*] Verbum *accidit* refertur ad præteritum tempus; nam eo, quo Frontinus scribebat, tempore aliæ, præter Claudiam, aquæ serviebant Montibus Cælio & Aventino, quibus jam redditæ fuerant, ut infra in Art. 87 scribitur his verbis; *nunc plures Aquæ, & in primis Marcia reddita ampliore opere a Cælio in Aventinum usque perducitur*.

9. *opere arcuato* altius *&c.*] Codex Cassinensis habet; *opere arcuato ascus*: Codex Vrbinas; *opere arcuato as.....*: Editio Iocundi; *opere arcuato assumpsit*: sed, ubi ponas id verbum *assumpsit*, sequens verbum *exceptam* infert obscuritatem non exiguam toti sententiæ; plurimumque ibi præstat, adverbium loco verbi ponere: adverbium autem *altius*, tum congruere huic loco videtur, quoniam Claudia excipiebatur altius, quam Iulia, erat enim illa altioris libræ; tum etiam videtur non esse valde a Cassinensis Codieis litteris remotum, cum *altius* in *ascus* imperitia Librariorum mutari facile potuerit.

10. *omissæ*] Ita Codices: Editio Iocundi *amissæ*.

11. *sed iisdem usus est*] Iisdem scilicet Castellis, quæ ante serviebant Iuliæ, & Marciæ, ac ideo appellabantur Castella Iuliæ, & Marciæ: hæc vero Castella post

S omissas

aqua, vetus appellatio mansit. ¶ Art. 77. ¶ [1] Satis jam de modo cujusque, & veluti nova quadam acquisitione aquarum, & fraudibus, & vitiis, quæ circa eas erant, dictum est: superest ut erogationem, quam confectam, [2] & (ut sic dicam) in massam invenimus, immo etiam falsis nominibus positam, per nomina Aquarum, uti quæque se habet, & per Regiones Vrbis digeramus. Cujus comprehensionem scio non jejunam tantum, sed etiam perplexam videri posse: ponemus tamen quam brevissime, ne quid velut formulæ Officii desit iis, quibus sufficiet cognovisse summa, [3] licebit transire leviora. ¶ Art. 78. ¶ [1] Vt ergo distributio Quinariarum XIIII millium X & VIII, ita &

---

omissas Aquas Iuliam & Marciam, inductamque Claudiam appellata fuisse Castella Iuliæ & Marciæ, indicatur ex sequentibus verbis; *quorum* (Castellorum) *quamvis mutata aqua, vetus appellatio mansit*. Quoniam vero Iulia & Marcia humiliores erant, quam Claudia, credibile est; Claudiæ, per Cælium opere arcuato perductæ, partem ad altiora loca distributam fuisse (quod ita neronianis temporibus placuerit) partem vero fuisse in Castella Iuliæ & Marciæ demissam. Nam si ad loca Castellis altiora Aqua Claudia non fuisset perducenda, cur pro Claudia opere arcuato, atque ideo altiore opus fuisset? De perductione autem Iuliæ per Cælium vide (si lubet) plura in Nota 8 II. & III. Art. 19.

¶ Art. 77. 1. *Satis jam de modo cujusque &c.*] Quod sæpe Frontinus jam alibi feceiat, hoc quoque in loco facit; nimirum paucis recenset ea, de quibus ante scripserat, ut ad transitionem ornatius clariusque accedat. Concludit ergo hie, dictum a se jam fuisse *de modo cujusque* Aquæ; nam modum cujusque tum positum in Commentariis, tum mensura inventum descripserat: dictum a se jam fuisse *de quadam veluti nova acquisitione*; nam excessus ille X millium Quinariarum inventarum a Frontino in mensuris ultra modum, qui erat in Commentariis, haberi poterat tamquam nova quædam acquisitio: demum asserit, dictum a se jam fuisse *de fraudibus & vitiis*, quæ circa eas Aquas erant; nam Aquariorum, Privatorumque fraudes paullo supra notaverat.

2. *& (ut sic dicam) in massam*] Idest in summam ex partitionibus majoribus constitutam. Partitionibus minoribus, in quas subdividebantur majores, neglectis, tamquam levioribus rebus. In Editione Iocundi deest particula *&*, quæ in utroque Codice reperitur.

3. *licebit transire*] Ita Codices: Editio Iocundi; *licebit tamen transire*.

¶ Art. 78. 1. *Vt ergo distributio Quinariarum XIIII millium X & VIII, ita & .... &c.*] In Cassinensi Codice legitur; *ut ergo distributio quinariarum quattuordecim millium decem & octo, ita & quadranengensitriginta sex*. in Codice Vrbinate pro *quadranengenti* legitur *quadragene*: in Editione Iocundi legitur; *Vt ergo distributio quinariarum XIIII millium X & VIII. Ita & quadragenum XXXVI*. Sed lectio quæque tum corrupta, tum manca esse videtur: quamobrem lacunam relinquere malui tam pro numero corrupto, quam pro verbis, quæ desiderari plane opinor. Quod ad numerum autem pertinet, quem hoc loco positum voluerit Frontinus, is conjectura potest

& .... [2] quia *omnes*, quæ ex quibusdam Aquis in adjutorium aliarum dantur, & bis in speciem erogationis cadunt, semel in computationem veniunt.

---

potest reperiri (etsi numerum, repertum ex conjectura, in contextum inserere nolui, quoniam nescivi quibus cum verbis numerus ipse conjungeretur) Nunc ergo ut ille numerus inveniatur, animadvertere præstat, in erogatione quarundam Aquarum numeratas fuisse quinarias, quæ dabantur in adjutorium alteri cuidam Aquæ; quæ quinariæ si numerentur etiam in erogatione hujusce Aquæ, cui datæ fuerant in adjutorium, bis erogabuntur in erogatione, idest bis venient in speciem erogationis; cum tamen semel venire debeant in computationem: nimirum tunc dumtaxat, quando ex secundo Aquæductu educuntur, ut distribuantur, adhibeantur, consumanturque; quemadmodum perspicue definitum jam fuit in Nota 7 II. Art. 65.

II. Caussa exempli: Claudia dabat Iuliæ in adjutorium (ut dicitur in Art. 69) quinarias 162: sed de his quinariis dici vere non poterat, ipsas erogari a Claudia; talis erogatio erat ficta quædam species erogationis, erat falsa erogatio, nam vere erat translatio aquæ ex uno Aquæductu in alium. Vera autem erogatio tunc fiebat, quando ex Aquæductu Iuliæ educebantur hæ quinariæ, ut distribuerentur, adhiberentur, consumerenturque. Ergo, licet specie quadam erogationis bis viderentur erogari hæ quinariæ 162, semel tamen computandæ erant; propterea quia utrobique, tum in eductione ab Aquæductu Claudiæ, tum in eductione ab Aquæductu Iuliæ erant eædem numero (ut ajunt) quinariæ. Quinariæ autem illæ, quæ ex uno Aquæductu transibant in alius Aquæductus adjutorium, atque bis veniebant in speciem erogationis (etsi semel computandæ fuerunt) sunt hæ, quas subjeci: nimirum dabat in adjutorium Quinarias

nimirum dabat	in adjutorium		Quinarias
Marcia	Tepulæ,	ut est in Art. 67.	92.
	& Anioni vet.	ut in Art. 67.	164.
Iulia	Tepulæ,	ut in Art. 69.	190.
Claudia	Iuliæ,	ut in Art. 69.	162.
Anio novus	Tepulæ,	ut in Art. 68.	163.
		Summa Quinariarum	771.

III. Quæ cum ita se habeant; opinor, sententiam integram citati propositique loci esse hujuscemodi: *Vt ergo distributio Quinariarum* 14018, *ita &* distributio quinariarum 771 fit, non tamen computanda, *quia omnes quinariæ, quæ ex quibusdam Aquis in adjutorium aliarum dantur, & bis in speciem erogationis cadunt, semel in computationem veniunt*. Ita enim ii, quibus Frontinus se scribere paullo supra professus est, doceri poterant; videri quidem, illas quinarias 771 erogari bis; cavendum tamen, ne illæ bis in computatione ponerentur. Verba hæc, *fit, non tamen computanda*, quæ in interpretatione addidi; addidi pro iis, quæ necessaria omnino visa sunt ad Frontinianam sententiam explicandam; non pro illis ipsissimis, quæ Frontinus posuit: quis enim illa divinet? ideo in contextum ea non intuli. Quæsivi etiam initis calculis, num pro Cassinensis Codicis verbo *quadranongenti* posset reponi verbum *quadragenariarum*: sed res haud feliciter successit.

2. *quia* omnes, *qua ex quibusdam*] In utroque Codice legitur: *quia unus que ex quibusdam*: in Editione Iocundi; *quia una quandoque ex quibusdam*. Cum in Cassinensi Codice post ea, quæ modo retuli, sequantur verba *dantur, cadunt, veniunt*; credidi, particulam *quæ* in numero plurium ab iisdem verbis requiri, qua cum particula vox *omnes* (idest; *omnes* quinariæ) apprime consentit: vox etenim *unus* nihil ad rem facere videtur; apparetque in ea voce mendum inesse. Ceterum Iocundus, qui pro vocibus *unus que*, posuit *una quandoque*, coactus deinde fuit scribere

veniunt. Ex his dividuntur extra Vrbem [3] Quinariarum IIII millia LXIII: ex quibus nomine Cæfaris Quinariæ MDCCXVIII; Privatis Quinariarum II millia CCCXXXXV. [4] Reliquæ intra Vrbem VIIII mille DCCCCLV distribuebantur [5] in Castella CCXXXXVII: quibus [6] erogabantur sub nomine Cæfaris Quinariæ MDCCVII femis; Privatis Quinariarum III millia DCCCXXXXVII; Vfibus Publicis Quinariarum IIII millia CCCCI: ex eo [7] Castris *X* & *VIIII*, [8] Quinariæ CCLXXVIIII; [9] Operibus Publicis *LXXXXV*, Quinariarum II millia CCCCI; Muneribus XXXVIIII; Quinariæ

---

datur, *cadit*, *venit*; quam mutationem, ut nimiam, & minime necessariam declinavi.

3. *Quinariarum IIII millia LXIII*] Paullo infra scribitur (ut in Codice Cassinensi legitur: nam ab illis sunt diversi numeri in Iocundi Editione) ex hisce dari nomine Cæsaris Quinarias 1718, Privatis Quinarias 2345, qui numeri in unam summam collecti restituunt propositum numerum 4063; quamobrem arbitramur, hos tres numeros recte esse positos.

4. *Reliqua intra Vrbem VIIII mille DCCCCLV*] Tum in utroque Codice, tum in Editione Iocundi legitur; *Reliquæ intra Vrbem mille DCCCCLV*: sed manifestissimum est, requiri numerum VIIII ante nomen numerale *mille*, cum hæ reliquæ quinariæ debeant esse 9955. Namque si ex summa quinariarum 14018 integræ erogationis subtrahantur quinariæ 4063, quæ (ut modo dictum est) distribuebantur extra Vrbem; eæ, quæ remanent *Reliquæ* quinariæ *intra Vrbem* distribuendæ, sunt 9955.

5. *in Castella CCXXXXVII*] Vide infra Notam 1. VII. Art. 79.

6. *erogabantur sub nomine Cæsaris &c.*] Scribitur hoc loco, quinarias illas 9955 intra Vrbem distributas fuisse hac ratione; ut darentur nomine Cæsaris quinariæ 1707 cum dimidia; Privatis quinariæ 3847; Vfibus Publicis quinariæ 4401: qui tres numeri (neglecta quinaria dimidia) 1707, 3847, 4401 in unam summam collecti efficiunt numerum 9955, ut efficere debebant: recte ergo scripti sunt: consentiunt etiam in hisce tribus numeris Codex Cassinensis, atque Editio Iocundi.

7. *Castris* X & VIIII] Quid hic legeretur vide infra in Nota 1. VIII. Art. 79.

8. *Quinariæ CCLXXVIIII*; *Operibus Publicis &c.*] Qua ratione distribuerentur quinariæ illæ 4401, quæ serviebant Vfibus Publicis, hic recensetur: scribitur autem, ex iisdem datas fuisse Castris quinarias 279; Lacubus quinarias 1335 (qui duo numeri tum in Cassinensi Codice, tum in Editione Iocundi consentiunt) Operibus Publicis, ut in Cassinensi Codice quinarias 2301, ut in Editione Iocundi quinarias 2401; Muneribus, ut in Cassinensi Codice quinarias 386, ut in Editione Iocundi quinarias 383. Verum adhibui, pro quinariis Castrorum, Munerum, & Lacuum, numeros Codicis Cassinensis; at, pro quinariis Operum Publicorum, usus sum numero posito in Editione Iocundi, qui quinariis centum superat numerum Codicis Cassinensis: conveniebat enim, ut augeretur (cum aliquis deberet augeri) numerus quinariarum pertinentium ad Opera Publica, quibus abundanter tributam fuisse aquam, ex erogationibus Appiæ, Anionis Veteris, Iuliæ, Virginis satis liquet. Habui ergo quattuor hosce numeros 279, 2401, 386, 1335, qui in unam summam collecti

nariæ CCCLXXXVI; Lacubus DLXXXXI, Quinariæ MCCCXXXV. Sed & hæc ipsa dispensatio per nomina Aquarum, [10] & Regiones Vrbis partienda est. ¶ Ex Quinariis ergo XIIII millibus X & VIII, quam summam erogationibus omnium Aquarum sepofuimus, [1] dantur nomine Appiæ extra Vrbem Quinariæ tantummodo V, quoniam humilior oritur; & a metitoribus reliquæ Quinariæ DCLXXXXVIIII intra Vrbem dividebantur per Regiones II, VIII, VIIII, XI, XII, XIII, XIIII, in Castella XX: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ CLI; Privatis Quinariæ CLXXXXIIII: Publicis Quinariæ CCCLIIII: ex eo Castris I, Quinariæ *III*; Operibus Publicis XIIII, Quinariæ CXXIII; Muneri I, Quinariæ II; Lacubus LXXXXII, Quinariæ CC.

¶ Art. 79.

---

collecti efficiunt propositum numerum 4401 quinariarum Vsibus Publicis inservientium: quas ioquirebamus.

9. *Operibus Publicis* LXXXXV] Quid hic legeretur vide infra in Nota I. VIIII. Art. 79.

10. *& Regiones*] Ita Codices: Editio Iocundi; *sed Regiones*.

I. *dantur nomine Appiæ extra Vrbem Quinariæ &c.*] Io eo igitur Frootinus nunc est, ut recenseat Aquarum erogationes cum extra Vrbem, tum intra Vrbem per Regiones singulas; atque etiam distinctius narret, quot quinariæ nomioe Cæsaris, quot Privatis, quot Vsibus Publicis, aliisque jam supra recensitis locis distribuerentur. Io Codicibus, & editis Libris haud pauci ex numeris, quibus hæc omnia continentur, vitiati sunt. ¶ Art. 79.

II. De numeris, designantibus Regiones, vix habeo quid dicam. Alsietina serviebat Transtiberinæ Regioni; ut scribit Frontinus in Art. 18: Claudia, & Anio Novus serviebant Regionibus omnibus; ut scribit idem Frontinus in Art. 86, ubi de Regionum numero ambigi non potest. Ceterum potest minime cognosci, num illi, qui pertioent ad Aquas reliquas, numeri justi sint; deest enim modus eos comparandi: quoniam loca Vrbis (si pauca subindicata excipias) in quæ distribuerentur Aquæ reliquæ, Frootious alibi oon commonstravit.

III. Quod vero attinet ad numerorum reliquorum emendationem, sane difficillimam, putavi; ipsos non singulatim, sed quasi conjunctim esse attendeodos, emendandosque. Ideo illos omnes in tres Tabellas (Vide in Tabulis, E, & F Tabellas I. III. V.) conjeci eo ordine, qui intuitu facilius, quam ex verbis eas Tabellas describentibus, potest intelligi. Io pluribus areolis unus dumtaxat numerus est, quoniam unus idemque in Codice Cassinensi, & io Editione Iocundi reperitur. In areolis quibusdam duo sunt numeri; superior ex Editione Iocundi, inferior ex Codice Cassinensi desumtus. Ex numeris enim Codicis Vrbioatis vix ullus differt a respoodeote numero in Codice Cassioensi; &, etiam si quis differt, ad rem tamen nostram illustrandam nihil ex ejusdemmodi comparatione conferri posse, cognovi.

IIII. Me-

¶ Art. 80. CCXXVI. ¶ Anionis veteris erogabantur extra Vrbem nomine Cæsaris Quinariæ *CIIII*; Privatis Quinariæ CCCCIIII: reliquæ Quinariæ *MCII* femis intra Vrbem dividebantur per Regiones I, III, IIII, V, VI, VII, VIII, VIIII, XII, XIIII, in Castella XXXV: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ LX; Vsibus Privatis Quinariæ CCCCLXXXX; Publicis Quinariæ *DLII*; ex eo Castris I, Quinariæ L; Operibus Publicis XVIIII; Quinariæ CLXXXXVI, Muneribus VIIII, Quinariæ LXXXVIII; Lacubus LXXXXIIII, Quinariæ

CC

IIII. Methodus, quam in numeris aut seligendis, aut emendandis sum diligentius prosecutus, hæc est. In seligendis numeris, ubi ex collatione cum aliis numeris, vel cum rebus a Frontino traditis cognovi, numeros aliquos cum veritate consentire; tunc eosdem illos adhibui, non habita ratione num ex Codice, an ex Iocundi Libro essent desumti: neque enim diversimode fieri poterat. At ubi res dubia fuit, Codicis Cassinensis fidem prætuli.

V. De emendationibus autem numerorum antequam dico, illud animadverto credibile admodum esse, numeros a Frontino in suis Libris fuisse designatos capitalibus litteris, ut Romanorum ferebat mos. Hinc in descriptionibus litterarum per Librariorum incuriam multas mutationes, atque ideo multos errores irrepsisse. Factum præterea deinde fuisse, ut aliquis in latina lingua valde hospes plurimos numeros, litteris designatos, verbis exprimeret infeliciter; ut satis constat ex fœdis in grammaticam peccatis, quæ in Codice Cassinensi, & in Libris quoque editis haud raro occurrunt (quemadmodum orta etiam sunt vitia, quæ animadverti supra in Nota 6. II. Art. 26, irrepsisse in Notas exprimentes Assis partes) Quæ cum ita animo conciperem, in restituendis ubique numeris conjecturam feci primum, ut ex facili capitalium litterarum mutatione possent numeri emendari, & in plerisque res hoc modo peracta est. Aliquando tamen, ipsa re quasi exigente, ex mutatione verborum exprimentium numeros conjecturam feci, ut invenirem numeros alios pro falsis substituendos.

VI. Nunc venio ad rem ipsam. Ante omnia considerati a me sunt numeri (Tabella I.) Castellorum, Castrorum, Publicorum Operum, Munerum, atque Lacuum; quippe qui nullo nexu numeris reliquis implicarentur.

VII. Collectis in unam summam Castellis omnium Aquarum, inveni numerum 247 eundem, qui supra in Art. 78 a Frontino positus fuerat: quamobrem hoc loco omnia recte posita deprehendi.

VIII. In Castrorum numero conjecturis opus fuit. Legitur supra (in Art. 78) in Editione Iocundi; *Castris ducentis*: in Codicibus Cassinensi, atque Vrbinate; *Castris ducentenariæ*. Quoniam vero pro sex Aquis; Appia nimirum, Anione vetere, Marcia, Tepula, Claudia, Anione novo; Castrorum numeri, qui integri sunt, in unam summam collecti dant tantum quinarias sexdecim, & duæ aliæ Aquæ, Virgo, & Alsietina nihil dabant in Castra; idcirco aperte liquet, numerum *ducentum* huic loco minime convenire, sed exiguo numero opus esse. Opinatus ego sum, principio scriptum vere fuisse ab iis, qui numeros, per numerales litteras ante expressos, expresserunt deinde numeralibus verbis ita, *Castris decem & novem quinariæ*: quare, prætermissis ex posteriorum Librariorum incuria numero *novem*, & parte *qui*

verbi

CCXVIII. ¶ Marciæ erogabantur extra Vrbem nomine Cæsaris Quinariæ CCLXVIIII; *Privatis DLXVIII*; reliquæ Quinariæ *MLXXXXVIII*, intra Vrbem dividebantur per Regiones I, III, IIII, V, VI, VII, VIII, VIIII, X, XIIII, in Castella LI: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ CXVI; Privatis Quinariæ DXXXXIII; *Vsibus Publicis Quinariæ CCCCXXXVIIII*; Castris IIII, Quinariæ XXXXI; Operibus Publicis XV, Quinariæ XXXXI; Muneribus XII, Quinariæ CIIII; Lacubus CXIII, Quinariæ CCLIII. ¶ Tepulæ erogabantur extra Vrbem nomine Cæsaris Quinariæ

¶ Art. 81.

¶ Art. 82.

verbi *quinariæ*, facili depravatione effingi potuit *decem & nariæ*, seu *ducentenariæ*. Conjeci autem, quinarias fuisse *decem & novem*, non *decem & octo*, vel *decem & septem*, quia pro Aqua Iulia deerat numerus Castrorum; neque pauciora Castra, quam tria pro quinariis 69 (tot enim quinarias Castris datas, scribitur) reponenda esse duxi. Sic itaque emendavi, ut supra in Art. 78 ponerem *Castris X & XVIIII*; ut hic in Aqua Iulia vacuam areolam Castrorum implerem numero 3.

VIIII. Operibus Publicis Iuliam dedisse quinarias 181 in Codice Cassinensi reperio, at quot essent Opera, quibus hæ quinariæ dabantur, in nullo Codice aut alio Libro reperio. Numerus exprimens summam Operum, quibus aliquid a reliquis Aquis tribuebatur, est 85, si 10 Opera, quibus tribueret Iulia, ponantur; summa exprimitur numero 95. At supra in Art. 78 scriptum erat & in Codicibus, & in editis Libris; *Operibus Publicis septuagintaquinque*. Igitur ut loca emendarem, retento numero *quinque*, supra pro *septuagintaquinque* substitui *nonagintaquinque* (illa enim depravatio faciliter irrepere potuit) Areolam vacuam pertinentem ad Iuliam pro numero Publicorum Operum implevi numero 10.

X. Numerus quoque Munerum deerat pro Iulia tum in Codicibus, tum in editis Libris. Omnia Munera supra (in Art. 78) expressa fuerant numero 39. Summa Munerum, quibus Aquæ reliquæ tribuebant aliquid, invenitur exprimenda numero 36: ergo in areola vacua ad Iuliam pertinente pro Munerum numero ponendo 3, ut Summa integra fit 39, totus locus est restitutus.

XI. Lacubus 126 dedisse Claudiam & Anionem Novum quinarias 427 scriptum erat: ut quinariæ circiter tres cum dimidia euique Lacui datæ viderentur: cum certe pauciores quinarias, pro rata portione, darent Lacubus Aquæ reliquæ. Ideo, pro numero 126, numerum 226 substitui. Sic omnium Lacuum summa exprimitur numero 591: quemadmodum supra in Art. 78 scriptum erat; *Lacubus 591*.

XII. Hæc omnia, sic emendata, sunt in Tabella II; in cujus areolis ubi numerus duplici puncto notatus reperitur, ibi intelligendum est, illum numerum fuisse emendatum: in iis vero areolis, ubi numerus non distinguitur punctis, ibi intelligendum est, nihil mutatum fuisse. Quod etiam pro Tabellis IIII. & VI. monitum velim.

XIII. Postea vero numeros ad erogationem extra Vrbem pertinentes (Tabella III.) diligenter expendi. Appiæ tribuebatur erogatio extra Vrbem quinariarum 5; ponebantur *Reliqua Quinaria* esse 699 *intra Vrbem*: quæ 699 quinariæ cum illis 5 collectæ, quoniam justam (constantamque jam in Nota 7. II. Art. 65) Appiæ eroga-

riæ LVIII; Privatis LVI: reliquæ Quinariæ CCCXXXI, intra Vrbem dividebantur per Regionem IIII, V, VI, VII, in Castella XIIII: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ XXXIIII; Privatis Quinariæ *CCXXXXVII*; Vsibus Publicis Quinariæ L: ex eo Castris I, Quinariæ XII; Operibus Publicis III, Quinariæ VII; Lacubus XIII, Quinariæ *XXXI*. ¶ Iuliæ fluebant extra Vrbem nomine Cæsaris Quinariæ LXXXV; Privatis Quinariæ CXXI: reliquæ Quinariæ *DLXXXXVII*, intra Vrbem dividebantur per Regiones II, III, V, VI,

¶ Art. 83.

---

erogationem dant, numerum illum quinariarum justum esse declarant. In Anione vetere, nomine Cæsaris, ponebantur quinariæ *169*, qui numerus depravatus est; neque enim conjungi potest ullo modo cum reliquis aliarum erogationum. Reliquis illis attentis (neque enim pro talibus difficilibus, sed necessarius emendationibus, aliam viam ad conjecturas inveni) repertus est numerus *104*; qui, substitutus loco numeri *169*, cum aliis conjungi poterat: pro Privatis autem numerum *404* satisfacere compertum fuit. In Marcia, nomine Cæsaris numerus quinariarum *269* fuit servatus: verum pro Privatis areola vacua impleri debuit; namque hæ quinariæ *269*, quæ extra Vrbem erogabantur collectæ cum iis, quæ erogabantur intra Vrbem & nomine Cæsaris, & pro Vsibus Privatis, & pro Vsibus Publicis non æquabant justam (constitutamque jam in Nota 8. III. Art. *67*) Marciæ erogationem: itaque credibile est, Privatos extra Vrbem tot quinarias (nimirum *568*) habuisse, quot sufficerent, ut quinariarum extra Vrbem, & intra Vrbem erogatarum summa justam Marciæ erogationem æquaret. In Tepula numeros quinariarum *58*, & *56* cum veritate consentire, apparuit; propterea quia illæ quinariæ collectæ cum reliquis quinariis *331* erogationis intra Vrbem conficiunt justam (constitutamque jam in Nota 4. II. Art. *68*) Tepulæ erogationem. Simili studio reliquos numeros ad hanc Tabellam pertinentes vel probavi, vel emendavi, vel supplevi, indeque correctam Tabellam IIII effórmavi.

XIIII. Deinde numeros ad erogationem intra Vrbem pertinentes in alia Tabella V posui. Et in primis omnes numeros areolarum, in quibus *Reliquæ Quinariæ* (singulæ scilicet Summæ erogationum Aquæ cujusque intra Vrbem) designantur, examinavi; facile autem factu fuit quosdam probare, quosdam emendare, ubi erogationes Aquæ cujusque extra Vrbem, & intra Vrbem collatæ fuerunt cum respondentibus justis erogationibus.

XV. Demum ad alios numeros ejusdem Tabellæ accessi. Erogabat Appia intra Vrbem Reliquas suas Quinarias *699* (ut in Tabella est) sic: nomine Cæsaris quinarias *151*, Vsibus Privatis quinarias *194*, Vsibus Publicis quinarias *354*, qui numeri in unam summam collecti progignunt numerum illum superiorem *699*; cui quidem hi tres simul sumti æquales esse debebant: ergo hi tres *151*, *194*, *354* recte habent. Quoniam vero Vsus Publici quattuor erant generum; nimirum Castra, Opera Publica, Munera, & Lacus; iccirco facile constat, quinarias datas singulis his Vsibus in unam summam collectas æquales esse oportere quinariis *354*, quas Vsibus Publicis dari ab Appia, scriptum est. Collectione autem facta quinariarum *4*, *123*, *2*, *226* (vide Tabellam) inveni numerum *355*; propatereaque numerum *4* in numerum *3* commutavi. Numeri enim III, V, IV, VI (quorum postre-

VI, VIII, X, XII, in Castella XVII: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ XVIII; *Privatis CLXXXXVI*; Vsibus Publicis Quinariæ CCCLXXXIII: ex eo Castris *III*, Quinariæ LXVIIII; Operibus Publicis *X*, Quinariæ *CLXXXXII*; Muneribus *III*, Quinariæ LXVII; Lacubus

---

postremi litteris capitalibus, quo modo fecimus, declinante latina puritate, scribi consueverunt) facillime mutari, aut alius pro alio poni potuere, conjunctis extremitatibus duarum II, unde prodibat V, aut parte inferiore litteræ V aperta, unde II prodibat; eademque ratione numerus III. mutari in numeros IV, aut VI, vel contra hi numeri in illum potuere; quod melius etiam ex attenta quorundam Codicum observatione potest intelligi. Hac itaque, quasi sponte sua sese offerente, emendatione numeri IV in III facta, omnes numeri ad Appiam pertinentes recte se habuerunt.

XVI. Simillimaque methodo numeros areolarum, quæ ad Veterem Anionem referuntur, consideravi. Numeri 50, 196, 88, 218, quibus quinariæ datæ ad Vsus Publicos continentur, in unam summam collecti dant numerum 552: hoc itaque pro Vsibus Publicis posito, peracta emendatio hujusce Aquæ est.

XVII. Vt Marciæ numeri omnes recte se haberent, satis fuit vacuam areolam Publicorum Vsuum implere numero 439, qui inventus fuit collectione numerorum, 41, 41, 104, 253 singulorum Publicorum Vsuum, ex quibus numerus ille componi debet.

XVIII. Tepulam quoque similiter expendens inveni, numerum 237 in 247, numerum 32 in 31 mutari oportere: potuit autem facillime in capitalibus litteris contingere, ut CCXXXVII poneretur pro CCXXXXVII, & XXXI pro XXXII.

XVIIII. In Iulia numerum 181 unitate auxi, ut esset 182: sicque quattuor numeri 69, 182, 67, 65 integrum numerum 383 exprimentem quinarias datas Vsibus Publicis æquarent. Areolam autem quinariarum, quæ dabantur Vsibus Privatis, vacuam implevi numero 196; qui scilicet, cum duobus aliis 18 & 383, ad eandem summam pertinentibus, reliquarum Quinariarum summam ipsam efficeret.

XX. Idem præstiti pro numeris spectantibus ad Aquam Virginem, in quibus mutatus est numerus 1380 in 1330: nam ex uno de tribus numeris, 1380, 26, 61 (vide Tabellam) qui in unam summam collecti efficiunt 1467, detrahi debet numerus 50, ut summa sit inde 1417; cum summæ huic æquales esse debeant tres illi numeri: detractio autem hæc non melius fieri potuit, quam ex numero 1380, eum convertendo in numerum 1330. Ceterum, reliqui numeri recte se habent.

XXI. Quod vero ad Claudiam, & Anionem Novum attinet; numeros omnes, qui singuli ad Aquam utramque conjunctam pertinebant, mutare debuimus. Profecto nulli in tota hac serie tam erant, quam hi, depravati; & neque inter se, neque cum reliquis ad alias Aquas pertinentibus cohærentes. Illud autem animadvertendum fuit diligenter (quod in maxime depravato, & postremo loco vitari non poterat) ut tales essent hi numeri, quales collecti cum aliis areolarum superpositarum ad perpendiculum summas debitas possent efficere. Omnes enim (ut in emendata Tabella VI videre est) numeri ad Vsus Privatos, caussa exempli, pertinentes, in unam summam collecti, efficiunt numerum 3847, quem pro Vsibus Privatis numerum supra in Art. 78 posuerat Frontinus: omnes numeri pertinentes ad Lacus, collecti in unam summam, efficiunt numerum 1335, qui numerus cunctis Lacubus fuerat a Frontino supra in Art. modo citato 78 assignatus: & sic porro.

XXII. En itaque ratio, qua (ut necessitas coegit) numeros restituimus. Et sane,

¶ Art. 84. cubus XXVIII, Quinariæ LXV. ¶ Virginis nomine exibant extra Vrbem Quinariæ CC: reliquæ Quinariæ II mille CCCIIII intra Vrbem dividebantur per Regiones VII, VIIII, XIIII, in Castella XVIII: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ DXXXXVIIII; Privatis Quinariæ CCCXXXVIII; Vsibus Publicis MCCCCXVII: ex eo Muneribus II, Quinariæ XXVI; Lacubus XXV, Quinariæ LXI; Operibus Publicis XVI, Quinariæ *MCCC*

¶ Art. 85. *XXX*; in quibus per se [1] Euripo, cui ipsa nomen dedit, Quinariæ CCCCLX. ¶ [1] Alsietinæ Quinariæ CCCLXXXXII: hæc tota extra Vrbem consumitur; nomine Cæsaris Quinariæ *CCLIIII*; Privatis Quinariæ

---

ne, emendationes quasdam esse veras, res ipsa ferme demonstrat: at quasdam veri dumtaxat similes esse, non infieior. Nihilo tamen minus verissimum illud videtur, numeros, hac etiam veri similitudine emendatos, propius ad veritatem accedere, ac inter se apte cohærere: cum antea plures liquido falsissimi essent, neque possent inter se ulla ratione conjungi. At quod spectat ad perpaucas emendationes quorundam locorum inter eos numeros, de quibus hactenus dictum est; ad eas confirmandas non addidi peculiares notas, quoniam post res tam multas de numeris scriptas, nolui, superadditis rebus aliis minoris momenti, longam nimis farraginem in locum hunc coacervare. Quæ autem sint, ex diversitate typorum, quibus descripta sunt verba in locis illis, satis apparet.

¶ Art. 84. I. *Euripo*] Cicero in Lib. II. *de Legibus* docet, Ductus ipsos vocabulo Euriporum fuisse appellatos; *Ductus vero* (scribit) *aquarum, quos isti Tubos & Euripos vocant*. Multi Euripum definiunt alveum, qui aquas in morem fluviorum deducit. Et, quod ad rem nostram attinet, oportet, ut ad varios Vsus Publicos aliquis amplus, quippe qui 460 quinarias caperet, alveus aquam receperit, qui Euripus Virginis dictus sit.

II. Euripi dicebantur etiam fossæ, & lacunæ aquarum stagnantium in Circo vel Arena. Celebres sunt illi Euripi, quos fecit Cæsar Dictator; de iisdem Plinius Lib. VIII Cap. 7 ita scribit; *Pompeji quoque altero Consulatu, dedicatione Templi Veneris Victricis, pugnavere in Circo viginti, aut, ut quidam tradunt, decem & septem* (Elephanti) *Vniversi eruptionem tentavere, non sine vexatione Populi circumdati claustris ferreis. Qua de caussa Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus Euripis Arenam circumdedit: quos Nero princeps sustulit, Equiti loca addens*. Nimirum circumdedit Arenam fossis aquæ plenis, quæ eruptionem tentantibus Elephantis essent impedimento. Verba autem Plinii modo citata (si recte expendantur) persuadere videntur, Cæsarem Dictatorem primum fuisse, qui Arenam Euripis circumdederit. Nardinus (Lib. VII Cap. 2) opinatur, in hujusce modi Euripos immissam non fuisse aquam vivam, fluentemque, *ad quam inducendam aquæductu non sine ingenti sumptu, opus fuisset*: at de hac re nihil certi ex Frontino colligi potest. Vide infra Notam I. Art. 97.

¶ Art. 85. I. *Alsietinæ Quinariæ CCCLXXXXII*] Has quinarias erogationis Alsietinæ fuisse 392, liquet ex iis, quæ dicta fuere supra in Nota 3. II. Art. 64.

I. in

riæ CXXXVIII. ¶ Claudia & Anio novus extra ¶ Art. 86. Vrbem proprio quæque rivo erogabantur, intra Vrbem confundebantur. Et Claudia quidem extra Vrbem dabat nomine Cæsaris Quinarias CCXVII, Privatis Quinarias CCCCXXXVIIII. Anio novus nomine Cæsaris *DCCXXXI*; *Privatis CCCCXIIII*: reliquæ utriusque Quinariæ *III mille DCCCXXIIII* intra Vrbem dividebantur per Regiones Vrbis XIIII, [1] in Castella LXXXXII: ex quibus nomine Cæsaris Quinariæ *DCCLXXVIIII*; Privatis Quinariæ *MDCCCXXXVIIII*; Vsibus Publicis Quinariæ *MCCVI*: ex eo Castris VIIII, Quinariæ *CIIII*; Operibus Publicis XVIII, Quinariæ *DXXII*; Muneribus XII, Quinariæ *LXXXXVIIII*; Lacubus *CCXXVI* Quinariæ ¶ Art. 87. *CCCCLXXXI*. ¶ Hæc copia Aquarum [1] ad Nervam Imperatorem usque computata, ad hunc modum describebatur: nunc providentia diligentissimi Principis, quicquid [2] aut fraudibus Aquariorum intercipiebatur, aut inertia pervertebat, quasi nova inventione fontium adcrevit, ac prope publi-

1. *in Castella LXXXXII*] Ex hisce verbis, & ex præcedentibus; *Claudia & Anio novus intra Vrbem confundebantur*; colligitur, neque Claudiam, neque Anionem novum propria Castella habuisse; sed illa 92 Castella fuisse utrique Aquæ communia. ¶ Art. 86. Si huc respexit Cel. Grævius, ubi in Præfatione ad Tomum IIII Romanarum Antiquitatum ita scripsit; *Aqua Claudia Romæ Castella non habuit*; mirabor, cur idem de Anione novo non dixerit. Sed illud magis miror (ut liberius dicam) cur subdiderit, *ideoque dividebatur ex rivo*; quod & falsum esse videtur, & parum cohærens cum iis, quæ ipse de Castellis paullo infra subjecit.

1. *ad Nervam Imperatorem usque*] Frontinus creatus fuit Aquarum Curator, Nerva Coccejo Imperatore (ut ostendetur infra in Nota ultima Art. 102) cujus imperium anni dumtaxat unius cum dimidio circiter fuit. ¶ Art. 87. Cum vero idem Nerva Coccejus rerum potiebatur, Frontinus metitus est copiam Aquarum, distributionemque. Ergo dum scribit, eam copiam fuisse *usque ad Nervam Imperatorem*, indicat Nervam Trajanum Vlpium; qui, adoptatus a Nerva Coccejo, post hujus mortem imperium obtinuit: isque ille est *diligentissimus Princeps*, is *Imperator Piissimus Nerva*, de cujus *providentia* Frontinus ipse infra loquitur. Vide Notam 4 Art. 93.

2. *aut fraudibus Aquariorum intercipiebatur*] Specimen hujusce providentiæ Trajani distincte supra in Art. 9 retulit Frontinus, ubi agens de Iulia Aqua scripsit, revocatas fuisse derivationes, *per quas subripiebatur*; vide, si lubet, Notam 25 ejusdem Art. ad citata hæc verba appositam.

publicata ubertas eſt: tum & ſedula deinde partitione diſtributa, ut Regionibus, quibus ſingulæ ſerviebant Aquæ, plures darentur; [3] tamquam Cælio, & Aventino, in quos ſola Claudia per arcus Neronianos ducebatur. Quo fiebat; ut quotiens [4] refectio aliqua interveniſſet, celeberrimi colles ſitirent; quibus nunc plures Aquæ, & inprimis Marcia reddita [5] amplo opere a Cælio in Aventinum uſque perducitur. Atque etiam omni parte Vrbis Lacus tam novi quam veteres, plerique binos ſalientes diverſarum Aquarum acceperunt; ut, ſi caſus alterutram impediſſet, altera ſufficiente non deſtitueretur uſus.

¶ Art. 88. ¶ Sentit hanc curam Imperatoris piiſſimi Nervæ Principis ſui Regina & domina Orbis indies, quæ [1] Terrarum Dea conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum: &

---

3. *tamquam Cælio, & Aventino &c.*] Vide Notam 8. I. II. Art. 19, & Notam 8. Art. 76.

4. *refectio*] Ex refectionibus enim ceſſabant aquæ, atque deficiebant; quemadmodum ſcriptum ſupra in Art. 11 eſt; *quotiens pontes reficiuntur, & a citeriore ripa aquæ ceſſant*. In Caſſinenſi Codice legitur *refectio*, ut poſuimus: in Editione Iocundi, & in Codice Vrbinate legitur; *defectio*.

5. *amplo opere a Cælio in Aventinum*] Codex Caſſinenſis habet; *amplo operi a Se in Aventinum*; & ferme ita etiam Codex Vrbinas: Editio Iocundi habet; *ampliora opere a Cælio in Aventinum*. Sed legendum eſſe *a Cælio in Aventinum*, cum apta ad id montium illorum conſtitutio, tum ea, quæ ſupra Frontinus ſcripſit, aperte demonſtrant.

¶ Art. 88. 1. *Terrarum Dea conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum*] Ita Codex Vrbinas, & Editio Iocundi: in Codice Caſſinenſi videtur legi; *Terrarum Domina*. Martialis in Epigrammatum Lib. XII, Epigramma octavum in laudem Trajani orditur ita;

Terrarum Dea, Gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum:

Iuſtus Lipſius in Opere, cui titulus eſt, *De Magnitudine Romana*, Lib. I Cap. 2. Frontini verba (quæ tamen refert non omnia ut ſe habent) cum Martialis verſibus conferens, quærit; ſententiam ſuam an *a Martiale mutuatus Frontinus eſt?* concluditque; *ſed vereor, ne additum adſcriptumve aliena manu ſit, & gravis atque eruditus reliquus Frontini ſtilus non probat, aut amat laſciviam Poetarum*. Si mihi tamen licet a tanto Viro diſſentire, plane dicam; credi a me, allata verba a Frontino quidem poſita fuiſſe: qui, ex occaſione laudandi Trajanum Imperatorem, laudans Vrbem Romam, voluerit ferme adhibere verba Poetæ eo tempore florentis, & (ut credendum omnino eſt) ſibi amici; verba, inquam, pariter ex occaſione laudandi Trajanum Imperatorem, a Poeta in laudes Vrbis Romæ compoſita. Eo autem in Capite alia habet Lipſius de Roma, & ejus Potentia Elogia Veterum: ſed ad rem hanc noſtram non pertinent.

2. *ſalu-*

& magis sentiet [2] salubritas ejusdem æternæ Vrbis, aucto Castellorum, Operum, Munerum, & Lacuum numero: nec minus ad Privatos commodum [3] ex incremento beneficiorum ejus diffunditur: [4] illi quoque, qui timidi illicitam aquam ducebant, securi nunc ex beneficiis fruuntur. Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt: [5] alia *jam* munditiarum facies, purior

2. *salubritas ejusdem æternæ Vrbis aucto Castellorum, Operum, &c.*] Vbi Frontinus noster scripsit, salubritatem Vrbis sentiendam ex aucto numero Castellorum, Operum, Munerum, & Lacuum (quorum incrementum haud parum conferebat ad Vrbis munditiem; huic enim multum conferebat aqua, de qua paullo infra in Nota 5. hujusce Art.) videtur profecto indicavisse, pro Vrbe, Vrbis Incolas; qui ex auctis illis aquarum commodis munditias plurium generum procurare facilius poterant, ex iisdem vero munditiis salubritatem sentire. Et quidem habebat Trajanus unde augeret aquarum erogationem in Publicos Vsus; si, quando alii (post Claudium) Imperatores computabant quattuordecim millia quinariarum posse erogari, Trajanus sciebat, erogari posse viginti quattuor millia quinariarum & amplius: nimirum sciebat, præter veteres erogationes, adhuc decem millia quinariarum, quæ ante intercidebant, posse nova distributione erogari.

3. *ex incremento beneficiorum ejus*] Nam ex decem illis millibus quinariis (quas modo commemoravimus) ante Trajani tempora intercidentibus, sumere potuit Trajanus quod novis beneficiis in Privatos conferret.

4. *illi quoque, qui timidi illicitam aquam ducebant*] Hinc liquet, Privatis iis (aut saltem pluribus ex iis) qui aquam ducebant, etsi ipsis concessa non fuerat, Trajanum novis beneficiis eam ipsis concessisse; quod præstare optime potuit ex illis paullo supra bis commemoratis decem millibus quinariarum. Se vero Privatis illis o..ssam impetrati beneficii fuisse, indicat Frontinus noster infra in Art. 130.

5. *alia* jam *munditiarum facies, purior spiritus*] Idest; per has aquas *alia jam* hoc tempore est *munditiarum facies, purior spiritus*, nimirum purior aer. De meo ad utrumque Codicem nihil addidi, nisi *jam*; quæ particula, nisi fallor, iccirco periit, quod Librariis repetitio quædam visa sit duarum litterarum, in quas eadit vox *alia*, & primæ, per quam incipit vox *munditiarum*. Editiones princeps, & Iocundi habent; *nam immunditiarum facies, & impurior spiritus*: quæ sane lectio lectioni Codicum contraria est.

II. Pereuntes autem aquas, hoc est redundantes, verrendis immunditiebus, iisdemque in cloacas deportandis inserviviffe, tum per se manifestum est, tum liquet ex his, quæ Frontinus ipse infra in Art. 111 ex *Capite Mandatorum* descripsit, subjecitque; *Caducam* (idest eam, quæ ex Lacu aut ex Castello abundans, ac superfluens perire videbatur) *neminem volo ducere, nisi qui meo beneficio, aut priorum Principum habent. Nam necesse est, ex Castellis aliquam partem aquæ effluere; cum hoc pertineat non solum ad Vrbis nostræ salubritatem, sed etiam ad utilitatem cloacarum abluendarum*. Per cloacas ergo, quas abluebant, deferebant pereuntes aquæ immunditias etiam alias.

III. Porro non melius, quam factum est a Lancisio (in Opere, cui titulus est, *De Nativis, deque Adventitiis Romani Cæli Qualitatibus* pag. 110) probari potest, aquas superfluentes inserviisse salubritati aeris: *primo quidem prohibendo, ne superficies aquarum, in septis conclusarum, sensim hæreret, atque herbesceret; unde impuri halitus exspirarent. Secundo circumfusum aerem, æstate præsertim agitando, ac temperando, Romæ potis-*

purior spiritus; & caussæ gravioris cæli, [6] quibus apud Veteres Vrbis infamis aer fuit, sunt remotæ. Non præterit me, [7] deberi operi novæ erogationis ordinationem; sed hæc cum incremento adjunxerimus, intelligi oportet, [8] non esse ea ponenda, nisi consummata

---

potissimum, ubi sæpe per id temporis silent venti, æstusque vehementer sollicitant. Tandem inhibendo, quominus immunditiæ in viis, atque cloacis (jugibus quasi scopis destitutæ) consisterent, atque corrumperentur. Quare etiam ut auferrentur omnino immunditiæ, fuerunt aquæ illæ in cloacas derivatæ, ut per cloacas sordes omnes, ab aquis deportatæ, amandarentur. De septem enim Aquæductibus (qui erant tempore M. Agrippæ, ut ostendimus in Nota 5 Art. 13) seu de aquis redundantibus ex septem Aquæductibus scripsisse Plinium (Lib. XXXVI Cap. 15) credendum est, ubi habet; *a M. Agrippa in Ædilitate post consulatum corrivati septem amnes* (nimirum aquas redundantes ex septem Aquæductibus) *cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti.*

IIII. Lipsius autem in Opere paullo supra citato, cui titulus est, *De Magnitudine Romana*, Lib. III Cap. 12; opinatur, verba illa, *corrivati septem amnes*, significare *septem cloacas præcipuas tot, quot sunt montes*; sed, cum neque mihi constaret de numero cloacarum præcipuarum, neque videretur sententia hæc præferenda sententiæ illorum, qui alio modo, ut diximus in præcedente hujus Notæ Sectione, verba illa interpretabantur, in vetere opininne remansi. Eo autem in capite alia quædam habet Lipsius ex Plinio, Strabone, & Cassiodoro, unde magnificentiam (ut ita dicam) operis cloacarum commendet.

6. *quibus apud Veteres Vrbis infamis aer fuit, sunt remotæ*] Vrbis Romæ aerem his temporibus salubrem esse, plures docti Viri, Marsilius Cagnatus, Io. Baptista Donius, Io. Maria Lancisius, aliique defendere. Quoniam vero plura sunt, propter quæ non mihi facile persuadeam, antiquitus exstitisse caussas (si sordes, & aquas stagnantes, quas mox commemorabimus, excipias) unde aer Vrbis pejor fuerit; iccirco hu[jus] Frontini locum ita interpretor, ut significet, aerem apud Veteres fuisse infam[em] propter immunditias Vrbis, & impuriores spiritus (nimirum impuriores exhalationes) manantes tum ex immunditiis, tum ex aquis, quæ in imis Regionum Vrbis partibus stagnabant: his autem incommodis remedium procuratum ope cloacarum prius est, quibus præsertim aquæ illæ stagnantes exsiccatæ fuere: ut Livius in Lib. I Cap. 38, narrans opera a Rege Tarquinio Prisco inchoata, scribit his verbis; *infima Vrbis loca circa forum, aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis, siccat.* Deinde vero (præsertim tempore Cæsarum) ope aquæ caducæ & ex Aquæductibus defluentis, deferentisque in cloacas sordes ac immunditias, uno tempore repurgabatur Vrbs, atque cloacæ ipsæ abluebantur. Ita *caussæ, quibus apud Veteres Vrbis infamis aer* fuerat, erant *remotæ*. In Codicibus legitur, *est remotus*: at hic non potui illis adhærere: necesse fuit sequi emendationem Iocundi; in cujus Editione legitur, *sunt remotæ*.

7. *deberi operi novæ erogationis ordinationem*] Idest; opus & novæ erogationis in auctum numerum Castellorum, Operum, Munerum, atque Lacuum (de quibus diximus in Nota 2 hujusce Art.) & novæ erogationis in concessa Privatis beneficia (de quibus diximus in Nota 3 hujusce Art.) & novæ erogationis in Privatos, qui prius ducebant aquam illicitam (de quibus diximus in Nota 4 hujusce Art.) opus, inquam, id novæ erogationis in ordinem esse ponendum ea ratione; qua ante fuerant in ordinem positæ veteres erogationes.

8. *non esse ea ponenda, nisi consummata fuerint*] Ego verba, *ea ponenda*, refero ad præcedentem particulam, *hæc*; ut sensus sit, non esse eas res, pertinentes

ad

mata fuerint. ¶ Quid, quod nec hoc diligentiæ Principis, quam exactissimam civibus suis præstat, sufficit, parum [1] præsidiis, ac voluptatibus nostris contulisse sese credentis, quod tantam copiam adjiciat, [2] nisi eam ipsam sinceriorem jucundioremque faciat? Operæ pretium est ire per singula, per quæ ille occurrendo vitiis quorundam, universis adjecit utilitatem. Etenim quando civitas nostra, cum vel exigui imbres supervenerant, non turbulentas limosasque aquas habuit? Nec quia hoc universis ab origine naturæ est, aut quia istud incommodum sentire debeant quæ capiuntur ex fontibus, inprimis Marcia & Claudia, ac reliquæ, [3] quarum splendor a capite integer, nihil aut minimum pluvia inquinatur; [4] si ¶ Art. 89.

---

ad novas erogationes, ponendas in ordinem, nisi cum res ipsæ cunctæ consummatæ, perfectæque fuerint. In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate legitur ita, ut scriptum a nobis est. In Iocundi Editione legitur; *non esse eam ponendam, nisi cum consummata fueris*: voluit enim Iocundus referre verba, *eam ponendam*, ad superius verbum *ordinationem*.

1. *præsidiis, ac voluptatibus nostris*] Codex Cassinensis habet; *præsidii ac voluptatibus nostris*: Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent; *præsidis ac voluptatis nostris*. Verba *voluptatibus nostris* fecere, ut verbum *præsidii* emendarem. Porro etiam alibi Frontinus utilitatis mentionem cum jucunditatis mentione conjunxit: ut ubi supra in Art. 23 scripsit; *non solum usibus & auxiliis, verum etiam voluptatibus sufficit*. ¶ Art. 89.

2. *nisi eam ipsam*] Ita Codices: in Editione Iocundi deest vocula *ipsam*.

3. *quarum splendor a capite integer nihil aut minimum pluvia inquinatur*] Aquæ enim ex fontibus desumtæ nihil aut minimum pluvia inquinabantur; contra ac accidebat aquis, caussa exempli, fluminum, quæ pluvia inquinabantur. Hinc post pluvias, aquarum ex fontibus in rivos derivatarum, *a capite*, idest ab eo loco ubi primum in rivos derivabantur, *splendor integer*, puritas integra servabatur. Secus autem contingebat aquis illis, quæ turbabantur a pluvia: hæ enim inquinatæ inducebantur in rivos, erantque vel ab ipso capite turbulentæ.

II. Non tamen sufficiebat, aquas minimum a capite turbari: ne *sentirent illud incommodum*, necessarium etiam erat, puteos exstructos objectos esse; ut statim subjicit Frontinus noster.

4. *si putei exstructi objecti sint*] Putei in Aquæductibus erant (ut eos definivit Barbarus in Commentariis ad Vitruvii Lib. VIII cap. 7.) *Æstuaria, quibus respirare posset perfluens aqua, & vis spiritus relaxaretur, ne conclusus aer cursum aquæ moretur*. Statuit autem Vitruvius (citato in loco) oportere, ut *Putei ita sint facti, ut inter duos sint Actus*; sive (ut Perraultio in Nota sua ad hunc locum magis placuit) *ut inter duos* Puteos *sint Actus* II. Si enim addas numerum II, qui videtur a Librariis prætermissus, fit distantia inter duos quoscumque Puteos Exapedarum quadraginta, qua minorem si admitteremus, jam nimis inter se constitueremus proximos Puteos ipsos.

¶ Art. 4 si putei exstructi objecti sint. ¶ [1] Duæ Anio-
90. nes minus permanent limpidæ, nam sumuntur ex flumine, ac [2] sæpe etiam sereno turbantur; quoniam Anio,

---

ipsos. Putei a Vitruvio (in eodem Capite) etiam *Columnaria* dicuntur: quod verbum etsi ab aliis mutatur in *Coluviaria*, & ab aliis in *Columbaria*, a Barbaro tamen, ac Baldo retinetur, redditurque a Baldo (in Lexico Vitruviano) hæc nominis ratio, quod *ad modum Columnarum a solo attollantur*.

II. Vtcumque sit de nomine, certum est, plurima spiramina fuisse in Aquæductibus; tum in rivis supra terram, ut videre est ad B (Tab. O ad pag. 71, *Fig. XIII*, a Fabretto nostro desumta) spiramento rivi, seu specus A: tum in subterraneis rivis; in his vero præsertim, spiramenta obtinebant Puteorum formam; ut in eadem Figura XIII ad partes D videre est Putei ichnographiam E, & sciographiam F. Credibile autem fit, eadem spiramenta non modo exstructa fuisse, ne aer conclusus moraretur aquæ cursum, sed etiam, ut pateret via externo aeri, quo melius internæ rivorum partes conservarentur; atque sæpe etiam ut possent egeri per eos puteos (ubi opus esset) nimia inquinamenta, purgarique rivi.

III. Verba autem, *si putei exstructi objecti sint*, ita explico; *si exstructi sint putei*, quorum cavitates *objiciantur*, idest oppositæ fiant rivis ipsis; quare per eas relaxari possit vis aeris, ne aer conclusus cursui aquæ adversetur, & non modo ejus cursum retardet; verum etiam eam exagitando, & cogendo adversus limosa sedimenta in fundis rivorum deposita, turbet, inquinetque.

IIII. Venerat in mentem; fortasse, pro verbo *objecti*, verbum *obtecti* reponi oportere: sed ubi rem diligentius expendi, rationes huic mutationi adversantes visæ sunt majoris momenti, quam illæ, quæ pro tali mutatione faciebant.

¶ Art. 90. 1. *Duæ Aniones minus permanent limpidæ, nam sumuntur ex flumine*] Codex Cassinensis habet; *Due antensis minus permanent limpidæ, nam sumuntur ex flumine*; ita ferme Codex Vrbinas, qui tamen pro *antensis* habet *amensis*: Editio Iocundi habet; *Aquæ Anionis minus permanent limpidæ. Nam sumitur ex flumine*: Editio princeps; *Aquæ anienis minus permanent limpidæ: nam mutantur ex flumine*. In Codicibus ea dumtaxat verba *antensis*, & *amensis* me fecere dubium: suspicatus enim sum, pro illis, verbum *amnenses* a Frontino fuisse positum ita; *Duæ amnenses* Aquæ, nimirum Duæ Aquæ Aniones ex amne Anione oriundæ. At, præterquamquod videntur dici amnensia, potius ea, quæ ad amnem sita sunt (ut habet Festus) quam ea, quæ ex amne derivantur; verba illa continuo sequentia, *nam sumuntur ex Flumine*, excludere verbum *amnenses* visa sunt. Reposui itaque verbum *Aniones*, quod scriptura a vitioso verbo *antensis* haud multum differt, significatione autem valde probatur. Atque ipsa Codicum lectio, cunctis verbis simul sumtis, Iocundi lectioni præstare visa est.

II. Quod si quis dicat, *Duæ Anienæ Aquæ* esse legendum, & citet Iustum Lipsium, qui in *Variarum Lectionum* Lib. III. Cap. 11. ita scribit; *Addam Catonis locum ex oratione contra Veturium, qui apud Priscianum vitiose ita legitur: „ Aquam Anienem „ in sacrarium inferre oportebat, non minus autem XV millia Anien abest „. Legendum haud dubie* (pergit Lipsius) *atque emendandum est; „ Aquam Anienam „: uti Propertius dixit lympham Anienam:*

„ Et cadit in patulos lympha Aniena lacus „.

Huic respondebo, plura esse in hoc Frontini Commentario loca, ex quibus fit perspicuum, nullam necessitatem esse, cur hujuscemodi fiant mutationes.

2. *sæpe etiam sereno turbantur*] Quod sine imbribus turbaretur Anio, Frontinus noster supra etiam in Art. 15 scripserat, ubi agens de aqua, quæ sumebatur ex Anione *Flumine*, hæc habet; *quod* Flumen Anio, *cum terras cultas circa se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria limosum & turbulentum fluit.*

3. exit

Anio, quamvis puriſſimo defluens Lacu, mobilibus tamen cedentibus ripis, aufert aliquid quo turbetur; priuſquam deveniat in rivos: quod incommodum non ſolum hibernis, ac vernis, ſed æſtivis imbribus ſentit, quo tempore [3] exit gratior aquarum ſinceritas, & exigitur. Alter quidem ex his, ideſt Anio vetus, cum plerumque libra ſit inferior, incommodum [4] intra ſe tenet. ¶ Novus autem Anio vi- ¶ Art.
tiabat ceteras: nam cum editiſſimus veniat, & [1] in 91.
primis abundans, defectioni aliarum ſuccurrit. Imperitia vero Aquariorum, deducentium in alienos eum ſpecus frequentius, quam explemento opus erat, [2] etiam ſufficientes Aquas inquinabat, maxime Claudiam; quæ per multa millia paſſuum proprio ducta rivo, Romæ demum cum Anione permixta, in hoc tempus perdebat proprietatem; adeoque obvenientibus non [3] ſuccurrebatur, ut pleræque accerſerentur per imprudentiam, non uti [4] dignum erat aquas

---

3. *exit gratior aquarum ſinceritas, & exigitur. Alter quidem ex his, ideſt Anio vetus &c.*] Codices Caſſinenſis, & Vibinas habent ita; *exise gratior aquarum ſinceritas. Exigitur & alter quidem ex his, ideſt Anio vetus:* Iocundi Editio habet; *exie gratior aquarum ſinceritas. Ex iis igitur alter, ideſt Anio vetus.* Hac autem in Iocundi lectione verbum *exigitur*, particula *quidem*, ac particula *&* prætermittuntur; atque voculæ, *ex iis*, transferuntur in ſedem expuncti verbi *exigitur*. Sed, cum ſola tranſpoſitione particulæ *&* (interpunctionis enim mutatio levior habenda) emendari poſſe ſententiam totam, viſum mihi ſit, verba perperam omiſſa a Iocundo lubens reſtitui.

4. *intra*] Ita Codices: Editio Iocundi *infra*.

1. *in primis abundans, defectioni &c.*] Ideſt; numerandus inter maxime abundan- ¶ Art.
tes. Omnium tamen Aquarum abundantiſſima erat Claudia: ut in Art. 72 Frontinus 91.
affirmat his verbis; *Claudia abundantior aliis* Aquis; & oſtendimus in Nota 1. ejuſdem Art. 72. Codices, & Editio princeps habent ut ſcripſimus: Editio Iocundi habet; *in primis abundans, aliquando defectioni &c.*

2. *etiam ſufficientes Aquas inquinabat, maxime Claudiam*] Alibi vero (in Art. 72) Frontinus oſtenderat, mixtionem Anionis novi cum Claudia, atque inde Claudiæ inquinamenta contigiſſe etiam ob fraudes Aquariorum, a quibus Claudia *in Urbe miſcebatur cum Anione novo, ut confuſione facta, & conceptio earum, & erogatio eſſet obſcurior.*

3. *ſuccurrebatur, ut pleræque accerſerentur*] Ita Codex Caſſinenſis: Editio Iocundi habet; *ſuccurrebat:* habet præterea *pleræque aquæ*, at verbum *aquæ* deeſt in utroque Codice. At particulam *ut* hoc loco, pro particula *ubi* (quemadmodum etiam apud probatos alios Authores aliquando reperitur) poſitamne dicemus?

4. *dignum erat Aquas partientium*] Ideſt decebat eos, qui partiebantur Aquas. In tota

aquas partientium : [5] Marciam ipſam [6] ſplendore & rigore gratiſſimam balneis, ac [7] fullonibus, [8] & relatu quoque fœdis miniſteriis [9] deprehendimus ſervientem. ¶ Art. 92. ¶ Omnes ergo diſcerni placuit, tum ſingulas ita ordinari, [1] ut in primis Marcia potui tota ſerviret, & deinceps reliquæ ſecundum ſuam quæque quali-

---

tota hac ſententia ſecutus ſum Codices : at in Editione Iocundi illud *partientium* refertur ad proxime ſubſequens verbum *Marciam*; ſed perperam, cum liqueat, verbum *Marciam* cum inferioribus verbis, *deprehendimus ſervientem*, eſſe copulandum.

5. *Marciam ipſam*] Ita Codices : Editio Iocundi habet ; *Marciam, ita ut ipſam*. Videntur autem particulæ *ita ut* intruſæ vi a Iocundo, qui coactus fuit proſpicere verbo *ipſam*, cum id perperam a verbo *Marciam* fuiſſet ſejunctum.

6. *ſplendore & rigore gratiſſimam*] Plinius quoque (Lib. XXXI. Cap. 3.) ſummis laudibus Aquam Marciam extulerat his verbis; *Clariſſima* (Marcia Aqua) *Aquarum omnium toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palma, præconio Vrbis, Marcia eſt inter reliqua Deum munere Vrbi tributa*. Quem locum animadverterunt Raphael Fabrettus in Num. 205; & Andreas Baccius in Lib. VII *de Thermis*, Cap. 4. Hunc autem nominavi, quod rerum medicarum peritus admodum erat, videturque Plinio adſtipulari, dum ipſum citat. Ceterum quædam ex iis, quæ pertinentia ad Hiſtoriam Aquæductuum eodem illo capite continentur, falſa prorſus ſunt; quædam etiam ex Frontino noſtro male deſumta. At id indicaviſſe ſufficiat.

7. *fullonibus*] Ita Codices: Editio Iocundi *fullonicis*.

8. *& relatu quoque fœdis miniſteriis*] Num hoc loco Frontinus indicat, aquam Marciam etiam Meretricum uſui datam fuiſſe? quibus Aquarioli, *mulierum impudicarum ſordidi aſſeclæ* (ita Aquarioli in Verrii Epitome definiuntur) aquam miniſtrabant; qua, ut nonnulli ſcribunt, *ſe poſt venerem abluerent*. Porro, *miniſteria hæc ad libidinem intellexiſſe* Frontinum, credibile eſt; ut ſcribit Lipſius in *Antiquarum Lectionum* Lib. I. Cap. 12: apud quem plura de huſce miniſteriis videri queunt. Nos vero in iis, quæ relatu fœda exiſtimavit Frontinus noſter, ne immoremur. Quin etiam immorari non debemus, ne videamur obliti eorum, quæ diximus ſupra in Nota 18. II. Art. 9.

9. *deprehendimus*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *deprehenderimus*: mutatione orta a particula *ut*, vi ſupra intruſa; quemadmodum paullo ante diximus in Nota 5 hujuſce Art.

¶ Art. 92. 1. *ut in primis Marcia potui tota ſerviret*] Marciam ad vinum miſcendum antepoſuit ceteris Tibullus (Lib. III. Eleg. 6.)

Temperet annoſum Marcia lympha merum.

Neque hic prætereo, Auguſtum ratum fuiſſe, potui Romani Populi plures ex Aquis Romam ductis ſervire potuiſſe: quandoquidem Suetonius in Auguſto (cap. 42) hæc habet : *Sed ut ſalubrem magis, quam ambitioſum Principem ſcires, querentem de inopia, & caritate vini Populum ſeveriſſima coercuit voce : Satis proviſum a genero ſuo Agrippa, perductis pluribus Aquis, ne Homines ſitirent*. Ergo potui ſervire multo magis poterat Aqua Marcia ceteris Aquis præſtantior.

II. Hanc vero ipſam Aquam Marciam (ut Fabrettus habet in Operis ſæpe citati Num. 205, & 206) *cum aliis omnibus illius regionis, vituperat Hieronymus Mercurialis*, Vir ſane Doctiſſimus; Var. Lect. Lib. II., Cap. 9.; *& Galeni auctoritate fretus, in uſu pro cibo, & potu, olim fuiſſe negat*. „ *Quamquam* (verba hæc ſunt Mercurialis) *haud fa-* „ *cile credo, eas, quæ ex Tiburtinis Montibus Romam ducebantur, multum pro cibo, potuve in* „ *uſu*

qualitatem aptis usibus assignarentur, sicut Anio vetus pluribus ex caussis, [2] quo interior excipitur minus salubris, in Hortorum rigationem, atque in ipsius Vrbis sordidiora exiret ministeria. Nec satis fuit Principi nostro ceterarum restituisse [3] copiam, & gratiam. ¶ Anionis quoque novi vitia excludi posse vidit. Omisso enim flumine, repeti ex Lacu, qui est super villam Neronianam Sublacensem, ubi limpidissima est, jussit. Nam cum oriatur Anio [1] supra Trebam Augustam, seu quia per saxosos montes decurrit, [2] paucis circa ipsum Oppidum objacentibus cultis, seu

¶ Art. 93.

„ usu fuisse; propterea quod Galenus, omnium Romæ conditionum diligentissimus observator in „ IIII. VI. Epidem. Comment. illas omnes crudas, & coquendis eduliis ineptas exstitisse asseverat „: hactenus Mercurialis, cujus sententiam hanc refellit Fabrettus, plane ostendens, Galeni verba adversus aquas Tiburtinorum Montium, *Marciam*, *aliasque Romam advectas certe non tangere, ut Mercurialis forsan accepit*. Quare manet, Marciam Aquam ab Antiquis salubrem fuisse habitam.

2. *quo interior excipitur*] Interior aliquando idem est, ac propinquior: ita ferme Cicero in Arato;

Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.

loquitur autem Cicero de Cynosura, quæ cursu propinquiore cardini Mundi convertitur brevi orbe. Itaque Frontini verba, *quo interior excipitur*, interpretor ita; quo propinquior Vrbi excipitur, atque adeo excipitur ex ea Fluminis parte, quæ turbatior est partibus remotioribus. Anio enim quo magis recedebat ab origine sua, eo magis turbabatur, pluribus ex caussis, præsertim vero cedentibus ripis & mollioribus, & solutioribus, & soli pinguis; ut alibi (in Art. 15, & 90) Frontinus scripsit. Porro ex hoc loco, in quo Frontinus asserit, Anionem veterem interiorem fuisse exceptum, confirmari id posse existimo, quod supra in Nota 11. II. Art. 6. scripseram; *verisimile esse, Anionem veterem, humilem aquam, habuisse originem multo infra caput Anionis novi, altioris Aquæ.*

3. *copiam, & gratiam*] Ita Cassinensis Codex.

1. *supra Trebam Augustam*] De hac nostra *Trebia* panca apud Scriptores Geographiæ Antiquæ reperies: quædam habet Cluverius (in Italia Antiqua Lib. II. Cap. 7.) quæ tamen rei nostræ vix quidquam luminis afferre possent. Clarius ceteris (quos vidi) scripsit Kircherus, in Veteri, & novo Latio pag. 176, his verbis; *Porro a Sublaqueo versus ortum hybernum euntibus post XI millia passuum ad eandem Anienis ripam dextram occurrit antiquissima illa Vrbs Treba, vulgo nunc Treve: non procul hinc ad tria millia passuum in monte, qui Trebam ab ortu Solis prospicit, fontes Anienis conspiciuntur*. Ex his enim verbis ubi *Trebia* nostra sit, ubi oriatur Anio colligi potest. Ceterum neminem inveni, qui *Trebiam* nominet *Augustam*, ut habet hoc in loco Frontinus noster. In Codicibus scriptum videtur, *Triba*.

¶ Art. 93.

2. *paucis circa ipsum Oppidum*] *Oppidum*, pro *oppidis* (*oppidis* enim in Codicibus, & Libris est) reponendum cum Rubenio, in alias citato *Electorum* Lib. II. Cap. 35, credidimus: en Rubenii verba; *Legerim*: *„ circa ipsum oppidum objacentibus „ cultis „. Pauci, inquit Frontinus, agri culti, aut vomere scissi adjacent oppidum Trebam*:

ideoque

seu quia [3] Lacus altitudine, in quo excipitur, velut [4] defæcatur, imminentium quoque nemorum opacitate inumbratus, frigidissimus simul ac splendidissimus eo pervenit. Hæc tam felix proprietas Aquæ, omnibus dotibus æquatura Marciam, copia vero superatura, veniet in locum deformis illius ac turbidæ; [5] novum authorem, Imperatorem Cæsarem Nervam

¶ Art. 94. Trajanum Augustum, præscribente titulo. ¶ [1] Sequitur ut indicemus, quod jus ducendæ, tuendæque sit aquæ; quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii Privatos; alterum ad ipsorum Du-

---

ideoque purior illic Anio, quoniam luti nihil trahit, aut vadis e cultis ripis. Hæc enim caussa est, cur infra Anio sit turbidior, „ *quod* (*verba ejus sunt* e Lib. I. Art. XV.) *terras* „ *cultas circum se habeat, soli pinguis, & inde ripas solutiores* „. *Vel possit etiam legi;* „ *paucis circa ipsum oppido* „; *idest, oppido paucis, Comica phrasi.* Ut vero primam conjecturam cum veritate omnino consentire rati sumus; ita hæc mittenda videtur.

3. *Lacus altitudine, in quo excipitur*] Singulis in Codicibus legitur; *Lacuum altitudinem, in quo excipitur*: Editio Iocundi habet, quæ scripsi, verba. Fecere enim & superiora verba illa, *repeti ex Lacu*, & citata hæc, *in quo excipitur*, ut emendationem Iocundi reciperem. Principio autem venerat in mentem emendare locum hunc ita; *Lacuum* (ut numerum plurium retinerem) *altitudine in quos excipitur*: nam Fabrettus scribit, in Opere alias citato pag. 67, prope Sublacum (id Oppidum positum est in DELINEATIONE REGIONIS &c. Tab. I ad pag. 11) versus meridiem esse *vestigia Lacuum, ex quorum altero Anio novus deductus fuit.*

4. *defæcatur*] Ita Codices: Editio Iocundi habet, *depuratur*.

5. *novum authorem, Imperatorem Cæsarem Nervam Trajanum Augustum, præscribente titulo*] Hinc manifestissimum est, exclusionem illam vitiorum Anionis ad Nervam Trajanum referri. Cum autem Frontinus antequam de illa scribat, hæc habeat; *Nec satis fuit Principi nostro ceterarum restituisse copiam, & gratiam*; manifestissimum quoque fit, copiæ & gratiæ aliarum Aquarum restitutionem, de qua supra Frontinus egerat, ad ipsum Nervam Trajanum referri oportere. Hinc præterea confirmantur ea, quæ scripsimus in Nota 1 Art. 87; nimirum verbis illis, *Hæc copia Aquarum ad Nervam Imperatorem usque computata &c.* Nervam Trajanum designari: namque, cum is primus mutationes admiserit, dicendum profecto videtur, ad ipsius usque tempora veterem computationem remansisse. Demum ex hoc loco evidentissime colligitur, hanc Commentarii partem, quo tempore rerum potiebatur Nerva Trajanus, a Frontino nostro scriptam fuisse.

II. In Cassinensi Codice perspicue legitur ut scripsimus: in Codice Urbinate, & in Editione Iocundi deest verbum, *authorem*.

¶ Art. 94. 1. *Sequitur ut indicemus, quod jus ducendæ tuendæque sit aquæ*] Ita habet perspicue Codex Cassinensis: ita etiam Codex Urbinas; nisi quod in hoc desideratur verbum, *tuendæque*. In Iocundi vero Editione legitur ita; *Sequitur, ut indicemus quod jus ducendæ sit aquæ, quave cura ductuum sit habenda*: quinque autem postrema verba omnino de suo Iocundus adjecit. In Codicibus enim Cassinensi, & Urbinate post verbum *aquæ* statim subsequitur sententia hæc; *quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati bene-*

Ductuum pertinet tutelam: in quibus dum altius repeto [2] Leges de singulis *perlatas*, quædam apud Veteres aliter observata inveni. Apud antiquos omnis Aqua in usus publicos erogabatur: [3] *&* cautum ita fuit;

NE.

---

beneficii Privatos, alterum ad ipsorum ductuum pertinet tutelam. At Iocundus cum animadvertisset, verba, *quod jus ducendæ sit aquæ*, referri ad allatæ subsequentis sententiæ membrum primum hoc, *alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii Privatos pertinet*; cum, inquam, Iocundus id animadvertisset, vidissetque, nulla præmissa esse verba, quæ referrentur ad ejusdem sententiæ id secundum membrum, *alterum ad ipsorum Ductuum pertinet tutelam*, interposuit de suo verba, *quæve cura Ductuum sit habenda*; nimirum quæ referrentur ad sequentia (modo citata a nobis) verba hæc, *ad ipsorum Ductuum pertinet tutelam*. Porro Cassinensis Codicis duo illa verba *ducendæ*, *tuendæque*, quorum primum refertur ad primum allatæ subsequentis sententiæ membrum, secundum refertur ad ejusdem sententiæ membrum secundum, nihil desiderandum relinquunt.

II. Codex Vaticanus, Editio princeps, & aliæ hanc subsecutæ ante Iocundi emendationem, verba, quæ citavimus in superiore hujusce Notæ sectione, habent ita; *q. dicendæ que aquæ quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii Privatos. Alterum sequitur ut indicemus quod ad ipsorum ductuum pertinet tutelam.* Transpositis nimirum verbis Codicis Cassinensis, & prætermisso verbo *tuendæ*; sed nullo usquam apparente ex iis verbis (*quæve cura ductuum sit habenda*) quæ in Iocundi Editione leguntur. Id autem addidi, ut confirmaretur, verba illa a Iocundo de suo fuisse intrusa.

2. *Leges de singulis* perlatas, *quædam apud Veteres aliter observata inveni*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas; nisi quod, pro verbo *perlatas*, habent *qui lata*. Fortassis enim, cum relativi *qui quæ quod* (ut alias etiam dictum est) casus omnes scriberentur olim per litteram *q* aliqua nota compendiaria affectam, eademque fermo ratione per litteram *p* scriberetur particula *per*, hæc in *qui* transformata mutationis origo fuit. Certe levi negotio totus locus emendatur: atque cum iis, quæ statim infra narrantur, consentit id, quod hoc in loco scribit Frontinus asserens, *inveni* res quasdam *apud Veteres* observatas *aliter* fuisse, ac nunc observantur.

II. At locus hic in Editione Iocundi ita legitur; *leges de singulis, quas late quidem apud Veteres observatas inveni, earum æquitatem prudentiamque reticendam non censui*. Sed nimium profecto indulsit ingenio suo Iocundus: prætereo enim mutationes; at additionem horum omnium verborum, *earum æquitatem prudentiamque reticendam non censui*, quis præteriret? immo quis nauseam quandam, detur verbo venia, non sentiret? Ego quidem, prorsus expungenda verba illa, illud videlicet Iocundi commentum, ratus fui. Idque eo securius feci, quod eorundem verborum, quorum in Cassinensi, & Vrbinate Codice vestigium nullum reperitur, nullum quoque reperitur in Codice Vaticano, nullum in iis Editionibus, quæ Iocundi Editionem præcessere.

3. & *cautum*] Codices habent; *ea cautum*; sed voculam, *ea*, ortam ex depravata particula, *&* (quam restitui) sensus ipse indicavit: Editio Iocundi habet; *legeque cautum*. Quoniam enim paullo infra Iocundus habet verba hæc, *ejus legis*: idcirco posuit hoc in loco verbum *lege*, ad quod referrentur inferiora verba *ejus legis*. At ubi infra in Editione Iocundi legitur *ejus legis*, ibi in Codicibus Cassinensi, & Vrbinate legitur, *& leges*: quamobrem verba, *& cautum* sequenda putavi; infra vero, pro *& leges*, posui *legis*: atque hac ratione sententiæ perspicuitatem servavi, minusque a Cassinensi Codice recessi.

II. Etsi

NE. QVIS. PRIVATVS. [4] ALIAM. DVCAT. QVAM. QVAE. EX. LACV. HVMVM. ACCEDIT. (hæc enim sunt verba legis) [5] id est, quæ ex Lacu abundavit: eam nos caducam vocamus. Et hæc ipsa non in alium usum, quam in balnearum, aut fullonicarum dabatur; eratque vectigalis statuta merces, [6] quæ in publico impenderetur: aliquid & in domos [7] Principum Civitatis dabatur, concedentibus reliquis.

¶ Art. 95. ¶ Ad quem autem Magistratum jus dandæ vendendæve aquæ pertinuerit, in iis ipsis Legibus variatur. Interdum enim [1] ab AEdilibus, interdum [2] a Cen-

II. Etsi vero hanc emendationis rationem secutus sum, nolo tamen prætermittere, quin illud proponam, num forte, *de ea cautum*, legendum sit?

4. *ALIAM. DVCAT. QVAM. QVAE. &c.*] Ita Codices, Editionesque Iocundi, ac Keuchenii: quare miror, cur Ioannes Georgius Grævius (qui secutus est Keuchenii Editionem) in Præfatione ad Tomum IIII Thesauri Antiquitatum Romanarum, affirmaverit, scriptum ita esse; *aliam ducat aquam qua &c.* pluribusque nisus fuerit emendare errorem, quem ipse finxisse videtur.

5. *idest, quæ ex Lacu abundavit*] Verbum *abundo* hoc in loco (ut indicavit in modo citata Præfatione Grævius) idem significat, ac verbum *superfluo*. Abundare dicebantur etiam fluvii, qui ripis superatis subjectos agros inundabant: ita Virgilius Georg. Lib. I. ver. 115,

Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit

Ea vero aquæ abundantia intelligi debet etiam de aqua, quæ abundabat vel ex manationibus Fistularum, vel ex Castello; caducæ enim tales quoque aquæ dicebantur: & quidem infra in Art. 110 leguntur verba hæc; *aquæ, quæ caducæ vocantur, idest* quæ *aut ex Castellis effluunt, aut ex manationibus Fistularum*: itemque infra in Art. 111 Mandatum Principis est, in quo habetur; *caducam neminem volo ducere nisi eam necesse est, ex Castellis aliquam partem aquæ effluere*. Etiam a M. Varrone (ut Keuchenius indicavit) de Re Rust. Lib. III Cap. 5 dicta fuit aqua *caduca, quæ abundat*. Et Ioseph Scaliger, in Conjectaneis ad IIII Varronis Librum de Lingua Latina, definit ex Frontino nostro aquas caducas, *quæ ex Dividiis, seu Castellis, & Fistularum manationibus fluebant*.

6. *quæ in publico impenderetur*] Idest; *quæ in* rebus ad publicum pertinentibus *impenderetur*. Codices habent ut posuimus: Editio Iocundi habet; *quæ in publicum penderetur*, significatione sane non spernenda: malui tamen Codices sequi.

7. *Principum Civitatis*] Ita Codex Cassinensis: ceterum in aliis omnibus Libris tum calamo descriptis, tum typis, deest verbum *Civitatis*. Quod tamen & utile ad perspicuitatem afferendam visum est, & consentiens cum Frontini phrasi, qui etiam supra in Art. 1, ut nobiliores & in majoribus dignitatibus constitutos Viros indicaret, scripsit; *Officium administratum per Principes semper Civitatis nostræ Viros*.

¶ Art. 95. 1. *ab AEdilibus*] De AEdilibus vide, si lubet, Iani Vincentii Gravinæ Originum Iuris Civilis Libros (pag. 58. 59.) ex quibus ferme descripsimus quæ sequuntur. AEdiles dictos Varro tradit (de Ling. Lat. Lib. IIII) a sacrarum privatarumque rerum, atque AEdium procuratione. Principio AEdiles bini creabantur ex Plebe, atque appellabantur AEdiles Plebis. Deinde addebantur illis bini alii AEdi-

[2] a Censoribus permissum invenio: sed apparet, [3] quotiens in Republica Censores erant, ab illis potissimum petitum: [4] cum ii non erant, AEdilium eam potestatem fuisse. Ex quo manifestum est, quanto potior cura Majoribus communium utilitatum, quam privatarum voluptatum fuerit; cum etiam ea aqua, quam Privati ducebant, ad usum publicum pertineret.

¶ [1] Tutelam autem singularum Aquarum locari solitam invenio; [2] positamque Redemptoribus necessitatem, ¶ Art. 96.

AEdiles ex Patriciis, qui nuncupabantur AEdiles Curules: at, progredientibus temporibus, etiam his magistratus cum Plebe fuit promiscuus. AEdiles autem Curules plura officia cum AEdilibus Plebis habuere communia, præcipue vero curam sacrarum AEdium, publicorumque locorum, & tutelam Vrbis. Hinc autem liquet, quomodo jus publicarum Aquarum ad AEdiles potuerit pertinere.

2. *a Censoribus*] Censores creati fuere, ut quantum quisque Civis Romanus haberet, æstimarent, Civesque Romanos per capita censerent; unde postea Censores dicti, ut ex Varronis Lib. IIII. de Ling. Lat. & ex Festi Lib. III. colligi potest. Hujusce tamen Magistratus potestas ad alias etiam res extendebatur. Ac quod attinet ad Aquæductus, vidimus supra in Art. 5 Aquam Appiam, in Art. 6 Anionem veterem, & in Art. 8 Tepulam a Censoribus fuisse perductas.

II. Quam vero conveniens esset, Aquarum tutelam, atque jus ad Censores pertinere, Viri sapientissimi, Marci (inquam) Ciceronis, authoritate potest demonstrari; qui, id fieri oportere, sanxit in tertio ex iis Libris, qui *de Legibus* inscribuntur. Horum autem Librorum cum mentio inducatur, prætermitti non debet, a quibusdam illas Leges perperam ea ratione citari, quasi cunctæ irrogatæ Populo Romano revera fuissent: cum tamen Cicero de iisdem perspicue id pronunciaverit; *accommodabimus hoc tempore Leges ad illum, quem probamus, Civitatis statum*. Sed redeo ad ipsas Ciceronis Leges: in quibus (citato in loco) habetur; *Censores Populi Civitatis Soboles, Familias, Pecuniasque censento: Vrbis Templa, Vias, Aquas, AErarium, Vectigalia tuentor* &c.

3. *quotiens in Republica Censores erant*] Ita habent perspicue Codices Cassinensis, & Vrbinas; atque ita sententia clare intelligitur. Editio Princeps, ac Editio Iocundi habent; *quotiens in Republica erat*: sed ita fit tota sententia multo obscurior.

4. *cum ii non erant*] Idest; *cum* Censores in Republica *non erant*. Livius in Lib. IIII Cap. 24 narrat; Censuram, quæ ante secundam Dictaturam Mamerei AEmilii erat quinquennalis, factam fuisse annuam & semestrem, lege lata ab ipso Dictatore Mamerco AEmilio. Quamobrem cum quinto quoque anno duo Censores crearentur; duraret autem eorundem Magistratus anno & semis, reliquo tempore in Republica Censores non erant. Leguntur apud Historicos caussæ etiam aliæ, propter quas Censores aliquando Respublica neque intra legitimum tempus illius Magistratus habuit: sed caussæ illæ, ut ita dicam, fortuitæ fuere. Atque cum caussas singulas enarrare non vacet, præcipuam ostendisse sufficiet.

1. *Tutelam*] Vide infra Notam 2. Art. 114. ¶ Art. 96.

2. *positamque Redemptoribus*] Hos Festus definivit hisce verbis: *Redemptores propria, atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum, aut præbendum conduxerant, effeceruntque; tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus emere pro acci-*

tem, certum numerum circa Ductus extra Vrbem, certum in Vrbe Servorum opificum habendi; & quidem ita, ut nomina quoque eorum, quos habituri [3] essent in ministerio per quasque Regiones, in tabulas publicas deferrent: eorumque operum probandorum curam fuisse [4] *penes* Censores aliquando, & AEdiles; [5] interdum etiam Quæstoribus eam provinciam obvenisse, [6] ut apparet ex *s. c.* quod factum est

accipere ponebatur. Nunc vulgo *Appaltatori*: ii tamen nunc præsertim dicuntur, qui pretium operis, quod faciendum suscipiunt, antequam id incœptum sit, constituunt.

3. *essent*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *erant*.

4. penes *Censores aliquando, & AEdiles*] In Codicibus, aliisque Libris legitur; *per Censores &c.* At Opsopœus in Notis suis animadvertit, P. Pithœum particulam *penes* pro particula *per* ponendam credidisse; quæ emendatio omnino sequenda visa est. Porro inter cetera AEdilium munera curam publicorum etiam locorum fuisse, diximus supra in Nota 1 Art. 95. Adde, id ex Cicerone, si testimonia alia deessent, colligi quoque perspicue posse: in Verrina enim tertia (quæ etiam Liber primus, sive *de Pratura Vrbana*, inscribitur) Cicero Verrem accusat; quod is, cum Prætor esset, nimio pretio Redemptori cuidam locavisset opus, quo vix aliud factum fuerat, quam columnas quasdam dealbare; deinde vero subdit, *quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certe numquam AEdilitatem petivissem.*

5. *interdum etiam Quæstoribus*] Ita Codex Cassinensis: alii Codices, & Libri typis descripti habent; *interdum etiam Censoribus*: retineri autem non posse verbum *Censoribus*, propter ea, quæ paullo supra Frontinus scripserat, manifestissimum est. Quare Pithœus (Opsopæo referente in citato loco) ratus fuit, tentandam esse hujuscemodi emendationem; *interdum etiam coss.* Sed malui Cassinensem Codicem sequi.

I,I. Nec sane ignoro, Quæsturam fuisse ex minoribus Magistratibus; non ignoro Quæstores *neque vocationem habuisse, neque prehensionem* (ut habet Gellius in Lib. XIII Cap. 13) non ignoro, Quæstores *dictos fuisse a quærenda, vel conquirenda pecunia publica, & in rationes redigenda* (ut habet Gravina de Orig. Iur. pag. 117) quamobrem vel ex ipsius nominis ratione, *a cura probandorum operum*, de quibus Frontinus loquitur, abesse eos debuisse, videretur: nihilo tamen minus, cum sternendarum Viarum cura aliquando ad Quæstores ipsos pertinuerit (habet enim Suetonius, in Claudio Cap. 24, Claudius *Collegio Quæstorum, pro stratura Viarum gladiatorum munus injunxit*) cum, inquam, sternendarum Viarum cura ad Quæstores aliquando pertinuerit; cur aliquando etiam probandorum operum in Aquæductibus factorum cura ad Quæstores pertinere non potuerit, sane non vidi.

6. *ut apparet ex* S. C., *quod factum est C. Licinio, & Q. Fabio COSS.*] Codex Cassinensis habet; *ut apparet ex eo quod factum est Clicinio consule & Fabio Censoribus*: ita ferme etiam Codices Vrbinas, & Vaticanus; nisi quod, pro *Clicinio*, habent *Liciano*: Editio Iocundi habet; *ut apparet ex eo, quod factum est C. Liciano Consula, & M. Fabio Censoribus*: atque hoc in loco Iocundi Editio ab Editione principe differt dumtaxat in eo, quod in principe Editione particula *est* desideratur. Vinandus autem Pighius, in Operis alias citati Tom. III pag. 130, nomina, quæ supra posuimus, appellat *deploratæ lectionis nomina*. Pithœus, ut liquet ex Opsopæi Notis, loco huic mederi tentavit, nimirum ita legendo; *ut apparet ex S. C., quod factum est*

est C. Licinio, & Q. Fabio coss. ¶ Quantopere autem curæ fuerit, ne quis violare Ductus, aquamve non concessam derivare auderet; cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, [1] quod Circus Maximus, ne diebus quidem Ludorum Circensium, nisi AEdilium, aut Censo- ¶ Art. 97.

est C. Liciano Cesula, & M. Fabio COSS. At (subjungit Opsopœus) *horum sive Consulum, sive Censorum nulla mentio est in fastis. C. Licinium Getam, & Q. Fabium anno DCXXXVIII ab Vrbe Condita Consules, anno vero DCXXXXVI Censores fuisse, sed an iidem fuerint, quos Frontinus commemorat, asseverare non ausim.* Hactenus Opsopœus.

II. Porro in verbis *s. c.* & coss., emendatio Pithœi visa est verisimilis, eamque ideo secutus sum: ibi enim a Frontino aliquod Senatusconsultum indicari, plura alia, quæ refert Senatusconsulta, credibile mihi fecere. Præterea notam temporis constitui, haud dubie videtur; Consulum autem, non Censorum, mentio ad constituendas notas temporum facit. Atque ad id recipiendum, me illud etiam valde movit, quod in Codicibus verbum *Consule* reperitur, originem trahens (ut credibile est) ex verbo coss. mutato translatoque in alium locum. Quod vero ad nomina attinet: nomen illud *C. Liciai*, sive *C. Liciani Cesulæ* novum adeo mihi visum est, ut id recipere nequiverim: neque sane conjicere potui, in nomine *M. Fabii*, unde prænominis *M.* cognitionem hauserit ille, qui typis æneis primo Frontinum describi curavit, unde hauserit Iocundus. Quamobrem Cassinensem Codicem proxime secutus recepi libenter nomina certorum Consulum *C. Licinii*, & Q. *Fabii*: quorum Consulatus secundum Frontinianam supputandi rationem incidit in annum ab Vrbe Condita DCXXXVI. Itaque credibile mihi videtur, hisce coss. factum fuisse s. c. quo cura probandorum aliquorum operum, ad Aquæductus pertinentium, Quæstoribus demandaretur.

1. *quod Circus Maximus, ne diebus quidem Ludorum Circensium, nisi AEdilium, aut Censorum permissu, irrigabatur*] Quid esset hæc Circi Maximi irrigatio definire non ausim. Certe nec Panvinius, nec Argolus, nec alii, quos vidi de Circensibus Ludis Scriptores, quidpiam habent, quod ad hunc locum illustrandum valde faciat. In Keuchenii Notis, ad hunc locum scriptum est; *hæc verba de irrigatione sumenda esse, quæ fossis Circo* (Arenam, non Circum, circumdatam Euripis Plinius scribit, ut narravimus jam in Nota 1. Art. 84: neque, fossas factas unquam fuisse circa ipsos Circos, me legisse memini) *circumdatis, & Euripis aquam inducebat.* Sed cum totius temporis, quod a Frontino respicitur, ratio habenda sit; ac Euripi demum tempore Cæsaris Dictatoris (ut in Nota paullo ante citata dictum est) fieri cœperint, cumque verba *irrigare Circum Maximum* non videantur satis significare perductionem aquæ in amplos Euriporum alveos: iccirco facilius irem in sententiam eorum, de quibus idem Keuchenius ita habet; *Viri magni perperam referunt ad nescio quam refrigerationem, qua in Theatro aquarum per semitas decursu æstivus minuebatur fervor, cujus rei primus Author Pompejus.* Illud tamen non prætermittam, me esse proclivem ad credendum, etiam ante Pompeji tempora eam irrigationem Circi fuisse in usu; cum Frontinus de remotioribus temporibus loqui videatur. Sed fieri potuit, ut Pompejus (nam in re obscura hariolari quid vetat?) & commodius, & magnificentius ducta aqua ad Circi irrigationem, tamquam irrigationis Author deinde habitus sit. ¶ Art. 97.

II. Porro Keuchenius videtur ex Claudio Salmasio (ut ut hunc non citet) hausisse quæ scripsit de irrigatione facta *in circumdatas fossas*; Salmasius enim *in Plinianis Exercitationibus* (pag. m. 641) ita scribit. *Ex his* (citaverat autem ea Frontini verba, quæ in hac Nota consideramus) *apparet Circum Frontini ævo non amplius irrigari solitum. Cave capias de alia irrigatione, quam quæ fossis circo circumdatis, idest Euripis,*

Cenforum permiffu, irrigabatur: [2] quod duraffe etiam poftquam res ad Curatores tranfiit fub Augufto, [3] apud Attejum Capitonem legimus. Agri vero, qui aqua publica contra Legem effent irrigati, [4] publicabantur. *Mancipiorum* etiam, fi cum eo, qui adverfus Legem, feciffent, multa dicebatur. In iifdem Legibus adjectum
eft

---

aquam inducebat. Sed (fateor) ita cavere, ut Salmafius jubet, ego non poffum; quippe qui de irrigatione eo modo facta, Frontini verba effe intelligenda, non putem. Quod vero attinet ad illud confectarium, quo Salmafius infert, *Frontini ævo Circum non amplius irrigari folitum*; de hac re nihil aufim affereje, ut in fequente Nota dicam.

2. *quod duraffe etiam poftquam res ad Curatores tranfiit*] Id refero ad ea Frontini verba, quibus paullo fupra narraverat, Circum fine permiffu olim non fuiffe irrigatum: reor enim, Frontinum hoc in loco adjicere, morem illum non irrigandi Circum fine permiffu duraviffe, etiam poftquam res pervenit ad Curatores. Num vero Frontini ævo Circus fine ullius permiffu irrigaretur, an vero omnino non irrigaretur, non aufim afferere: ut enim alterutrum firme probem, non video.

3. *apud Attejum Capitonem legimus*] Ob materiæ cognationem credibile eft, hunc Attejum Capitonem eum effe, qui creatus fuit Aquarum Curator, L. Munatio Planco, C. Silio COSS. (vide infra Art. 102) anno ab Vrbe Condita 764: atque hunc quoque Curatorem de rebus ad Aquæductus pertinentibus aliquid litteris mandaviffe.

4. *publicabantur*] Ideft; redigebantur in Reipublicæ poteftatem, fiebantque publici. Vulgo, *erano confiscati*.

5. Mancipiorum *etiam, fi cum eo, qui adverfus Legem, feciffent, multa dicebatur*] Ideft; *dicebatur etiam multa Mancipiorum*, fi Mancipia *feciffent cum eo, qui* faciebat *adverfus legem*. Quoniam enim, ut paullo fupra dixerat Frontinus, *publicabantur agri, qui contra legem effent irrigati*; atque agrorum multa dicebatur Poffefforibus: iccirco videtur magis etiam rationi confonum, dictam fuiffe multam eorum quoque Mancipiorum (Servos pro Mancipiis hoc loco intelligo) qui operam fuam adjunxiffent agentibus dolo malo, ac fuffurantibus publicam aquam. Et quidem infra apparebit manifefte; etiam poft ea tempora, quæ hoc loco a Frontino noftro refpiciuntur, tum Senatufconfulto, tum Lege pœnam conftitutam fuiffe, fi Servi læfiffent Aquæductus.

II. Profiteor tamen, me emendationem, quam feci hujus loci, pro certiffima non venditare: id unum dico, nullam veri magis fimilem emendationem veniffe in mentem; ut ut rem in plures partes converterim. Si enim ponebam *Mancipi*; vocis hujus fignificatio cum verbis reliquis non confentiebat: fi ponebam *Mancipia*, ac fubaudiebam *publicabantur*; in alias incidebam difficultates, & fic porro. Certe is locus unus ex depravatiffimis eft, in quo verbum aliquod effe tranfpofitum, aliqua fortaffis effe corrupta, facile videbitur confideranti eas, quas fubjicio varias Lectiones.

III. Citatus enim locus, in Caffinenfi Codice legitur ita; *Mancipi etiam fi cum eo quem adverfus legem feciffe multa dicebantur*: Codex Vrbinas habet; *Mancipii etiam fi cum eo quem adverfus legem feciffe muelocа dicebatur*: Editio Princeps; *Mancipia etiam ficut ea, quæ adverfus legem jure loco feciffe dicebantur*: in Editione vero Iocundi idem locus ita legitur; *Mancipia etiam ficut ea, quæ adverfus legem multæ loco feciffe dicebantur*.

6. SESTER

est ita : NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE SALIET. SI. QVIS. OLETARIT. [6] SESTERTIORVM. X. MILLIA. [7] MVLTA. ESTO. Oletato, videtur esse [8] olidam facito; cujus rei caussa AEdiles Curules jubebantur per vicos singulos ex iis, qui in unoquoque vico habitarent, [9] prædiave haberent, binos præficere, [10] quorum arbitratu aqua in publico saliret. ¶ Primus M. Agrippa post AEdilitatem, [1] quam gessit Consularis, [2] operum suorum ¶ Art. 98.

[3] &

6. *SESTERTIORVM. X. MILLIA*] Nunc autem hæc Sestertiorum summa æqualis esset nummis argenteis Philippeis 250: si æstimentur ita hi nummi, ut in Nota 13. III. Art. 7. Codices habent ut scripsimus: Editio Iocundi habet; *sestertiorum X millium*.

7. *MVLTA. ESTO*] Codex Vrbinas, & Editio Iocundi habent ; *mulcta esto*: in Cassinensi Codice videtur legi, *mulcatum esto*. Sed non una de caussa receptæ jam lectioni stetimus.

8. *olidam facito*] Nomen hoc videtur significare generatim quod olet, sive id habeat odorem bonum, sive malum. Horatius autem hoc nomine ad gravem odorem significandum usus est (Epistolarum Lib. I Epist. 5)

Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Keuchenius scribit, se *nuspiam alibi legisse id*; sed, ut puto, indicare vult, se non legisse secundum eam significationem, quam eidem verbo tribuit hoc in loco Frontinus. Videtur enim dictio *ne olidam facito* hic significare idem, ac *ne conspurcato*. Fortassis vero ab Antiquis tum aqua mali odoris, tum aqua conspurcata eodem nomine designabatur: cum malos odores aqua habeat ex inquinamentis.

9. *prædiave haberent*] Cur necessarium fuerit, ut duo hi Viri, qui seligebantur in singulis Vicis haberent prædia, non video perspicue : quandoquidem hic agitur de aqua Salientium, qui intra Vrbem erant, non de aqua extra Vrbem erogata. Conjicio, exstitisse id necessarium, ut liquido constaret, Viris illis censum fuisse.

10. *quorum arbitratu aqua in publico saliret*] Ita Codices. Sensus est, quoties illi vellent, aquæ salientis puritatem cognoscere possent. Sed hoc in loco illud videtur obscurum; qui scilicet fieri debuerit, ut aqua in publicum saliret ad illorum, qui in unoquoque vico præficiebantur, arbitrium ; quando infra in Art. 104 scribitur; ex S.C. auctoritate, *Salientes publicos quam adsiduissime interdiu & noctu aquam in usum Populi fundere* debuisse. Si tamen ratio temporum habeatur, res fiet satis manifesta: nam Frontinus hoc loco de priscis temporibus loquitur, quibus per pauciores Aquæductus aqua in Vrbem ducebatur : illud autem S. C. factum fuit Q. AElio Tuberone, Paullo Fabio Maximo coss. nimirum anno ab Vrbe Condita (ut dicemus in Nota 1 Art. 99) 741; post magnificam Agrippæ AEdilitatem, quo tempore jam per septem Aquæductus, majore copia, aqua in Vrbem perducebatur.

1. *quam gessit Consularis*] Agrippam gessisse post primum Consulatum AEdilitatem anno ab Vrbe Condita 719, Imperatore Cæsare Augusto II, L. Volcatio Tullo coss. dictum est supra, ostensumque in Notis 3, & 4 Art. 9. ¶ Art. 98.

2. *operum suorum*] Inter Agrippæ opera etiam Aquarum Ductus referri quodammodo poterant: quippe quia ex septem Aquis, Appia, Anione, Marcia, Tepula, Iulia, Virgine, Alsietina, ille Iuliam, Tepula intercepta, & Virginem quoque perduxerat primus ; *Ductus Appiæ, Anionis, Marciæ pene dilapsos restituerat* (ut constat ex Art. 9) itaque tantum præstiterat in hisce Aquæductibus, ut jam Aquæductus omnes inter opera ipsius referri quodammodo possent.

[3] & munerum velut perpetuus [4] Curator fuit; qui jam [5] copia permittente, descripsit [6] quid aquarum Publicis Operibus, quid Lacubus, quid Privatis daretur. [7] Habuit & familiam propriam, Aquarum quæ tueretur Ductus, atque Castella, & Lacus. Hanc Augustus hæreditate, ab eo sibi relictam, [8] publicavit.

¶ Art. 99. ¶ Post eum [1] Q. AElio Tuberone, Paullo Fabio Maximo

---

3. *& munerum*] Hoc loco munerum vocabulo existimo significari non modo loca, in quæ immittebatur aqua, spectaculorum caussa (ut dictum est in Nota 18 Art. 3) sed etiam munera proprie dicta, idest dona: & quod ad rem nostram attinet, credibile fit, Agrippam, qui *in AEdilitatis suæ commemoratione balnea gratuita* (referente Plinio in Lib. XXXVI Cap. 15) *præbuerat CLXX*, etiam multa postea præbuisse: præterea, cum paullo infra in Art. 99 mentio fiat eorum, *qui ex Commentariis Agrippæ aquas haberent*, credibile fit, multos aquam habuisse munere donoque Agrippæ. Agrippam enim, qui in Commentarios retulit Aquarum distributionem, dono etiam aliquid dare potuisse, manifestum videtur.

4. *Curator fuit*] Cum rationi consonum videatur, Agrippam cœpisse gerere Aquarum curam eo anno, quo fuit post primum Consulatum AEdilis; sequitur ex Nota 1 hujus Art. ut Agrippa, Imperatore Cæsare Augusto II. L. Volcatio Tullo coss. anno V. C. 719, primus Curator Aquarum poni queat; sicuti fecimus in Tabula Q, quam adornavimus; ut Curatorum Aquarum, & Consulum, sub quibus illi curam suscepere, annorumque seriem valde a Librariis deturpatam, a nobis, pro virili opportunis in locis restitutam, ante oculos integram poneremus.

5. *copia permittente*] Quando eam, de qua verba fecimus, AEdilitatem Agrippa inivit, Aquæ erant dumtaxat quattuor, & ex his trium abundantiorum, Appiæ, Anionis veteris, Marciæ Ductus erant pene dilapsi (teste ipso Frontino in Art. 9) itaque non mirum, si tunc operæ pretium non esset, perexiguam aquæ residuæ copiam describere; quæ, propter exiguitatem, describi, ut ita dicam, negabat. Posterius vero, adjectis ab Agrippa aliis Aquis, & prioribus restitutis, ea copia aquæ evasit, ut dici posset; aquam potuisse describi, *copia* ejus *jam permittente*.

6. *quid aquarum Publicis Operibus, quid Lacubus, quid Privatis daretur*] In hac enumeratione Frontinus non recenset quid aquarum daretur *nomine Cæsaris*: eum tamen *nomine Cæsaris* ingentem aquæ copiam fuisse erogatam, jam supra in Art. 78 Frontinus apertissime scripserit. Itaque puto, Curatore Aquarum Agrippa, nihil aquæ erogatum fuisse *nomine Cæsaris*.

7. *Habuit & familiam propriam, Aquarum quæ &c.*] Vox familia, etsi usu inductas habet plures significationes, proprie tamen significat cœtum Servorum. Hic autem proprie assumitur, & indicat Servos opifices, qui habebantur in ministerio, ut in Art. 96 dictum est; & hi Servi Agrippæ erant, Aquis tuendis proprie addicti.

8. *publicavit*] Idest; Augustus eam familiam propriam Aquarum, quæ ex Agrippæ testamento ad se pervenerat, publicam fecit, atque transtulit in Reipublicæ potestatem. Hinc liquet; verbo *publicare* non semper significari id, quod vulgo *confiscare* (qua significatione hoc eodem verbo Frontinus supra, in Art. 97 usus est) sed significare etiam ultroneas translationes privatæ rei in possessionem Reipublicæ.

¶ Art. 99. 1. *Q. AElio Tuberone, Paullo Fabio Maximo COSS.*] Ita Codices: at in Editione Iocundi adjicitur nominibus horum Consulum particula *iterum*: perperam tamen, nam istorum Consulum non fuit hic Consulatus II. Perperam etiam in editis Libris, pro prænomine *Paullus*, est *P.* Gessere autem Magistratum anno V. C 741.

2. *quasi*

ximo coss. in re, quæ usque in id tempus, [2] quasi potestate acta, certo jure eguisset, [3] Senatusconsulta *facta* sunt, ac Lex promulgata. Augustus quoque edicto complexus est, quo jure uterentur, qui ex Commentariis Agrippæ aquas haberent, [4] tota re in sua beneficia translata. Modulos etiam, de quibus dictum est, constituit; & rei continendæ exercendæque [5] Curatorem

2. *quasi potestate acta*] Potestas aliquando sumitur pro eo, qui Magistratum gerit; aliquando pro imperio & jurisdictione; aliquaodo significationibus aliis: hoc autem loco sumendam esse reor pro imperio, quasi arbitrario: quippe quia usque in illud tempus, de quo sermo est, dictum jus fuerat potius ex arbitrio Magistratuum, quam ex certis Legibus.

3. *Senatusconsulta* facta *sunt*] Codices, & Editio Iocundi habeot; *Senatusconsulto acta sunt*: sed mendum subesse manifestum est. Quoniam vero latini Scriptores (& Frontious ipse paullo infra) utontur hac dictiooe; *Senatusconsultum facere*: iecirco pro certo habui, scriptum fuisse ita, *Senatusconsulta facta*. Si quis verbum *Senatusconsulto* retinere mallet; pro *acta sunt* reponere deberet (ut opioor) *actum est*. Prima tamen emendatio verisimilior esse videtur.

4. *tota re in sua beneficia translata*] Nimirum, ut ex suo beneficio, non ex Agrippæ beneficio, se aquam habere cognoscerent ii, quorum commodo aqua, de qua sermo est, erogabatur. Porro quanta in hujuseemodi beneficiis conferendis esset authoritatis, ac domioii, ut ita dicam, seoacitas, vel ex eo liquet; quod (Frontino ipso teste in Art. 107) *Ius impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum sequebatur*. Opinor autem, eo tempore cœpisse erogationes, quæ fieri *nomine Cæsaris* dicebantur; & quæ noo fiebant sub Agrippa, ut animadvertimus in Nota 6 Art. 98. Augustus enim, re tota in sua beneficia translata, redactaque in suam potestatem, erogatiooes plurimas jubere potuit ad arbitrium, ut diximus supra in Nota 21 Art. 3.

5. *Curatorem fecit Messalam Corvinum*] Cum hoc eodem loco jam dixerit Frontinus, Augustum transtulisse totam rem in sua beneficia & modulos constituisse, nunc vero dicat, ab Augusto creatum fuisse Aquarum Curatorem; liquet Augustum in Aquarum negotio domioari voluisse. Hioc patet, Curatores Aquarum ab Imperatoribus fuisse creatos: quod patebit eo etiam magis, si consideres verba illa, quæ de se creato Aquarum Curatore Frontinus supra 10 Art. 1 habet: sunt autem ea verba hujusmodi; *sitque mibi nunc ab Nerva Augusto &c. Aquarum injunctum Officium*.
II. Messalam autem Corvinum factum Curatorem, coss. paullo ante nominatis *Q. Ælio Tuberone*, *Paullo Fabio Maximo*, anno V. C. 741, satis declarat ipsa narratio: idque contigisse non multo post excessum Agrippæ, manifestum pariter est. Agrippa enim (Dione refereote in Lib. LIIII) proxime superiore V. C. anno 740, M. Valerio Messala Barbato, & P. Sulpicio Quirino coss. diem objerat. Hunc autem Messalam Corvinum non fuisse illum Oratorem, qui Augusti Consulis III. Collega in eo Magistratu fuerat, opinor: namqoe ille, Tacito referente (aut vetere aliquo alio Scriptore, si Taciti ille Dialogus non est) in Dialogo de Oratoribus Cap. 17, oiedio Augusti principatu excessit e vita. In curatiooe autem Aquarum pene ad extremum principatus Augusti nostrum hunc Messalam duravisse, ex tempore, quo huic successit C. Attejus Capito, credibile fit. Quoniam vero Curatores Aquarum ex Principibus Civitatis semper erant (ut sub ioitium hujus Operis Frootinus professus est) iccirco, illustris illius patris filium fuisse hunc Curatorem, opinor.

ratorem fecit Messalam Corvinum; cui [6] Adjutores dati Postumius Sulpicius Prætorius, & L. Cominius Pedarius: Insignia [7] eis, quasi Magistratibus concessa, deque eorum Officio [8] Senatusconsultum factum, quod infra scriptum est:

¶ S. C.

---

opinor. Et quidem floruit hæc familia diutius: namque Neroni III Consuli Collega fuit Valerius Messala; *cujus Proavum* (scribit Tacitus in Lib. XIII Cap. 34) *Oratorem Corvinum, divo Augusto Abavo Neronis Collegam in eo Magistratu fuisse, pauci jam senum meminerant*. At hunc quoque Curatorem, functum jam fuisse majori aliquo Magistratu, credibile sit, si datus ei fuit Adjutor Vir Prætorius: & fortassis Consul suffectus fuit, sed ejus Magistratus (ut pluribus aliis contigit) memoria periit.

6. *Adjutores dati &c.*] Horum Adjutorum uterque Senator erat: sed unus, scilicet *Postumius Sulpicius*, qui majorem Magistratum gesserat, dicitur enim *Prætorius*: alter, *L. Cominius*, qui nec majorem, nec curulem Magistratum gesserat; nam dicitur *Pedarius*: Pedarii autem appellabantur, quicumque Senatores nondum gesserant curulem Magistratum; hi pedibus ibant in Curiam. Post vero hosce Adjutores, alios non fuisse creatos, opinor; nullam etenim cujusquam alius Adjutoris mentionem deinceps facit Frontinus noster.

7. *eis &c. deque eorum*] Ergo Insignia concessa, & S. C. factum, referri debent tum ad Curatorem, tum ad Adjutores.

8. *Senatusconsultum factum, quod infra scriptum est*] Cum primum adjeci animum ad annotationes conscribendas in hunc Frontini Commentarium, plane existimavi, me inventurum Senatusconsulta, quæ iisdem Libris continentur, jam emendata adeo atque explicata ab iis, qui de Romanorum Senatu, ac Legibus egere, ut prorsus nihil laboris in id a me esset conferendum. Sed quando ad locum hunc ventum est; ac cœpi illorum Libros diligenter evolvere, vix quidquam inveni (si Barnabæ Brissonii Libros *de Formulis* excipias) quod faceret ad rem meam. At quoniam studiis meis diffidebam, rogavi tum coram, tum per litteras nonnullos doctos Viros, ut me admonerent; si usquam reperirentur Commentarii in ea Senatusconsulta, quæ a Frontino fuere descripta: sed a singulis idem datum est responsum: nusquam, quod scirent, eos Commentarios exstare: & quidem, ut opinor, a nemine (nescio tamen quonam fato) tales Commentarii fuere adornati.

II. Verum hoc in loco animadvertere præstat, plura de Aquæductibus in Iureconsultorum Libris scripta reperiri, quæ ad id Aquæductuum genus, ad quod referuntur Senatusconsulta in Frontini Libris edita, minime pertinent; sed generatim pertinent ad aquas per rustica prædia ductas: ut videre est præsertim in explanationibus Legum ad tit. C. de Aquæductu. Præterea vero si quæ Leges post condita ea S. C. latæ reperiuntur pertinentes ad genus illud Aquæductuum, de quo scripsit Frontinus noster, eæ spectant vel ad Aquæductus Vrbis Romæ auctos numero, & multis partibus mutatos post Frontini tempora, vel ad Aquæductus orientalium (ut appellant) Vrbium: quamobrem Viri docti, qui operam dedere, ut ex descriptis a Frontino Senatusconsultis posteriores hasce de Aquæductibus leges illustrarent; atque alicubi ostenderent, easdem leges ad illa Senatusconsulta referri; hi, inquam, Viri docti ob quamdam juris convenientiam lumen aliquod ex illis Senatusconsultis rebus suis attulere; vix tamen quidquam, unde sufficiens lumen accederet rei nostræ, suppeditarunt. Sed horum labores recensere, longum profecto nimis esset, ne dicam molestum. Liceat tamen pauca de quibusdam ex iis, quos vidi, celeberrimis veterum Legum Interpretibus subindicare; ut diligentiæ a me adhibitæ specimen veluti quoddam exhibeam.

III. Ordi-

III. Ordiendo ab Andrea Alciato: nihil is habet, quod positum consulto sit, ut lumen afferatur S. C. a Frontino relatis. Id unum notabo pertineus ad rem nostram; Alciatum (in *Annot. in tres posteriores Lib. Cod* ad Legem primam de Aquæductibus) ex ipsa Lege habere hæc; *quoquo versum linquendos XV pedes sine arboribus, ne formas ipsas radicibus* arbores *destruant*; deinde vero Alciatum ipsum subjicere; *circa hoc videndum est lepidissimum S. C. quod refert Frontinus in fine Opusculi, de Aquaductibus*. Quid autem venire potuerit in mentem docto illi Viro, ut gravissimum illud S. C. appellaret *lepidissimum*, doctis Viris considerandum relinquo.

IIII. Antonius autem Augustinus in Libro *de Legibus, & Senatusconsultis* (cui accessere Notæ Fulvii Ursini) ubi Senatusconsulta recenset, hæc habet; *Senatusconsultis, quorum nomina apud Iureconsultos reperimus, quæ omnia pene diligenter Placentinus collegerat* (hæc Placentini collectio exstat inter *Tract. Iur.* Tom. I.) *addenda esse existimamus pauca quædam, quorum verba atque sententiam non negligenda esse opertere, arbitrati sumus*. Inter hæc vero, Senatusconsulta, quæ in Frontini Commentario leguntur, describit; sed, præter unam aut alteram notulam ex Frontini contextu desumtam, nihil addidit, quo eorundem Senatusconsultorum emendaret lectionem, aut sententiam redderet illustriorem.

V. Franciscus Hotomannus in *Tractatu de Senatu, & insignibus aliquot Senatusconsultis*, nullam mentionem facit Senatusconsultorum exstantium in Frontini Libris: quod fortasse mirabuntur omnes, qui pro maxime memorabilibus (ut profecto sunt) habeant Senatusconsulta a Frontino servata; & animadvertant, Hotomannum fuisse pollicitum, se breviter strictimque perscripturum *ea S. C., quæ tum in Iurisconsultorum Libris, tum apud Antiquos Scriptores maxime memorabilia existimantur*. Sed dicet aliquis, *Senatusconsultorum quædam sunt, quæ proprium nomen habent, quædam sunt anonyma*: Hotomannus anonyma, qualia sunt etiam illa Frontini, prætermittere voluit. At in Tractatu *de Senatoribus, Senatu, & Senatusconsultis ex Francisco Hotomanno & aliis*, qui exstat cum Lexico Iuridico Ioannis Calvini (ut in editione anni 1684) ubi Senatusconsulta tam proprium nomen habentia, quam anonyma recensentur, mentio fit unius ex Senatusconsultis, quæ in Frontini Commentario leguntur, aliorum vero mentio nulla. Sive itaque primum illum Hotomanni Tractatum, sive auctum hunc evolvas, ut invenias quæ dicta sint ad Senatusconsulta illa, de quibus agimus, illustranda, perinde erit.

VI. Pariterque tum in Ioannis Sarii Zamoscii duobus Libris *de Senatu Romano* frustra quæras mentionem Senatusconsultorum, quæ in Frontino sunt:

VII. Tum in Paulli Manutii Antiquitatum Romanarum Libro *de Senatu*, ac Libro *de Legibus*, nihil invenies, quod distincte appositeque de Senatusconsultis recensitis a Frontino dictum sit.

VIII. Venio ad ea Opera, quæ de Iure fecit Iacobus Cujacius (quem ubi laudat Gravina in eximiis suis Libris, id tamquam pronunciatum constituit: *Neque aliquid ignorare per Cujacium, neque sine illo discere quidquam licet*) Is tamen doctissimus æque ac eruditissimus Vir Senatusconsulta, de quibus sermo est, non enarravit, etsi illi ignota non fuerunt; eadem enim citat in *Commentariis* suis ad Lib. XI *Codicis Dn. Iustiniani* Tit. XXXXIII.

VIIII. Iulius Cæsar Bulengerus in Libris *de Dignitatibus, & Officiis utriusque Imperii* (Lib. V Cap. 20) agit *de Comite Formarum*; quare ex sola Capitis inscriptione liquet, eum ad inferiora tempora declinavisse: & quidem pleraque habet, vel ex Cassiodoro desumta, vel pertinentia ad eas ætates, quibus jam in Romano Imperio mutata erant multa ex iis, quæ, dum Frontinus scriberet, observabantur. Vt ut vero plura de Aquæductibus congesserit (in quibus etiam nonnulla falsa) de iis tamen Senatusconsultis, quibus constituebantur Officia Curatorum Aquarum, nihil habet.

X. Iacobus Gothofredus *in Commentariis perpetuis ad Codicem Theodosianum* (in Tom. V.) ad Constitutionem Constantini M. *de Tuitione Aquarum, & Aquaductuum*; & ad Constitutionem Valentis Imperatoris *de Daphnensi Aquaductu*, quædam habet

docte

¶ Art. 100. ¶ [1] S. C. QVOD. Q. AELIVS. TVBERO. PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS. COSS V. F. DE. IIS. QVI. CVRATORES. AQVARVM. PVBLICARVM. [2] EX CONSENSV. SENATVS. A. CAESARE. AVGVSTO. NOMINATI. ESSENT ORDINANDIS. [3] D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. PLACERE. HVIC. ORDINI EOS. QVI. AQVIS. PVBLICIS. PRAEESSENT. CVM. EIVS. REI. CAVSSA. EXTRA VRBEM. ESSENT. [4] LICTORES. BINOS. ET. [5] SERVOS. PVBLICOS. TERNOS [6] ARCHI

---

docte ſcripta, atque erudite ad illuſtrandas Conſtitutiones illas ſpectantia, citatque etiam quædam Frontini loca: nihil tamen eſt, unde novum aliquod lumen Senatuſconſultis, quæ leguntur in Frontini Libris, proveniat.

XI. Sed ut ſpecimen hoc, jam nimis longum, tandem finiam: unus ex iis, quos vidi, Barnabas Briſſonius, Vir ſane doctiſſimus, in VIII Libris, quos *de Formulis, & Solennibus Populi Romani verbis* conſcripſit, Senatuſconſulta, & Legem ad finem Commentarii a Frontino relatam, ut reſtitueret in iis locis, in quibus verba mendoſa eſſe videbantur, operam dedit; ac *prout ea reſtituenda cenſuit*, ita poſuit in Libris ſuis, curavitque æneis typis capitalium litterarum deſcribi: ut fecit, poſt Briſſonium, in Editione ſua Keuchenius (qui Briſſonii emendationes in variarum lectionum loco repoſuit) Ego quoque Briſſonii ſcripturam ferme ubique ſecutus ſum: in Corpore enim Inſcriptionum Iani Gruteri a Ioanne Georgio Grævio iterum edito, in quo a pagina D incipiunt Inſcriptiones *S. C. Decretorumque Publicorum*, vix quidquam inveni, quo ſcripturam S. C. ad antiquam illam formam adducere magis poſſem. Cum vero deinceps Briſſonium vel Briſſonii Libros nominabo, Libros paullo ſupra citatos intelligam.

¶ Art. 100. 1. *V. F.*] Sertorius Vrſatus in eruditiſſimo illo *Commentario de Notis Romanorum* haſce Notas V. F. ita interpretatur; *Verba Fecit*, vel *Fecerunt*. *Vir Frugalis*. *Vivo Fidelissimo*. *Viſum Fuerit*. *Vivens Fecit* vel *Vivus*. *Voluit* (ſubaudi vel *Voluerunt*) *Fieri*. *Votum Fecit*. Has autem Notas *V. F.* in Senatuſconſultis ſignificare, *Voluerunt Fieri*, quibuſdam placet: haud tamen ægre crederem, eas ſignificare, *Verba Fecerant*.

2. *EX. CONSENSV. SENATVS*] Ita Codex Caſſinenſis: & quidem bene huic loco congruere poſſunt verba hæc; cum notiſſimum ſit, placuiſſe ſæpe Cæſaribus, ut viderentur fieri ex conſenſu Senatus ea, quæ agebant ipſi ad arbitrium. In Vrbinate Codice legitur ex *conſulto* Senatus: in Editione Iocundi legitur; *ex Senatusconſulto*: ut Briſſonius etiam retinuit ita, *EX. S. C.*

3. *D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C.*] Litteras haſce, hoc ordine poſitas, qui interpretatus ſit, inveni neminem (ac perperam interpretatio, quæ ponitur ad calcem Editionis Iocundi, ex Probo deſumta dicitur) Eædem tamen litteræ, paullo diverſo ordine poſitæ, in ante laudato Commentario cum adjecta interpretatione ab Vrſato referuntur, atque eſt interpretatio hæc; Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. „ *Quid De Ea Re Fieri Placeret, De Ea Re Ita Cenſuere* „. *Manutius*. „ *Quid De Ea Re Fieri Placuerit, De Ea Re Ita Conſuerunt* „. *Scaliger*. *Calvinus*. *Tomaſinus*. *Vulgatiſſima Formula Legum rogandarum, & Senatuſconſultorum apud Romanos*: hactenus Vrſatus. At Scaligerum ex parte, ex parte Manutium ſequor, ac citatas litteras interpretor ita; *De Ea Re Quid Fieri Placeret, De Ea Re Ita Conſuerunt*.

4. *LICTORES*] Lictores (ut ex variis Authoribus colligo) erant liberi, non ſervi; immo ſæpe fuere etiam cives. Lictoribus utebantur Magiſtratus, qui non ſolum poteſtatem habebant, ſed etiam imperium. Lictores vero præibant Magiſtratum ſinguli in lineam: inter eorum munera erat ſubmotio; quæ fiebat ubi ſtrepitu, voce, manu, virga locum faciebant ſequenti Magiſtratui: item animadverſio; quæ fiebat, cum verbis, atque clamore admonebant quidquid honoris venienti

Magi-

Magiſtratoi exhiberi ſolenne eſſet: geſtabant etiam Lictores ante Magiſtratum virgarum ſaſeieulos, in quorum uno ſecuris incluſa erat; atque ſontes cædebant virgis, & ſecuri feriebant.

5. *SERVOS. PVBLICOS*] *Publici Servi dicebantur* (ut habet Titus Popma in Libro *de Servorum Operis*) *qui officium, & miniſterium publicum Sacerdotibus, aut Magiſtratibus, & Populo exhibebant*. At Laurentius Pignorius in ſuo *de Servis Commentario* aſſirmat, Publicos Servos *Magiſtratibus apparuiſſe, horum & Lictorum fuiſſe functos officio, quandoque etiam Scribarum*. Servi tamen Publici (ut ex S. C. quod in manibus habemus, Carolus Sigonius io Lib. II. *de Antiquo Iure Romanorum* Cap. 15, & Popma in citato Libro collegerunt) a Lictoribus differebant: adde, & a Scribis: quamobrem conjicio, & Servorum Publicorum nullum fuiſſe omnino certum officium, ſed eos præſto fuiſſe juſſibus Magiſtratuum; & eos etiam impleviſſe quorundam aliorum miniſtrorum vices, ubi opus eſſet. Vt vero probari poſſit, Servos Publicos non fuiſſe *Servos mercenarios & conductitios*, quod ſibi Keucheoius (ut apparet in ejus Nota ad hunc locum) perſuaſerat, ſane non video.

6. *ARCHITECTOS*] Vt recte ſcias quid ſit Architectus; attendas oportet definitionem Architecturæ, a qua primi de Architectura Libri initium fecit Vitruvius hiſce verbis; *Architectura eſt Scientia pluribus diſciplinis, & variis eruditionibus ornata, cujus judicio probantur omnia, quæ a ceteris artibus perficiuntur, opera*. Eo autem in citato loco a Frootino Architecti oominantur tamqnam ii, qui fabricaodis arcubus, rivis, ſtructuris, librandis aqois, ac ſimilibus operibus neceſſariis ſeu conſtructioni, ſeu refectioni Aquæductuum præerant.

7. *SCRIBAS. ET. LIBRARIOS*] Scribæ ſervientes Magiſtratibus erant ii, qui publicas rationes in tabellas referebant; atque leges & acta in Commentarios redigebant. Non ignoro, ab aliquibus Seribas pro Librariis habitos fuiſſe; &, quod attinet ad Scribas & Librarios privatos, nihil dico. Non ignoro, apud Feſtum legi; *nunc dicuntur Scribæ quidem Librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis*: ſed eo in loco a Feſto *Librariorum* nomen late ſumi opinor; in noſtro autem citato Frontini loco poni id nomen ſtricte, ac determinate (ut ajunt) & ea præciſe ratione, qua ad miniſtrum Magiſtratus eo tempore id nomen pertinebat. Nam, quod attinet ad Scribas, & Librarios ſervientes Magiſtratibus, plane exiſtimo; illorum munus ab horum munere fuiſſe diverſum: diverſitas enim conſtare ſatis poteſt ex hoc ipſo S. C. in quo nominantur ſeorſum *Scribæ*, & *Librarii*; tum ex ſecunda Ciceronis oratione in Rullum, ubi de XV Viris loquens Cicero, quos ille agris dividundis inſtituere conabatur, ait; *Ornat eos Apparitoribus, Scribis, Librariis, Præconibus, Architectis*: tum vero ex aliis etiam locis eadem diverſitas probari poſſet. Fuiſſe autem Seribas *ordinis Libertini*, aſſerit Titus Popma in Libro jam citato; additque, id (*præter Varronem in Lib. VII. de Ling. Lat.*) Tacitum Lib. XIII Cap. 27 retuliſſe his verbis; *Quippe late fuſum id* (Libertorum) *corpus: hinc plerumque Tribus, Decurias, Miniſteria* (& inter hæc Scribas) *Magiſtratibus, & Sacerdotibus; Cohortes etiam in Vrbe conſcriptas*.

II. At Carolus Sigonius (*de Antiquo Iure Civium Rom.* Lib. II Cap. 15) hæc habet; *Scribas ex Libertorum numero eximimus: non quod non Apparitorum numero fuerint, ſed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis conſtitiſſe animadvertimus*: ſubditque duo illuſtria exempla. Quid tamen vetat, quin ſtatuamus, ex utroque genere Libertinorum, ac Ingenuorum Scribas fuiſſe? atque ita rem totam conciliemus. Illud vero extra dubitationis aleam poſitum eſt, mentionem Seribarum honorificentiorem, qoam Librariorum, apud veteres Authores reperiri: & Sigonius in citati modo Libri Cap. 9 affirmat; *Tribunorum ÆRarii ordini honore proximum Scribarum ordinem fuiſſe*. Quapropter in eam ſententiam lubens eo, ut credam,

[10] PRAECONESQVE. [11] TOTIDEM. HABERE. QVOT. HABENT. II. PER QVOS. FRVMENTVM. PLEBEI. DATVR. CVM. AVTEM. IN. VRBE. EIVSDEM REI. CAVSSA. ALIQVID. AGERENT. CETERIS. [12] APPARITORIBVS. IISDEM

[13] PRAE

Scribarum munus præstitisse muneri Librariorum ita ; ut, quæ a Scribis essent scripta, a Librariis describerentur : eamque ferme fuisse differentiam, quæ nunc in Veneta hac dictione est, ut vulgo loquar, *tra il Cancelliere, & il Cogitore*.

8. *LIBRARIOS*] Librariorum nomen (ut ut plura Librariorum munera exponant Pignorius, Popma, aliique nonnulli, qui de Servis scripsere) hoc loco determinate, ut ajunt, sumtum significare eos, qui scripta pertinentia ad res Magistratuum describebant, satis (ut reor) in præcedente Nota fuit expositum. Fateor tamen, me id Librariorum nomen principio considerantem hæsisse dubium, num deberem nomen Librariorum hic ita interpretari, ut significaret eos, qui præficiebantur librandis aquis ; quemadmodum in Iuvenalis versu 109 Satyræ VIIII,

Finxerunt pariter Librarius, archimagiri

Librarius a nonnullis sumitur pro eo, qui librat pensa ; ut in Iuvenalis Editione a Cornelio Schrevelio adornata videre est. Quidam tamen Iuvenalis Interpretes secus sentiunt. Sed revertendo ad rem nostram ; cum animadverterem, datos fuisse Aquarum Curatoribus tot Librarios, quot *habebant ii, per quos frumentum Plebei dabatur*, frumentum autem mensuris aridorum metirentur Romani, non penderent libra, atque adeo Librariis pendentibus frumentum non indigerent ii, *per quos frumentum Plebei dabatur* ; iccirco tum iis, tum Curatoribus Aquarum datos fuisse Librarios ejusdem generis (nimirum exscriptores rerum scriptarum a Scribis) re diligentius perpensa, mihi facile persuasi. Id autem ex eo etiam potest confirmari, quod verba *Librarios*, & *Scribas* conjunguntur.

9. *ACCENSOS*] Panvinius in Libro, cui titulum fecit *de Civitate Romana*, sequens Varronis in Lib. V. *de Ling. Lat.* sententiam, affirmat ; *Accensos fuisse administratores Magistratuum, ab acciendo dictos, idest a vocando* ; atque in hoc Accensos operam suam contulisse etiam Curatoribus Aquarum credendum est. Accensos autem non fuisse servos, constare satis potest ex illustri Ciceronis loco (in Lib. I. Epistolarum ad Q. Fratrem, Epist. 1) ubi Cicero ita scribit ; *Accensus sit eo etiam numero, quo eum Majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris, ac muneris non temere, nisi Libertis suis deferebant ; quibus illi quidem, non multo secus, ac servis imperabant*. Porro id nomen *Accensus* pertinuit etiam ad militiam ; sed ad rem nostram ea tantum pertinet, quam dedimus, significatio.

10. *PRAECONESQVE*] Præcones erant qui bona proscripta proponebant publicæ auctioni, ac proclamabant, & pretia conficiebant ; qui in Comitiis Tribus, & Centurias citabant ; qui singularum Centuriarum sententiam, &, post lata omnia suffragia, rursum quid Populus universus jussisset, declarabant, ac similia præstabant. Atque (ut propius attingam id, quod pertinet ad rem nostram) inter Præconum munera erat etiam denunciare publice ea, quæ a Magistratibus denunciari jubebantur ; & præsertim ad id Præcones datos fuisse Aquarum Curatoribus, verisimillimum est ; neque profecto plura ad rem nostram addenda.

11. *TOTIDEM. HABERE. QVOT. &c.*] Si sciremus quem numerum Scribarum, Librariorum, Accensorum, Præconumque habuerint illi, *per quos frumentum Plebei dabatur*, sciremus etiam quot ejusmodi ministros habuerint Curatores Aquarum : sed ignorare hunc numerum necesse est, cum illum ignoremus. Saltem, mihi sedulo perquirenti contigit, ut nusquam numerum illum nanciscerer. Id quidem reperi ; inter nova officia excogitata ab Augusto (teste Suetonio in Augusto, Cap. 37) fuisse *curam frumenti Populo dividundi*. Quod indicat etiam Dio in Lib. LIIII.

12. *APPARITORIBVS*] Panvinius in Libro, cui titulum fecit, *Civitas Romana*,

ita

[13] PRAETER QVAM. LICTORIBVS. *VTI.* VTIQVE. QVIBVS. APPARITORIBVS EX. HOC. S. C. CVRATORIBVS. AQVARVM. VTI. LICERET. [14] EOS DIEBVS. X. PROXIMIS. QVIBVS. S. C. FACTVM. ESSET. AD. AERARIVM [15] DEFERRENT. QVIQVE. ITA. DELATI. ESSENT. IIS. [16] PRAETORES. AERARII MERCEDES. CIBARIA. QVANTA. PRAEFECTI. FRVMENTO. [17] DANDO. DARE DEFERREQVE. SOLENT. ANNVA. DARENT. ET. ADTRIBVERENT. IISQVE. EAS PECVNIAS. SINE. FRAVDE. SVAS. FACERE. LICERET. VTIQVE. TABVLAS CHARTAS. [18] CETERAQVE. QVAE. EIVS. CVRATIONIS. CAVSSA. OPVS [19] ESSENT. IIS. CVRATORIBVS. [20] *PRAEBERI.* Q. AELIVS. PAVLLVS. FABIVS COSS.

---

ita de Apparitoribus scribit; *omnes, ut Scribæ, Accensi, Præcones, Lictores, Viatores, uno nomine Apparitores vocabantur*: & eodem quoque modo Carolus Sigonius in Lib. II *de Antiquo Iure Rom.* Cap. 15 Apparitores definit. Porro etiam ex hoc Frontini loco manifestum videtur, omnes Magistratuum Ministros, vocabulo veluti universali, Apparitores fuisse nuncupatos.

13. *PRAETERQVAM. LICTORIBVS.* VTI. *VTIQVE. QVIBVS*] In Codicibus, aliisque Libris legitur; *præterquam Lictoribus utique quibus*: sed manifeste apparet, sententiam mancam esse. Pithœus (ut Opsopœus habet in Notis) tentavit hujusce loci emendationem, expungendo particulam *que*, atque scribendo ita; *præterquam Lictoribus, uti. Quibus* &c. At Brissonius locum supplendum ratus, scripsit, ut nos fecimus, eum secuti: namque sententia fit eo modo perspicua; ac probabilius est, Librarios de duabus similibus scripturis, *uti*, *utique*, alteram ex incuria omisisse, quam addidisse de suo particulam *que*. Illud autem animadvertere præstat; supra in Nota 4 hujusce Art. dictum fuisse, Lictoribus usos Magistratus, qui non solum potestatem habebant, sed etiam imperium; ex hoc autem Frontini loco constare, Curatores Aquarum intra Vrbem Lictoribus uti non potuisse: quamobrem perspicuum fieri videtur, Aquarum Curatores extra Vrbem habuisse imperium, secus vero intra Vrbem.

14. *EOS. DIEBVS*] Ita Codices, & Editio Iocundi: Brissonius scribit; *in diebus*: sed additionem non omnino necessariam præterii.

15. *DEFERRENT*] Codices, & alii Libri habent; *deferrentur*. Pithœus citato in loco, & Brissonius ponunt deferrent, quos heic in emendatione omnino necessaria secutus sum.

16. *PRAETORES. AERARII. MERCEDES*] Scaliger in Variis Lectionibus, pro verbo *Prætores*, substitui *Præfecti Pr.* voluisse videtur; cur tamen, ubi expendo munera Præfectorum Prætorio, satis non video. Ceterum Codices, & alii Libri habent *mercede*: sed accusandi casus requiritur: præsertim cum paullo infra dicatur, *eas pecunias sine fraude suas facere liceret*; eæ enim pecuniæ ad *mercedes* referri videntur. *Mercedem* vero, an *mercedes* scriptum in S. C. vere fuerit, ego quidem non definierim: Brissonium secutus sum.

17. *DANDO*] Ita perspicue Codices. Libri omnes habent, *danda*.

18. *CETERAQVE. QVAE*] Ita Codices, ac Editio Iocundi: Editio princeps habet; *cerasque quæ*: ac Pithœus, citato in loco, vellet emendari hæc verba, atque scribi; *ceras, quæque*. Sed in re satis clara Codices, Libros ferme omnes, ac Brissonium nihil mutantem secutus sum.

19. *ESSENT*] Ita Codex Cassinensis: ita ex conjectura Keuchenius in Nota ad hunc locum: Codex Vrbinas, & Libri alii, necnon Brissonius habent; *esset*.

20. PRAEBERI] In Codicibus legitur, *præbenda*. Brissonius autem locum hunc

 emen-

COSS. AMBO. ALTERVE. [21] SI. IIS. VIDEBITVR. ADHIBITIS. [22] PRAETORIBVS QVI. AERARIO. PRAESINT. [23] *EA.* PRAEBENDA. LOCENT

¶ Art. 101. ¶ [1] Itemque, cum Viarum Curatores frumentique parte quarta anni publico fungebantur ministerio, ut Curatores Aquarum judiciis vacent privatis, publicisque. [2] Apparitores, & Ministeria, quamvis perseveret adhuc

---

emendavit, scripsitque *præberi*; quæ emendatio necessaria adeo visa est, ut non potuerim non sequi Brissonium, atque ea emendatione in ipso contextu uti.

21. *SI. IIS. VIDEBITVR*] Verba hæc, *si iis videbitur*, *honoris caussa addebantur in S. C. si quid mandabatur Magistratibus, ut facerent, quod observavit Donatus in commentario in Adelphos Terentii. Pro Donato stant sexcenta apud Ciceronem, & alios exempla, quæ putidum esset colligere.* Ita Io. Sarius Zamoscius in Lib. II *de Senatu Romano.*

22. *PRAETORIBVS. QVI. AERARIO. PRAESINT*] Narrat Dio in Libro LIII, Cæsare Augusto VI, & M. Agrippa II. coss. (nimirum plures annos ante consulatum Q. AElii Tuberonis, & Paulli Fabii Maximi) Augustum, *quoniam AErarium publicum inops pecuniarum esset, quasdam mutuo sumtas in id contulisse: & administrationi earum duos Prætura functos, in annos singulos electos, præfici jussisse.* Quod a Suetonio in Augusto Cap. 36, scribitur hisce verbis; *Vt cura AErarii a Quæstoribus Vrbanis ad Prætorios, Prætoresve transiret.* Idque mansit usque ad Claudium, qui curam hanc Quæstoribus reddidit: deinde vero, tum Neronis, tum Vespasiani temporibus, eandem curam ad Prætorios Viros iterum pertinuisse, constat. Sed ad rem nostram sufficit, id liquere; eo tempore, quo factum fuit S. C. quod in manibus habemus, Prætores AErario præfuisse.

23. EA. *PRAEBENDA. LOCENT*] Codices, & alii Libri habent; *& prabenda locent*: Brissonius restituendum censuit locum ita; *ea prabenda locent*; quem secuti sumus. Nam si ponatur particula *&*, verbum *locent* refertur ad Prætores: si ponatur *ea*, idem verbum refertur ad Consules, ad quos plane referendum esse videtur.

¶ Art. 101. 1. *Itemque, cum Viarum Curatores frumentique &c.*] In utroque Codice legitur periodus hæc eodem modo, ac scripsimus; nisi quod, pro *Curatores*, in Codicibus est *Curatoresque*: parumque differt a Codicibus Editio Iocundi, in qua post verbum *Curatores* est littera *q*; ex hac autem in plerisque aliis Editionibus factum fuit relativum *qui*. Porro videtur locus hic paullo obscurior; neque facile apparet quo referri debeat particula *Itemque*. Ego judicavissem, hanc periodum esse postremam partem Senatusconsulti; & post particulam *Itemque* subaudiendum esse, *placere huic ordini*: sed quoniam Brissonius periodum hanc pro Senatusconsulti parte non agnovit, judicio meo assensum cohibui.

II. Quamobrem illud remanet, ut post particulam *Itemque* subaudiatur, *constitutum* fuit. Atque ita mihi videtur sententia integra hæc esse; *Itemque* constitutum fuit, *ut Curatores Aquarum vacent judiciis privatis, publicisque* ea quarta parte anni; *cum*, idest quando, seu qua *parte quarta anni Curatores Viarum frumentique, publico fungebantur ministerio*: videturque id potuisse constitui, ne uno tempore agitarentur omnia hæc negotia, neve caussas suas uno tempore agitare cogerentur, si qui forte negotia & Viarum, & frumenti, & Aquarum haberent. Huic tamen meæ interpretationi non plus tribuo, quam tribuendum sit conjecturæ non incredibili. Hac quidem verisimilior conjectura mihi cogitanti, & rem in varias partes revolventi, sese non obtulit.

2. *Apparitores, & Ministeria, quamvis perseveret adhuc AErarium &c.*] In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate legitur hæc periodus ut a nobis descripta est; nisi quod,

adhuc AErarium in eos erogare, tamen esse Curatorum videntur desiisse inertia, ac segnitia non agentium Officium. [3] Egressis autem Vrbem dumtaxat agendæ rei caussa, Senatus præsto esse lictores jusserat: nobis, circumeuntibus rivos, fides nostra, & authoritas a Principe data pro lictoribus erit. ¶ [1] Cum perduxerimus rem ad initium Curatorum, non est alienum subjungere, qui post Messalam huic Officio ad nos usque præfuerint. Messalæ successit, [2] Silio, & Planco COSS. ¶ Art. 102.

[3] Atte-

quod, pro *erogare*, legitur *eroges*: in Editione Iocundi hæc non est peculiaris, integraque periodus, sed est pars periodi superioris; qua conjunctione, tota res, per se obscura, fit ibi obscurissima. At in eadem Editione legitur *erogare*; atque ita etiam in veteribus Editionibus legitur. Ceterum, pro verbo *esse*, quod positum est perspicue in Codicibus, in Editione Iocundi reperitur particula *etiam*; eo autem deficiente verbo *esse*, sententia nulla esse videtur. Quo tamen verbo etiam posito, fateor, sententiam videri obscuram: ac valde dubito, tum deesse aliquod verbum, tum verbum aliquod esse mendose transpositum. Secundum vero Codicum verba, reor, hunc locum ita interpretandum: *Apparitores & Ministeria, quamvis AErarium adhuc perseveret erogare in eos* pecunias, *tamen videntur desiisse esse*; idest, cum nihil agant, videntur non esse; idque provenit ex *inertia ac segnitia Curatorum non agentium Officium*.

II. Videtur autem Frontinus, verbis hisce respicere ad tempora præcedentium Curatorum, non loqui de suis. Et cum nominet non modo *Apparitores*, sed etiam *Ministeria*, dicendum opinor; vel duo hæc nomina scripta fuisse a Frontino pro synonymis, ut ajunt (revera enim apud antiquos Scriptores *Ministeriorum* nomine *Apparitores* nuncupati alicubi reperiuntur) vel nomine *Apparitorum* intellexisse eos, de quibus in S. C. actum fuerat, nomine autem *Ministeriorum* intellexisse opifices aliquos; idque credibilius mihi fit: nam infra in Art. 116, ubi sermo est de duabus Servorum familiis, ita scriptum est; *utraque autem familia in aliquot Ministeriorum species diducitur; Villicos, Castellarios, Circitores*, &c.

3. *Egressis autem Vrbem*] Ita in Codicibus: in Libris editis legitur; *Egressi autem Vrbem*.

1. *Cum perduxerimus rem ad initium Curatorum*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *Cum rem produxerimus*. Supra autem in Art. 98 scripserat Frontinus, Agrippam fuisse perpetuum Curatorem suorum operum; ideoque etiam Curatorem Aquarum; ut jam indicavimus in Notis 2, & 4 Art. 98. Præterea scripserat in Art. 99, Messalam Corvinum creatum fuisse Curatorem post Agrippam: itaque post Agrippam, & Messalam, qui fuere *Curatorum* primi, Curatores alii erant recensendi. ¶ Art. 102.

2. *Silio, & Planco COSS.*] Codex Cassinensis habet; *plancus & filius* (littera *s* in *f* ex errore Librariorum mutata) *consules*: Editio Iocundi habet; *Silio & Plaucio*. Horum Consulum nomina L. Munatius Plancus, C. Silius reperiuntur in Fastis Panvinii, Pighii, Sigonii: ultra hosce vero Consules, nullos alios a Frontino nominatos recenset Sigonius, cujus Fasti, & Commentarius in Fastos ipsos, desinunt ad eum annum, quo Augustus ex vita decessit. Gesserunt autem consulatum anno V. C. 764. His Consulibus, vivebat Augustus; itaque, ab Augusto Capitonem creatum fuisse Aquarum Curatorem dicendum est.

II. Plura

[3] Attejus Capito : Capitoni , [4] C. *Asinio Pollione* , C. Antistio Vetere coss. [5] Tarius Rufus : [6] Tario , [7] Servio Cornelio Cethego , L. Visellio Varrone coss. M. Coc-

---

II. Plura nomina Consulum toto hoc Articulo a Frontino nominatorum , in Libris qui descripti sunt æneis typis valde depravata reperiuntur : in Codice autem Cassinensi non adeo sunt mendosa , ut qui Consules poni debeant , intelligi ferme ubique non possit. Sequar autem (ut consuevi) Codicem illum ; atque ad veritatem vestigandam , attendam Consularem Epistolam , ac inter Consulares Fastos , præcipue ad Fastos Anonymi me referam , cum quo præsertim in adsignandis annis a Frontino prætermissis faciam, ubi Authores alios inter se dissentientes inveniam . Ceterum opinor, nomina Consulum olim non fuisse in Frontini Codicibus scripta integra ; sed ab aliquo indocto Librarin tractu tempnris fuisse suppletas litteras , unde nimis illi contra latinam linguam errores terminationum nominum Consulum manaverint in posteriores Codices; &, quod consequitur, in Cassinensem.

3. *Attejus Capito*] Tacitus de hoc Capitone , in Annal. Lib. III Cap. 75 , hæc habet ; *obiit eo anno* (secundum Frontinianam rationem , quam sequimur , ut instituimus , anno ab V. C. 773) *Capito Attejus , de quo memoravi , principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus ; sed avo centurione Sullano , patre praetorio . Consulatum ei adceleraverat Augustus , ut Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem dignatione ejus Magistratus anteiret* . Hujus Capitonis, qui Consul Suffectus fuit, consulatum Panvinius (in Commentariis in Lib. II suorum Fastorum) refert in annum V.C. 759 , qui nobis est 757 . Concinnavit autem , ut ipse scribit , Consules Suffectos hujus anni ex Inscriptione ; in qua , præter cetera , nomina Capitonis , & Collegæ ita leguntur ;

C. ATTEIO. CAPITONE. C. VIBIO. C. F. POSTVMO. COSS.

4. C. Asinio Pollione , *C. Antistio Vetere COSS.*] Codex uterque ita habet ; .... *C. Antistio Vetere* : Editio Iocundi habet ; *L. Martio , C. Antistio Vetere* ; unde tamen pro altero Consule venerit *L. Martius* , plane non video . Certe in omnibus Fastis cum C. Antistio Vetere ponitur C. Asinius Pollio : quare habita temporum ratione, certeque habito uno ex Consulibus , nimirum *C. Antistio Vetere* , lacunam , ut scriptum est, supplere potuimus. Hi Consules gesserunt Magistratum anno V. C. 774 : nimirum anno sequente post mortem Capitonis, ut liquet ex præcedente Nota . His Consulibus rerum potiebatur Tiberius .

5. *Tarius Rufus*] Ita Codices omnes : Editiones princeps , & Iocundi habent ; *Satrius Rufus* : sed, præterquamquod Codicibus stn multo libentius , id etiam accessit, quod *Taria* Gens, cognnmento *Rufi*, consularis perspicue nota erat ; *Satria* vero Gentis (quæ certe exstitit, nam a Plinio Iuniore *Satrius Rufus* in Lib. I Epist. 5 , & in Lib. VIIII Epist. 13 nominatur) non ea illustria mnnumenta reperi , unde ejus Gentis Viri inter Principes Civitatis facile reponendi esse viderentur.

II. Illud autem præterire non debeo , Io. Mariam Cataneum, Virum ceteroquin eruditum , & de Plinio optime meritum , scripsisse in suis ad Plinium Notis ; eum *Satrium Rufum* , cujus mentio est in Plinii Epist. 5 Lib. I , *Aquis Publicis Praefectum fuisse , Frontino teste* : nam etiamsi *Satrius* legendum apud Frontinum esset (quod tamen legendum non est nomen) profecto Vir ille, qui cum inter Principes Civitatis constitutus, atque ideò non juvenis, creatus fuit Curator Aquarum anno V.C. 774, caussas agere in Senatu non poterat Domitiani tempore (Domitiani enim tempore caussas agebat ille *Satrius* a Plinio nominatus) post annum V. C. 832 : ne dicam , credibile fieri ex Plinii Epist. 13 Lib. VIIII eundem *Satrium Rufum* vixisse adhuc anno V. C. 848 , nempe post cædem Domitiani .

6. *Tario*] Ita Codices omnes: Editio princeps, & Editio Iocundi habent ; *Satrio* .

7. *Servio Cornelio Cethego , L. Visellio Varrone COSS.*] Ita Codices, & Libri typis

æneis

M. Coccejus Nerva, Divi Nervæ avus, [8] ſcientia etiam juris illuſtris: huic ſucceſſit, [9] Fabio Perſico, L. Vitellio coss. C. Octavius Lænas: [10] Lænati, Aquillio Iuliano, & Nonio Aſprenate coss. M. Porcius Cato: [11] huic ſucceſſit poſtea, Servio Aſinio Celere .....

......

æneis deſcripti; niſi quod hi, pro *Servio*, habent *Sergio*; Codex Vrbinas habet *Segrio*; Codex Caſſinenſis babet, *Serio*: *Servio* tamen legendum eſſe plane videtur. Et quidem ſcriptio *Sergii* nominis, pro prænomine *Servio*, *eſt error jam ſatis a multis exagitatus*; ut Sigonius in Libro *de Romanorum Nominibus* animadvertit.

II. Hi Coosules geſſerunt magiſtratum anno V. C. 775. Imperatore Tiberio.

8. *ſcientia etiam juris illuſtris*] Ita Codices: in Editione Iocundi deeſt particula *etiam*. Hoc idem indicavit Tacitus quoque in Annalium Lib. IIII Cap. 58. Vbi de Tiberii profectione verba faciens hæc habet; *Profectio arto comitatu fuit: unus Senator conſulatu functus, Coccejus Nerva, cui Legum peritia*.

9. *Fabio Perſico, L. Vitellio COSS.*] Codex Caſſinenſis habet; *Favio Perſico, L. Vtellio*: Codex Vrbinas, *Fabio rerſico. L. Vicellio*: Editio Iocundi; *F. Perſico. L. Vitellio*: Faſti conſentiunt (mendorum enim unius alteriuſve litteræ manifeſtiſſima emendatio eſt) habentque; *Paullus Fabius Perſicus, L. Vitellius*. Geſſerunt Magiſtratum anno V. C. 785: & hi quoque ſub Imperatore Tiberio fuere.

10. *Lenati, Aquillio Iuliano, & Nonio Aſprenate COSS. M. Porcius Cato*] Codex Caſſinenſis habet; *Lenati Aquila Iunianus, & Nonius Aſprenate Conſulibus. M. Porcius Cato*. Horum tamen Conſulum nomina fuiſſe hæc, *M. Aquilius Iulianus, P. Nonius Aſprenas*, aperte probatum jam fuit in Nota 3 Art. 13. Hi Conſules geſſerunt Magiſtratum anno V. C. 789, ut etiam in Nota 4 Art. 13 dictum eſt. Quo vero Imperatore, Frontinus noſter jam in Art. 13 declaravit hiſce verbis; *C. Cæſar, qui Tiberio ſucceſſit, altero imperii ſui anno, M. Aquillio Iuliano, P. Nonio Aſprenate COSS.*

II. Editio Iocundi habet; *Lenati Iuniano, & Nonio Aſpernate COSS. Aquila. Huic ſucceſſit M. Porcius Cato*. Sed error manifeſtiſſimus eſt in tranſpoſitione nominis *Aquila*: nomen etenim Conſulis (quod mendoſum etiam eſt) perperam ponitur pro nomine & in loco nominis Curatoris Aquarum. Ea Iocundi lectio ſi retineretur, inde profecto etiam fieret; ut addito uno Curatore (ſcilicet *Aquila*) qui poni inter Curatores minime debet, alius Curator (ſcilicet *M. Porcius Cato*) careret nota Conſulum, qua nota nullus alius Curator caret. Inſtituta autem, ut fieri debebat (atque ut fecimus) emendatione, omnibus Curatoribus ſui Conſules recto ordine referuntur.

11. *Huic ſucceſſit* poſtea, *Servio Aſinio Celere .... Quinctiliano COSS.*] Codex Caſſinenſis habet; *huic ſucceſſit poſt quem Ser aſinius celer a .... tonio Quintiliano conſulibus*: Codex Vrbinas habet; *huic ſucceſſit poſt quem ſeras junio celer a .... ionio Quintiliano Conſulibus*. Hæc verba Codicum attendens, primum animadverti, duo verba, *huic ſucceſſit*, nullo modo referri poſſe ad Lænatem, ſed eſſe referenda ad Catonem, cujus nomen proxime verba ipſa antecedebat. Quando itaque verba, *huic ſucceſſit*, pertinebant ad Catonem, jam ſuperfluæ erant voculæ, *poſt quem*, quæ etiam minus cohærere poterant cum verbo ſucceſſit, per totam hanc periodum regnante: quare pro iiſdem voculis poſui particulam *poſtea*, ex qua (ut credibile ſit) vitiata provenerant voculæ *poſt quem*.

II. Quod vero attinet ad Conſulum nomina, ſecutus ſum Codices: ex quibus quidquid certum viſum fuit, adoptavi. Satis enim perſpicuum eſſe poteſt, nomen *Seraſinius* profluxiſſe ex prænomine *Ser.* (ideſt Servius) & nomine Aſinius, perperam una conjunctis. Alterius vero Conſulis *Quinctiliani* prænomen, & nomen

nnn

...... Quinctiliano coss. [12] A. Didius Gallus: Gallo, [13] Q. Veranio, & Pompejo Longo coss. [14] Cn. Domitius

---

non posui. Panvinius, & Pighius ita scripsere; *Sex. Nonius L. F. L. N. Quinctilianus*: sic autem scripsere (ut haud dubie reor) quoniam repererunt, anno ab Vrbe Condita 759, cum *M. Furio Camillo* Consulem fuisse *Sex. Nonium L. F. L. N. Quinctilianum*; exstantque in fragmentis Tabularum M. Verrii Flacci eorum Consulum nomina integra. At persuadere ego mihi non potui; ut, nulla reperta conjectura, ponerem post annum 789 Consulem Suffectum (Suffectus enim fuit, ut infra dicetur) illum, qui anno 759 Consul Ordinarius fuerat. Rem etenim consideranti apparebit perspicue, spatium amplius triginta annorum, & fortasse ferme quadraginta, interesse debuisse inter unum alterumque consulatum Quinctiliani: rarissime vero tantum temporis spatium inter consulatus duos unius ejusdemque Viri intercessit: nihilque obstat, quin hic Consul Suffectus ab Ordinario illo diversus fuerit. Si quis autem asserat, credibile esse, Suffectum Consulem, si diversus ab Ordinario fuerit, fuisse tamen ex Noniorum Gente; ego assentiar.

III. Horum vero Consulum Asinii, & Quinctiliani nulla usquam inter Ordinarios Cnnsules mentio est. Fuere igitur Suffecti: neque enim caussam ullam video, cur suspicari debeamus, hos Consules non Suffectos fuisse, sed falsos. Porro etiam a Suffectis Consulibus, per ea tempora, annos aliquando fuisse nominatos, ostendimus jam in Nota 8 Art. 13. Fortasse vero non deerunt quibus videatur Author Epistolæ Consularis paullo durius scripsisse, ubi (pag. 27) de quibusdam Consulibus referendis proxime ad annos illorum Consulum, de quibus In hoc Art. a Frontino mentio fit, scripsit; *quos* Consules *bonus Panvinius plerumque Suffectos maluit appellare, quam falsos*. Nostri tamen huic censuræ non subjacent.

IIII. Sed antequam de his Consulibus dicendi finem faciam, ultro fateor, me nescire cui anno ex interjectis inter annum 789 Consulum proxime antecedentium (ut in Tabula Q videre est) & anoum 800 subsequentium, cui, inquam ex eis annis hi ante nomlnati Consules tribuendi sint. Panvinius Fastorum Lib. II facit hos Consules Suffectos ex Kal. Iuliis eo anno, quo Caligula solus Kal. Ian. inierat consulatum Lugduni: qui annus juxta Panvinii computandi rationem fuit V. C. 793; juxta Frontini rationem fuit V. C. 791: unde tamen hauserit hanc notitiam Panvinius, ibi non apparet. Sed in Commentario in suum Librum II Fastorum (quem Panvinii locum secutus est etiam Pighius ad eum annum, qui Pighio est V. C. 792) ubi agit Panvinius de Consulibus eo anno (793 V. C. juxta ipsius computandi rationem) suffectis, hæc habet; *Consulum vero Kal. Iuliis Suffectorum meminit Frontinus primo* (*secundo* poni debet) *de Aquæductibus*; quod falsum est, si Panvinius indicare voluit, tempus ex Frontini narratione posse cognosci: neque enim Frontinus ullam addidit notam mensis, quo inierint, aut anni, quo gesserint Magistratum Consules illi.

12. *A. Didius Gallus*] Codex Vrbinas habet; *Didius Gallus*: Codex Cassinensis habet; *ad id jus Gallius*; ex hisce tamen litteris *ad id jus* recte colligi potest nomen A. Didius. Præterea vero cum Tacitus & in Annalium Lib. XII, & in Vita Agricolæ A. Didium Gallum nominet, Claudio Imperatore, Proprætorem Britanniæ; dubitandum non videtur, quin hic noster Aquarum Curator fuerit ille A. Didius Gallus a Tacito nomioatus. Quo autem anno in Britanniam iverit Gallus, nusquam inveni: credibile tameo est, & consonum iis, quæ ab eodem Tacito Lib. XII Annalium narraotur, ivisse circa id tempus; quo, Q. Veranio, Pompejo Longo coss. illi successor datus fuit Domitius Afer; ut mox Frontinus subdit.

13. *Q. Veranio, & Pompejo Longo COSS.*] Codex Cassinensis habet; *Veranius, & Pompejus Longus*: Codex Vrbinas habet, *Q. Veranio, & Pompeo Longio consulibus*: Editio Iocundi; *Q. Veranio. Pompejo Longino*: sed ego Cassinensi Codici adhærens scripsi

tius Afer: Afro, [15] Nerone Claudio Cæſare IIII, & Coſſo Coſſi F. coss. [16] L. Piſo: Piſoni, [17] Verginio Rufo, & Memmio Regulo coss. [18] Petronius Turpilianus: Turpiliano, [19] Craſſo Frugi, & Lecanio Baſſo coss. [20] P. Marius: Mario, [21] L. Teleſino, & Suetonio

---

ſcripſi *Longo*. Tacitus hos Conſules nominat in Lib. XII ita, *C. Pompejum, & Q. Veranium*: Caſſiodorus, & Anonymus, *Veranium, & Gallum*: a Solino autem nominantur ita, *C. Pompejus Gallus, & Q. Veranius*: ſoluſque Frontinus Pompejum *Longum* dicit. Propter hæc veriſimile eſt, Pompejo agnomen (ut quidam dicunt) quarto loco, fuiſſe *Gallo*; cognomen fuiſſe, tertio loco, *Longo*. Itaque reor, alios in nominando voluiſſe uti agnomine, *Gallo*; Frontinum uti voluiſſe cognomine, *Longo*. Hi geſſerunt Magiſtratum anno ab V. C. 800: Imperatore Ti. Claudio.

14. *Cn. Domitius Afer*] Hunc mortuum eſſe vergente anno, qui præceſſit conſulatum Neronis Claudii Cæſaris IIII, & Cornelii Coſſi, narrat Tacitus, in Annalium Lib. XIIII, Cap. 19.

15. *Nerone Claudio Cæſare IIII, & Coſſo Coſſi F. COSS.*] Tacitus in Annalium Lib. XIIII Cap. 20 hoſce Conſules ita nominat; *Nerone quartum, Cornelio Coſſo coss.* Anonymus vero ita; *Nerone IV, & Lentulo*. Quare huic Conſuli fuiſſe prænomen *Coſſo*, ex Frontino colligendum videtur: uomen fuiſſe *Cornelio* in Faſtis ſcribitur. Quamvis ex Tacito aliqua mihi ſuborta eſt ſuſpicio, num *Cornelius* nomen, an potius prænomen huic Conſuli fuerit; ſed nolui quæſtionem de hac re inſtituere: utcumque enim res ſe habuerit, quis fuerit hic Conſul ſatis notum eſt: cognomen autem ei fuiſſe *Lentulo*, liquet ex Anonymo. Panvinius in Commentario in ſuum Lib. II Faſtorum, ad annum, juxta ipſius Panvinii computandi rationem, V. C. 813, de hoc Conſule ita ſcribit; *Hic Lentulus Patrem Avumque Coſſos Cornelios Conſulares habuit, ut ſcribit Frontinus II de Aquæductibus*. Ego vero nuſquam apud Frontinum has notitias reperire potui. Hi Conſules Magiſtratum geſſere anno V. C. 811.

16. *L. Piſo*] Hic una cum Nerone Imperatore geſſerat conſulatum anno V. C. 808: anno autem 813, hic L. Piſo (Tacito referente Lib. XV. Cap. 18) una cum Ducenio Gemino, & Pompejo Paullino, Viris pariter Conſularibus, a Nerone vectigalibus præpoſitus fuit, conſulibus P. Mario Celſo, L. Aſinio Gallo: ſubſequentibus autem Conſulibus Verginio Rufo, & Memmio Regulo, datum ei fuiſſe ſucceſſorem in curatione Aquarum, ex hoc Frontini loco manifeſtum eſt.

17. *Verginio Rufo, & Memmio Regulo COSS.*] Hi Conſules, L. Verginius Rufus, C. Memmius Regulus (quos ita eſſe nominandos, oſtendit Noriſius in Epiſtola Conſulari, pag. 40) geſſerunt Magiſtratum anno V. C. 814: Imperatore Nerone. Fuit autem hic primus L. Verginii Rufi Conſulatus; qui, poſt hunc, duos alios Conſulatus obtinuit.

18. *Petronius Turpilianus*] De hoc Turpiliano plura habet Tacitus: inter cetera, in Lib. XV Cap. 72, narrat; huic Conſulari (Conſul enim fuerat anno V. C. 812) Neronem, anno V. C. 816 tribuiſſe *triumphale decus*: præcedente autem anno, nimirum anno V. C. 815, alium Aquarum Curatorem huic Turpiliano fuiſſe ſuffectum, liquet ex hoc Frontini loco.

19. *Craſſo Frugi, & Lecanio Baſſo COSS.*] Horum Conſulum nomina ita leguntur in Faſtis; *M. Licinius Craſſus Frugi, C. Lecanius Baſſus*. Geſſerunt Magiſtratum anno V. C. 815: Imperatore Nerone.

20. *P. Marius*] Is Conſul fuerat anno V. C. 813.

21. *L. Teleſino, & Suetonio Paullino COSS.*] Hi conſules, quorum nomina in Faſtis ſcribuntur ita, *L. Pontius Teleſinus, C. Suetonius Paullinus*, geſſere Magiſtratum anno V. C. 817: Imperatore Nerone.

Z 22. *Fon-*

nio Paullino coss. [22] Fontejus Agrippa: Agrippæ, [23] Silio, & Galerio Trachalo coss. [24] Albius Crispus: Crispo, [25] Vespasiano III, & Coccejo Nerva coss. [26] Pompejus Silvanus: Silvano, [27] Valerio Messalino cos. [28] T. Ampius Flavianus: Flaviano, [29] Vespasiano V, Tito III coss. Acilius Aviola: post quem, [30] Impe-

22. *Fontejus Agrippa*] Tacitus, Hist. Lib. III Cap. 46, hæc habet; *Fontejus Agrippa ex Asia (Proconsul eam Provinciam annuo imperio tenuerat) Mœsiæ præpositus est*. Id vero factum fuisse anno V. C. 820, Galba II. & Vinio coss. credendum est; convenitque id apprime cum hac Frontini narratione, in qua habetur; præcedente anno 819, Silio Italico, & Galerio Trachalo coss. successorem in Aquarum curatione Fontejo Agrippæ fuisse datum.

23. *Silio, & Galerio Trachalo COSS.*] His Consulibus, nimirum anno V. C. 819 Nero Imperator periit, & hujusce anni parte Sergius Galba imperavit: ex duobus autem Imperatoribus quis Albium Crispum fecerit Curatorem Aquarum dici nequit. Propositorum Consulum nomina ita, *C. Silius Italicus*, *M. Galerius Trachalus Turpilianus*, leguntur in Pighii Annalibus; quos ceu Consulares Fastos etiam habuimus: desinunt autem Annales illi (secundum usurpatam a Frontino computandi rationem) ad annum ab Vrbe Condita 820.

24. *Albius Crispus*] Ita Codex Cassinensis, & Editio princeps: Editio Iocundi habet; *Alipius Crispus*. Pighius ad annum V. C. 820 (juxta ejus computandi rationem) appellat hunc Curatorem *Vibium Crispum*. Neque inficias eo, aliquem Vibium Crispum in Annalibus nominatum reperiri; sed ajo, me non invenisse ullum *Vibium Crispum*, qui hoc tempore Aquarum curam gerere potuerit: quamobrem Cassinensem Codicem, ut meus ferebat mos, secutus sum.

25. *Vespasiano III, & Coccejo Nerva COSS.*] Incidit hic Consulatus in annum V. C. 822. Horum Consulum alter, Vespasianus, Imperator erat: alter vero post Domitianum Imperator fuit.

26. *Pompejus Silvanus*] Ita Codices: Editio princeps habet; *Pompejus Silvinus*: Editio Iocundi; *Pompejus Silvius*.

27. *Valerio Messalino COS.*] Panvinius in Commentario in Lib. II suorum Fastorum, ad annum V. C. 826 (juxta ejus Chronologiam) hæc habet; *Liber Cuspiniani, & Fasti Græci, & non suo loco Cassiodorus Consules in hunc annum comparant* Cæsarem *Domitianum II, & Messalinum; Frontinus Libro II. Aquæduct. omisso Domitiani nomine ex S. C. abolito, Valerium & Messalinum tantum alterum consulem nominat, cujus prænomen proculdubio Marcus fuit hujus Familiæ propriissimum, cujus pater sub Nerone, avus sub Tiberio Consules fuerunt*. Num vero illis temporibus præteriretur semper Domitiani nomen, non inquiro: cum satis mihi sit, illud credibile prorsus fieri, Frontinum, studentem blandiri Trajano, omisisse Domitiani nomen. Ceterum in Codicibus legitur; *Valerio Messalino*; nimirum nomen unius Consulis: qui vero (ut in Editione Iocundi, aliisque nonnullis) addidere particulam *&*, atque scripsere, *Valerio & Messalino*; ii videntur, unum Consulem in duos, ut ita dicam, discerpsisse. Incidit autem hic Consulatus in annum V. C. 824: Vespasiano Imperatore.

28. *T. Ampius Flavianus*] Codices habent; *Tampius Flavianus*, mendo veritatem minime abscondente: Editio Iocundi; *T. Anius Flavianus*. T. Ampii Flaviani meminit Tacitus in Hist. III. Cap. 10, narrans, hunc Flavianum Vespasiano faventem, ab ira militum earundem partium, quæ in eum (quamvis innocuum) incubuerat, servatum liberatumque fuisse ope Antonii Primi, cujus in exercitu Flavianus erat.

[30] Imperatore Nerva III, & Verginio Rufo III coss. [31] ad nos cura translata est. ¶ Nunc quæ observare Curator Aquarum debeat, & Leges, Senatusque consulta ad instruendum eum pertinentia, subjungam. Circa jus ducendæ aquæ in privatis [1] *hæc* observanda sunt, ne quis sine Litteris Cæsaris, id est, ne quis aquam publicam non impetratam, & ne quis amplius quam [2] impetravit, ducat. Ita enim efficiemus, ut modus, [3] quem acquiri diximus, possit [4] ad novos salientes, & ad nova Principis beneficia perti- ¶ Art. 103.

erat. Alibi vero (Hist. Lib. II Cap. 86) idem Tacitus nominaverat hunc Flavianum, ceu divitem senem: quare non mirum, si postquam Curator Aquarum factus fuerat, insequenti anno alius Curator ei successit, ut proxime narrat Frontinus noster.'

29. *Vespasiano V, Tito III COSS.*] Imperator Cæsar Vespasianus Augustus V, & Titus Cæsar Augusti F. III, gesserunt Consulatum anno V. C. 825.

30. *Imperatore Nerva III, & Verginio Rufo III COSS.*] Imperatoris Nervæ Coccei Cæsaris Augusti III, & T. Verginii Rufi III Consulatus incidit in annum V. C. 848.

31. *ad nos cura translata est*] Itaque Frontinus anno V. C. 848 creatus fuit Aquarum Curator ab Imperatore Nerva Coccejo; ut etiam supra in Nota 1 Art. 87 indicavimus. Quædam autem de variis Curatoribus scripta a nobis sunt; ut liqueat, constare, tum quosdam Curatores fuisse Consulares, ooo tamen id certum esse de singulis; certe ooo omnes fuisse ex iis, qui functi fuerant Ordinario Consulatu: tum nullum tempus huic Magistratui fuisse præfinitum; sed successores fuisse creatos vel propter priorum Curatorum mortem; vel propter eorundem alia munera extra Vrbem, vel etiam intra Vrbem; vel propter hujuscemodi caussas alias.

II. Quod vero attinet ad ea, quæ habet Guido Pancirolus in Notitia Dignitatum Imperii Occidentalis Cap. 10, ubi probat, *Curatorem Aquarum postea Consularem (non Consulem, ut vulgo habetur) Aquarum dictum fuisse*; multusque est, ut ostendat differentiam *inter Consularem Aquarum, & Comitem Formarum*; ea ad inferius ævum spectant, atque ad illustrandas res superiore Frontini ævo gestas, vix, aut ne vix quidem facere queunt.

1. hæc *observanda sunt, ne quis sine Litteris Cæsaris*] Vocula, *hæc*, deest in utroque Codice, & in principe Editione: quamvis autem subaudiri posse videbam, eam tamen a Iocundo positam, & fortasse restitutam, facientemque ad perspicuitatem retinui. Quod vero attinet ad Principum Litteras, ex hisce Frontini verbis satis liquet, Principum Litteris aquæ beneficia fuisse concessa; atque in Litteris collationem possessionis beneficii exstitisse. Porro Principum Epistolæ authoritatis erant maximæ: ac, *si quid continerent, quod in publicam rem, civilemque disciplinam tenderet, in Leges etiam referebantur*: ut animadvertit Gravina in alias citatis Libris *Originum Iuris*, pag. 120. ¶ Art. 103.

2. *impetravit*] Ita Codices: Editiones princeps, & Iocundi habent; *impetratum fuerit*.

3. *quem acquiri diximus*] Supra enim in Art. 64 dixerat; se invenisse aquæ *modum circiter quinariis X millibus ampliorem, quam in Commentariis* Principis esset. Ergo X illa millia quinariarum quodammodo acquirebantur.

4. *ad novos salientes, & ad nova Principis beneficia*] Iam enim, sentire eo tempore, sensuramque magis in dies Romam hæc commoda dixerat Frontinus, laudans

pertinere. In utroque autem magna cura multiplici opponenda fraudi est. Solicite subinde Ductus extra Vrbem [5] circumeundi [6] ad recognoscenda beneficia: [7] idem in Castellis, & salientibus publicis faciendum; ut sine intermissione [8] diebus *noctibusque* aqua fluat, quod Senatus quoque consulto Curator facere jubetur; cujus hæc quoque verba sunt:

¶ Art. 104. ¶ [1] *QVOD. Q.* AELIVS. TVBERO. PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS [2] COSS. V. F. DE. NVMERO. PVBLICORVM. SALIENTIVM. QVI. IN. VRBE ESSENT. INTRAQVE. AEDIFICIA. VRBI. CONIVNCTA. QVOS. M. AGRIPPA [3] FECISSET. [4] Q. F. P. D. E. R. I. C. NEQVE. AVGERI. PLACERE. NEC MINVI. [5] *NVMERVM.* PVBLICORVM. SALIENTIVM. QVOS. NVNC. ESSE

RETV

Nervam Trajanum supra in Art. 88 hisce verbis; *Sentit hanc curam Imperatoris piissimi Nervæ* Vrbs Roma &c. *& magis sentiet salubritas ejusdem æternæ Vrbis, aucto Castellorum, Operum, Munerum, & Lacuum numero: nec minus ad Privatos* &c.

5. *circumeundi*] In Editionibus principe, & Iocundi legitur; *sunt circumeundi*: sed verbum *sunt*, quod deest in Codicibus, ac facillime potest subaudiri, omisi.

6. *ad recognoscenda beneficia*] Nimirum ad recognoscendum, num aliquis, beneficio haud accepto, *ducat aquam publicam non impetratam*; atque etiam, num aliquis *amplius ducat*, quam ex beneficio impetraverit.

7. *idem in Castellis, & salientibus*] Nimirum; curandum quoque, ut cuncta aquæ, quæ ad Castella, & salientes pertineret, jugiter flueret in Castella ipsa, atque salientes; nec aut ex fraudibus, aut aliis ex caussis averteretur.

8. *diebus* noctibusque] In Codicibus, & in Editionibus, quæ Iocundi Editionem præcessere, deest verbum *noctibusque*, quod Iocundus addidit. Id autem verbum ut retineremus, persuasere, quæ paullo infra posita in S. C. sunt, verba; *interdiu & noctu*: hæc enim verba qui consideret, facile comperiet, præter verbum indicans diurnum tempus, verbum aliud, quo nocturnum tempus significaretur, necessarium fuisse.

¶ Art. 104. 1. QVOD. Q.] Particulam *Quod*, notamque *Q.* quas Brissonius addidit, neque Codices habent, neque Iocundi Editio: sed res ipsa persuadere videtur, defectum illum ex Librariorum incuria habuisse originem. Ita quoque Opsopœus (in Nota sua ad hunc locum) restitui volebat.

2. *COSS. V. F.*] Ita Brissonius, & Opsopœus ex conjectura; & recte quidem: nam Cassinensis Codex habet; *Consul V. P.*: manifesto indicio scriptum fuisse, *Consules V. F.* Codex Vrbinas habet; *C. V. F. Consules*: Editio Iocundi; *O. V. F. Consules.*

3. *FECISSET*] Ita Codex Cassinensis: ita Opsopœus, & Brissonius ex conjectura recte restituerant, cum ante in editis Libris legeretur, *fecisse*.

4. *Q. F. P. D. E. R. I. C.*] Idest, ut liquet ex Nota 3 Art. 100, Quid Fieri Placeret De Ea Re, Ita Censuerunt. Codex Cassinensis Notas habet, ut scripsimus: in Editione Iocundi, & plerisque editis Libris, partim Notæ, partim verba leguntur ita; *Q. F. P. de ea re ita censuerunt.*

5. NVMERVM.] Id verbum, *numerum*, deest in Codicibus, & Principe Editione: quod tamen a Iocundo recte restitutum, a Brissonio vero retentum (licet is expunxerit sequens verbum, *publicorum*, quod in Codicibus est, & quod retinendum reor) recte fuisse, dubitari non potest.

6. *EST.*

RETVLERE. II. QVIBVS. NEGOTIVM. A. SENATV. [6] EST. IMPERATVM. VT INSPICERENT. AQVAS. PVBLICAS. INIRENTQVE. NVMERVM. SALIENTIVM PVBLICORVM. ITEMQVE. PLACERE. CVRATORES. AQVARVM. [7] QVOS. S. C. CAESAR. AVGVSTVS. EX. SENATVS. AVTHORITATE. NOMINAVIT. DARE OPERAM. VTI. SALIENTES. PVBLICI. QVAM. ADSIDVISSIME. INTERDIV. ET NOCTV. AQVAM. IN. VSVM. POPVLI. FVNDERENT.

In hoc Senatusconsulto crediderim adnotandum, quod Senatus tam augeri, quam minui salientium publicorum numerum vetuerit. Id factum existimo, quia modus Aquarum, quæ his temporibus in Vrbem veniebant, antequam Claudia & Anio novus perducerentur, majorem erogationem capere non videbatur.

¶ Qui aquam in usus privatos deducere volet, impetrare eam debebit, & a Principe Epistolam ad Curatorem adferre. Curator deinde beneficio Cæsaris [1] præstare maturitatem, [2] & Procuratorem ejusdem officii Libertum Cæsaris protinus scribere. Procuratorem autem primus Ti. Claudius videtur admovisse, postquam Anionem novum & Claudiam induxit. [3] Quid contineat Epistola, Villicis fieri quoque notum debet, ne quan- ¶ Art. 105.

6. *EST. IMPERATVM*] Ita Codices, & Iocundus: Brissonio placuit; *est datum*: sed a Codicibus nolui sine aperta necessitate recedere.

7. *QVOS. S. C.*] In hisce verbis dubitavi mendum aliquod subesse: at cum dubitationis meæ caussa, quæ referebatur etiam ad superius S. C. paucis exponi non posset; videremque consensum Codicum, assensumque Brissonii, dubitationem præterii.

1. *præstare maturitatem*] Idest (ut reor) curare, ut perficiantur quamprimum ea omnia, quæ pertinent ad impetratæ Epistolæ executionem. ¶ Art. 105.

2. *& Procuratorem ejusdem officii Libertum Cæsaris protinus scribere*] Conjicio, Cæsares consuevisse assignare aliquos ex suis Libertis, ut quasi adjutores Curatorum Aquarum essent; nimirum ut ubi a Curatoribus scripto mandato essent delecti, atque jussa accepissent, præessent perficiendis rebus, ut jubebantur; atque hosce appellatos fuisse Procuratores. Certe Cæsares mittebant in aliquas Provincias Ministros ad tributa exigenda, & ad habendam fisci rationem, qui Procuratorum quoque vocabulo nuncupabantur. Cumque statim addat Frontinus; primum Cæsarum, *Claudium admovisse Procuratorem, postquam induxerat Anionem novum, & Claudiam*, veri similior adhuc videtur fieri conjectura: quod, auctis Aquis, ac proinde auctis negotiis pertinentibus ad Curatorem, voluerit Claudius, Procuratorem (nimirum generis dignioris ministrum) haberi, ubi opus esset, a Curatore.

3. *Quid contineat epistola, Villicis fieri quoque notum debet*] Cum enim ad Villicos (ut ostendemus infra in Nota 6 Art. 112) pertineret collocare calices, quos signan-

quando negligentiam, aut fraudem ſuam ignorantiæ colore defendant. Procurator calicem ejus Moduli, qui fuerit impetratus, [4] adhibitis Libratoribus, [5] ſignari cogitet, *et* diligenter intendat menſurarum, quas ſupra diximus, modum; & *earum* notitiam habeat: ne ſit in arbitrio Libratorum interdum majoris luminis, interdum minoris, pro gratia perſonarum, calicem probare. Sed neque ſtatim [6] ab hoc liberum ſubjiciendi qualemcunque plumbeam fiſtulam permittatur arbitrium: verum ejuſdem luminis, quo calix [7] ſignatus eſt, per pedes quinquaginta; ſicut Senatuſconſulto, quod ſubjectum eſt, cavetur.

¶ QVOD.

ſignandos Procuratores curaverant; neceſſe erat, ſciri a Villicis quid Epiſtola, qua beneficium concedebatur, contineret. In Caſſinenſi Codice legitur verbum *vilici*, quare emendatione veriſimillima *Villicis* feci: ita enim ſententia perſpicua eſt. In aliis Codicibus, & Libris, pro eo verbo, legitur *Iulia*, unde ſententia fit perobſcura.

4. *adhibitis Libratoribus*] Ex hoc loco (ubi Procuratoris munus explicat clarius Frontinus noſter) ſatis liquet, Libratores fuiſſe eos, qui metiebantur calices. Nam calices ſignari non poterant, niſi ipſorum menſura exploraretur, atque inveniretur eſſe ejus Moduli, qui fuerat impetratus. Ergo, ſi calices ſignabantur adhibitis Libratoribus, evidens eſt, Libratores exploraviſſe calices, num eſſent ejus Moduli, qui fuerat impetratus, atque adeo munus Libratorum fuiſſe metiri calicum capacitatem: ac inde calices juſtæ menſuræ *probare*. Et cum in Art. 112 dicatur, fiſtulas etiam ſignandas fuiſſe, credibile fit, eas metiri ad Libratores quoque pertinuiſſe.

5. *ſignari cogitet, & diligenter intendat menſurarum, quas ſupra diximus, modum; & earum notitiam habeat*] Ita Iocundus: in Codicibus vero, & principe Editione tum deeſt prima particula *&*; tum, pro verbo *earum*, legitur *poſuimus*: ſed ita in Codicibus ſententia manca videtur, atque obſcura. Secutus ſum Iocundum, cum non viderem in Frontini contextu, unde lumen naneiſci poſſem ad meliorem emendationem veſtigandam. Fateor tamen, me admodum dubitare, ne locus hic ſit valde depravatus: nam, præter verbum *cogitet*, quod non videtur admodum ad rem, & præter loca, quæ Iocundus emendanda ſuſcepit, verbum illud *intendat*, quod eo in loco ſignificare debet idem, ac *notum habeat atque perſpectum*, non exiguam mihi movet latentium mendorum ſuſpicionem.

6. *ab hoc*] Ita Codices, & Editio princeps: voculas autem haſce, *ab hoc*, interpretor, ut ſignificent, *ad extremam partem calicis*. Iocundus, pro *ab hoc*, habet *adhuc*.

7. *ſignatus eſt, per pedes quinquaginta; ſicut &c.*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *ſignatus eſt, eundem per pedes quinquaginta prope det; ſicut &c.* Sed additionem trium verborum, *eundem, prope det*, probare non poſſum: ſatis enim perſpicuum eſt, ſubaudiri *fiſtula ſubjiciatur*; & totam ſententiam hanc eſſe; *verum per pedes quinquaginta* ſubjiciatur fiſtula ejuſdem luminis, quo calix ſignatus eſt. Cauſſam autem proponit infra in Art. 112 Frontinus noſter, cur laxiores fiſtulas ſubjicerent; nimirum, *ut aqua* (verba Frontini ſunt) *non per legitimum ſpatium coercita, ſed per breves anguſtias expreſſa, facile laxiorem in proximo fiſtulam impleret*. De qua tamen re vide infra Notam 8 ejuſdem Art. 112.

L. PAVL

¶ QVOD. Q. AELIVS. TVBERO. [1] PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. QVOSDAM. PRIVATOS. EX. RIVIS. PVBLICIS. AQVAM. DVCERE. [2] Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. NE. CVI. PRIVATO. AQVAM. DVCERE. EX. RIVIS PVBLICIS. LICERET. VTIQVE. OMNES. II. QVIBVS. AQVAE. DVCENDAE IVS. ESSET. DATVM. EX. CASTELLIS. DVCERENT. ANIMADVERTERENTQVE CVRATORES. AQVARVM. [3] QVIBVS. LOCIS. INTRA. EXTRA. VRBEM APTE. CASTELLA. PRIVATI. FACERE. POSSENT. EX. QVIBVS. AQVAM DVCERENT. QVAM. EX. CASTELLO. COMMVNEM. ACCEPISSENT. A CVRATORIBVS. AQVARVM. [4] NE. *CVI*. EORVM. QVIBVS. AQVA. DARETVR PVBLICA. IVS. ESSET. INTRA. QVINQVAGINTA. PEDES. EIVS. CASTELLI EX. QVO. AQVAM. DVCERENT. LAXIOREM. FISTVLAM. SVBIICERE [5] QVAM. QVINARIAM ¶ Art. 106.

In

---

1. *PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas; *P. Fabius Maximus*: Editio Iocundi, & Brissonius; *Q. Fabius Maximus*. Sed ex Consularibus Fastis, atque ex aliis Senatusconsultis abunde liquet; optimam esse Cassinensis Codicis lectionem. ¶ Art. 106.

2. *Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.*] Ita Codices: Iocundus inter duas proximas litteras *R* & *I* interposuit de suo litteram *V* (quæ significaret *Vniversi*) quam Brissonius prætermisit. Citatas hasce litteras ex alias laudato Commentario Vrsati interpretari ita possumus; *Quid De Ea Re Fieri Placeret, De Ea Re Ita Censuerunt*.

3. *QVIBVS. LOCIS. INTRA. EXTRA. VRBEM. &c.*] Supra in Art. 27 Frontinus ita scripserat; *est autem fere nunc in usum: cum plures quinariæ impetratæ, ne in viis sæpius convulneretur una fistula, excipiuntur in Castellum; ex quo singuli suum modum recipiunt*. Igitur impetratæ illæ quinariæ communi fistula ducebantur in Castellum; igitur aqua earundem quinariarum, antequam divideretur inter Privatos, communis dici poterat. Quare arbitror sententiam hanc esse; *quibus locis intra & extra Vrbem Privati possent apte facere Castella* privata, ex *quibus ducerent aquam, quam ex* publico *Castello communem accepissent*. Propter hæc autem haud existimo sequendum Grævium, qui in Præfatione ad Tomum IIII Antiquitatum Romanarum, non *aquam ex Castello communem*; sed *aquam ex Castello communi*, scripsit: cum tamen omnes Codices, Editio Iocundi, & ea, quam ipse sequitur, Keuchenii Editio habeant; *aquam ex Castello communem*. Sed profecto credendum est, festinanter scripsisse hæc Grævium, Virum ceteroquin eruditissimum: præterea imperito amanuensi, qui ex Frontino excerperet, usum fuisse; cum in eadem Præfatione iterum hujusce Senatusconsulti verba referens Grævius, pro *Castella Privati*, habeat *Castella Privata*; pro *ducerent*, habeat *ducitent*; pro *accepissent* habeat, *concepissent*.

II. Ceterum verba, quæ posuimus *intra extra*, desumsimus ex utroque Codice: Iocundi Editio, ac Brissonius habent; *intra extraque*.

4. *NE. CVI*] Ita Brissonius; atque ita perspicua sententia est. Codices, & Editio Iocundi habent, *ne qui*.

5. *QVAM. QVINARIAM*] Ita ubique legitur. Sed cum ea sit horum verborum vis, ut in hoc S. C. constituatur, quamlibet fistulam, dummodo ne laxior sit, *quam quinaria*, subjici posse: inde non statim apparet, qua ratione in Art. præcedente Frontinus dixerit, fuisse constitutum, subjectam fistulam esse oportere *ejusdem luminis, quo calix signatus est*. Cum tamen ceteroquin non videatur mendi ullius

indi-

In hoc Senatusconsulto dignum [6] adnotatione est, quod aquam [7] nonnisi ex Castello duci permittit, ne aut rivi, aut fistulæ publicæ frequenter [8] lacerentur.

¶ Art. 107. ¶ [1] Ius impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum sequi-

---

indicium; reor, locum esse interpretandum ita. Nimirum, eo tempore, quo (ut supra in Art. 104 Frontinus ipse indicavit) *modus Aquarum, quæ in Vrbem veniebant, antequam Claudia & Anio novus perducerentur*, magnam *erogationem capere non videbatur*; eo, inquam, tempore sive ex Lege, sive ex consuetudine factum fuisse, ut cum Privato alicui daretur aqua, aut minus, aut certe non plus daretur, quam quinaria: hinc fuisse constitutum, ut fistula per quinquaginta pedes calici subjecta, non laxior esset, quam quinaria.

II. Venio nunc ad discrimen, quod inter Frontini narrationem, & ipsum Senatusconsultum esse videtur: dicendum existimo, lato quodam modo Frontinum scripsisse, quia reputari quodammodo possent *ejusdem* cum calice *luminis* fistulæ illæ; quæ quantitate dumtaxat exigua a lumine calicis differre poterant. Fateor tamen, locum esse difficilem. Caute Grævius (in Præfatione ad Tom. IIII. Antiquitatum Romanarum) qui scilicet verba Frontini ad hanc rem pertinentia retulit; de difficultate autem ex hisce verbis Senatusconsulti orta, ne verbum quidem.

III. Neque profecto illustrari hic locus potest ex iis, quæ in Lib. XXXI. Cap. 6 Plinius habet, ubi scribit; *In omni anfractu collis* fistulam *quinariam fieri, ubi dometur impetus, necessarium est*. Nam Plinius coarctandas Fistulas scribit, ad domandum aquæ decurrentis impetum, non ad certiorem mensuram reddendam. Illud præterea notare lubet; Plinium nequaquam asserere, ad domandum aquæ impetum faciendos flexus; sed ad domandum in flexibus impetum, minuendas fistularum capacitates. Ceterum locus ille Plinii magis, quam propositus Frontini locus, mihi est difficilis. Nam si Fistula Tricenaria, caussa exempli, fuisset; qui inde potuisset fieri, ut per eam ad Quinariæ magnitudinem coarctatam aqua (ut ut aliquanto in angustia velocitas cresceret) flueret ea quantitate, quæ Tricenariæ Fistulæ conveniret?

6. *adnotatione*] Ita Codex Cassinensis: in aliis, & in editis Libris, *admiratione*.

7. *nonnisi ex Castello duci permittit*] Cujus rei caussam statim Frontinus affert, *ne aut rivi, aut fistulæ publicæ frequenter lacerentur*. Fabrettus autem in Operis sæpe citati Num. 233 hoc idem Senatusconsultum attendens, *aqua*, scribit, *intra, extraque Vrbem, non ex Rivis publicis, sed ex Castellis, ac Receptaculis, postquam pristinam quietem recuperasset, per Senatusconsultum a Frontino recensitum duci jubebatur*. Porro tum ex modo citatis Frontini verbis, tum ex eo quod in mensuris velocitas quædam neque magna, neque exigua requirebatur (ut ostensum fuit in Num. 5 II. Art. 35) omnino liquet, sancitam fuisse erogationem ex Castellis, non ut fieret *postquam* aqua *pristinam quietem recuperasset*; quæ Fabretti sententia fuit; sed, *ne rivi, aut fistulæ frequenter lacerarentur*; quæ est germana caussa a Frontino allata. Illud autem animadvertendum existimo; ex iis S. C. verbis, *ne cui Privato*, colligi posse, eam S. C. partem ratione dumtaxat Privatorum habuisse vim.

8. *lacerentur*] Ita Codex Cassinensis: Editio princeps habet, *licerentur*; Editio Iocundi, *lacerarentur*.

¶ Art. 107. 1. *Ius impetratæ aquæ &c.*] Keuchenius in Notis jubet ad hæc verba, videri *Fr. Duareni Commentar. in Tit. de Aquæductu*. Sed in Operibus Duareni peculiarem *Commentarium in Tit. de Aquæductu* non inveni; & quæ Duarenus habet in Tit. III *de aqua pluvia arcenda*, Cap. III, quod *de Aquæductu* inscribitur, ut ad illustrandum hunc Frontini locum (per se tamen satis clarum) possent pertinere, plane non vidi.

2. Bali-

ſequitur. [2] Balneis, quæ publice lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut ſemel data aqua perpetuo maneret; [3] ſic ex veteribus Senatuſconſultis cognoſcimus, ex quibus unum ſubjeci: nunc omnis aquæ cum poſſeſſore inſtauratur beneficium.

¶ QVOD. Q. AELIVS. TVBERO. PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. CONSTITVI. [1] OPORTERE. QVO. IVRE. [2] INTRA. EXTRAQVE. VRBEM DVCERENT. AQVAS. [3] *II.* QVIBVS. ADTRIBVTAE. ESSENT. [4] Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VTI. [5] IIS. *VSQVE.* MANERET. ADTRIBVTIO. AQVARVM [6] EXCEPTIS. QVAE. IN. VSVM. BALINEORVM. ESSENT. DATAE. AVT AVGVSTI. NOMINE. QVOAD. IIDEM. DOMINI. POSSIDERENT. ID. SOLVM IN. QVO. ACCEPISSENT. AQVAM. ¶ Art. 108.

¶ Cum

---

2. *Balneis, quæ publice lavarent*] Nimirum eleganti loquendi modo actio, quæ fiebat in Baloeis, Balneis ipſis tribuitur: atque idem ſonare videntur ea verba; *Balneis, quæ publice lavarent*; ac ſi eſſent verba hæc; *Balnea publica*. Codices, & Editio Iocundi habeot, ut ſcripſimus: Editio prioceps habet; *balneiſque publice lavarent*. Opſopœus, in Nota ad hunc locum, dubitat, num forte ſcribendum; *balneis, quibus publice lavarent*: ſed ſatius viſum fuit oihil mutare.

3. *ſic*] Ita Codex Caſſioenſis: Editio Iocundi, & Codex Vrbioas habent *ſicut*: at illam particulam *ſic* elegantem eo loci ſignificatiooem habere, nemo ſortaſſe, qui ejus particulæ vim animadvertat, negabit.

1. *OPORTERE*] Ita Codex Caſſinenſis: ita Briſſonius ex conjectura: Codex Vrbinas habet, *oportet*: Editio Iocundi, *oporteret*. ¶ Art. 108.

2. *INTRA. EXTRAQVE*] Ita Codex Vrbinas: Codex Caſſinenſis habet; *intra ......qui*; ſed ex ipſa ſententia fit plane manifeſtum ita eſſe legeodum, ut io Vrbinate Codice ſuppletum eſt. Editio Iocundi, & Briſſonius habent; *extra intraque*.

3. II. *QVIBVS*] In Codicibus deeſt vocula *ii*, quam io emeodatione erratorum ſuæ Editioois adjunxit Iocundus. Eam, poſitam etiam a Briſſonio, retinui; utpote ſenteotiæ perſpicuæ reddendæ perutilem.

4. *Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.*] In Codicibus deſuot ex poſtremis notis hæ *E. R. C.*; quas ſupplevit Iocundus, & habet Briſſonius; recteque, ut ex aliis Senatuſconſultis manifeſtiſſimum fieri poteſt.

5. *IIS.* VSQVE] In Caſſinenſi Codice videtur legi *jus eoque*: in Codice Vrbinate, & in Editione priocipe legitur, *iis eoque*: ita etiam in contextu Editioois Iocundi: ſed io ejuſdem emendationibus erratorum ad calcem ſubjectis, pro *eoque*, poſita eſt particula *quoque*, quæ deinceps in aliis Libris deſcripta fuit, ac a Briſſonio reteota. Verum ea particula minime ad rem facere videtur: cum contra particula *uſque* (ex cujus depravatiooe facillime oriri potuit vecula *eoque*) optime conveniat rebus, quæ dicuntur; prætereaque conſentiat cum particula *quoad*, quæ paullo infra ſequitur. Certum enim eſt, a particula *uſque* aſſumi particulam *quoad* optime poſſe.

6. *EXCEPTIS. QVAE. IN. VSVM. BALINEORVM. ESSENT. DATAE*] Hac exceptione contioetur illud privilegium, de quo Frontinus in præcedente Art. ita habet; *Balneis, quæ publice lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut ſemel data aqua perpetuo maneret; ſicut ex veteribus Senatuſconſultis cognoſcimus, ex quibus unum ſubjeci.*

A A   1. &

¶ Art. 109. ¶ Cum vacare aliquæ cœperunt aquæ, adnunciatur, [1] & in Commentarios redigitur, qui respiciuntur, ut petitoribus ex vacuis dari possint. Has aquas statim [2] intercidere solebant, [3] ut medio tempore venderent aut possessoribus prædiorum, [4] aut aliis etiam. Humanius visum est Principi nostro, ne prædia subito destituerentur, triginta dierum spatium indulgeri, intra quod [5] ii, ad quos res pertineret, ... De aqua in prædia sociorum data, nihil constitutum invenio: perinde tamen observatur, [6] ac jure cautum, ut dum quis ex iis, qui communiter impetraverunt, superesset, totus modus prædiis adsignatus flueret; & tunc demum renovaretur beneficium, cum desiisset quisque ex iis, quibus datum erat possidere. [7] Impetratam aquam alio, quam in ea prædia, in

---

¶ Art. 109. 1. *& in Commentarios*] Ita Codices: Editiones princeps, & Iocundi, *in Commentariosque*.

2. *intercidere*] Idest; impedire, ne fluerent: atque ita sententia satis perspicua est. Codices habent, ut scripsimus: Editio princeps habet, *introducere*: Editio Iocundi habet, *interdicere*: sed per se manifestum est, ceteris præstare Codicum lectionem: quam mihi ille tantum dubiam faceret, qui legere mallet *intercipere*.

3. *ut medio tempore*] Hoc est tempore, ex quo vacare cœperant, donec venderentur. Ita sane in Codicibus, & emendationibus Iocundi ad calcem positis: verum Editio princeps habet; *ut modo et tempore*. Vtraque lectio latina est, sed altera hæc fortasse plus nitoris, ac virtutis habet: Codices tamen sequi malui.

4. *aut aliis etiam. Humanius visum*] In Codicibus & in Editione principe, aliisque ante Editionem Iocundi, legitur; *aut aliis etiam. Humanius etiam visum*. Opsopœus, qui veterem Editionem viderat, animadvertit (in Nota sua ad hunc locum) *prius „ etiam „ retinendum, posterius delendum videri*. Opsopœum vero secutus sum. Dubitavi tamen, num particula *autem*, loco secundæ particulæ *etiam*, esset restituenda. Iocundus primam particulam *etiam* delevit: habet enim; *aut aliis humanius etiam visum*.

5. *ii, ad quos res pertineret, ... De aqua in prædia*] In Codicibus proxime post verbum pertineret, consequuntur verba *De aqua in prædia*: in Editione Iocundi, pro *pertineret*, quod in Codicibus est, legitur *pertinet*; & ubi nos lacunam fecimus, legitur *irrigarent*. Porro quoniam perspicuum erat, aliquid inter verbum *pertineret*, & sequentia verba, *De aqua in prædia*, deesse; & verbum *irrigarent*, a Iocundo divinante substitutum, non undiquaque placebat (ac forte tota sententia fuit similis huic; *ii, ad quos res pertineret*, consulere interim possent rebus suis) iccirco malui, hoc quoque in loco lacunam reperiri. Quæ tamen remanet ex tali defectu, exigua obscuritas est.

6. *ac jure cautum*] Idest; ac si certo constantique jure cautum esset.

7. *Impetratam aquam*] Vbique legitur, *Impetrata aqua*: nisi quod in Cassinensi Codice

in quæ data erat, aut ex alio Castello, quam [8] ex quo Epistola Principis [9] continebit, [10] duci, palam *est* non oportere; sed & Mandatis prohibetur. ¶ Impetrantur autem & eæ aquæ, quæ caducæ vocantur; id est, quæ [1] aut ex Castellis *effluunt*, aut ex manationibus fistularum: quod beneficium a Principibus parcissime tribui solitum; sed fraudibus Aquariorum obnoxium est, quibus prohibendis quanta cura debeatur, ex Capite Mandatorum manifestum erit, quod [2] subjeci: ¶ Art. 110.

¶ CADVCAM. NEMINEM. VOLO. DVCERE. NISI. QVI. MEO. BENEFICIO AVT. PRIORVM. PRINCIPVM. HABENT. NAM. NECESSE. EST. EX. CASTELLIS ALIQVAM. PARTEM. AQVAE. EFFLVERE. CVM. HOC. PERTINEAT. [1] NON SOLVM. AD. VRBIS. NOSTRAE. SALVBRITATEM. SED. ETIAM. AD VTILITATEM. CLOACARVM. ABLVENDARVM. ¶ Art. 111.

¶ Expli-

Codice una accentus nota visitur: scripta enim sunt ea verba ita; *impetratā aqua*. Sed subsequentia verba *duci oportere*, tum suapte natura, tum propter interpretationem, quam paullo infra in Nota 10 hujusce Art. subjiciemus, efflagitare, ut scriberetur, *impetratam aquam*, visa sunt.

8. *ex quo Epistola Principis*] Ita in Codice Cassinensi: & in Codice Vrbinate legitur: Editiones princeps, & Iocundi habent; *quo ex Epistola Principis*: at lectioni huic illam præstare, videtur satis manifestum.

9. *continebit*] Ita Codex Cassinensis; atque ita sententia clarior esse videtur, quam si legatur ut in Codice Vrbinate, atque in Editis Libris legitur; in quibus est, *contrahebat*.

10. *duci palam* est *non oportere*] Ita, ubi supra legas *Impetratam aquam*, sententia perspicua est. Codices, Editio princeps, & Editio Iocundi in verbis, *duci palam non oportere*, consentiunt: at ubi posuimus verbum *est*, in Cassinensi Codice visitur nota compendiaria similis huic *St*: in aliis Codicibus, & Libris legitur *S.C.* ea enim compendiaria nota tamquam exhibens duas hasce litteras *S C* sumta fuit. At, si ponas S.C. sententia manca redditur, & perobscura; si ponas verbum *est* sententia fit perspicua. Quid enim clarius, quam per se *palam esse*, idest manifestum esse; *impetratam aquam* ita *duci* oportere, ut *Epistola Principis* jubet?

1. *aut ex Castellis* effluunt, *aut ex manationibus fistularum*] In Codicibus, in principe Editione, & in contextu Editionis Iocundi deest verbum *effluunt*. Id addidit Iocundus in emendationibus erratorum, ad calcem Editionis suæ positis: ego vero id, majoris perspicuitatis caussa, reliqui. Quamquam, eo etiam demto, non obscurissima sententia esset; subaudiri enim posset. ¶ Art. 110.

2. *subjeci*] In Cassinensi Codice inter verbum hoc *subjeci*, & primum Mandati verbum *Caducam*, lacuna est. Sed eam distinctionis dumtaxat caussa relictam opinor.

1. *NON. SOLVM. AD. VRBIS. NOSTRAE. SALVBRITATEM. &c.*] De utilibus hisce usibus aquæ caducæ vide ea, quæ jam dicta fuere supra in Notis 5, & 6 Art. 88: neque enim ea hic repetere opus est. ¶ Art. 111.

¶ Art. 112. ¶ Explicitis quæ ad ordinationem aquarum privati usus pertinebant, non ab re est quædam ex iis, quibus [1] circumscribi saluberrimas constitutiones [2] in ipso actu deprehendimus, exempli caussa, attingere. Ampliores quosdam calices, quam impetrati erant, positos in plerisque Castellis inveni; & ex iis aliquos ne signatos quidem. Quotiens autem signatus calix excedit legitimam mensuram, [3] ambitio Procuratoris, [4] qui eum signavit, detegitur: cum vero ne signatus quidem est, manifesta culpa omnium, [5] maxime accipientis deprehenditur, [6] deinde Villici. In quibusdam, cum calices legitimæ mensuræ signati essent, statim amplioris Moduli fistulæ subjectæ fuerunt: unde acciderat, ut aqua non per legitimum spa-

¶ Art. 112. 1. *circumscribi*] Verbum *circumscribo* aliquando significat *fallere*: itaque de Tutore defraudante Pupillos habet Iuvenalis, Sat. X. versu 222.

.... quos circumscripseris Hirrus
Pupillos

Secundum vero hanc significationem, sumendum esse hic id verbum, perspicuum est.

2. *in ipso actu*] Ita Codices Cassinensis, & Vrbinas, atque Editio princeps: Editio Iocundi habet; *in ipso rei actu*.

3. *ambitio Procuratoris*] Idest culpa Procuratoris officium suum non agentis, ut conciliaret sibi gratiam eorum, quorum utilitati prave studebat. Eandemque esse puto hujusce vocis *ambitio* significationem infra in Art. 117. Eandem etiam in eo Livii loco (Lib. XXXXIII Cap. 16) ubi hæc leguntur; *Item quia fama erat, multos ex Macedonicis Legionibus, incertis commeatibus, per ambitionem Imperatorum ab exercitu abesse*.

4. *qui eum signavit*] Editio Iocundi, nonnullæque aliæ mendose habent; *qui cum signavit*. Hinc autem, ut ex iis, quæ supra in Art. 105 scripta reperiuntur, credibile fit, pertinuisse ad Procuratorem calices signare.

5. *maxime accipientis*] Accipienti maximam culpam tribui, opinor; quod accipiens aut largitione, aut alio modo corrumperet ministeria, iisdemque fraudium author esset; & deinde, cum sciret quantum aquæ impetravisset, plus tamen imperata in suum usum reciperet.

6. *deinde Villici*] Villicorum munus fuisse aptare & collocare fistulas, liquet ex iis, quæ in hoc eodem Art. paullo infra habentur; ubi, cum sermo de fistulis fit, subjicitur; *ita demum enim Villicus, cum scierit, non aliter quam signatas collocari debere*. Ex iis autem, quæ citavimus, verbis, *deinde Villici*, colligi potest, pertinuisse quoque ad Villicos calicum collocationem. Maxima enim culpa erat accipientis aquam; & huic proxima esse debuit culpa altera conferentis aquam ipsam, nimirum collocantis calicem: sed altera hæc culpa Villicis a Frontino tribuitur; ergo Villicorum erat calices collocare.

II. Illud autem videtur mihi ex Frontini verbis infirmari, quod Pignorius in Commentario de Servis scribit, ad Villicos pertinuisse signare calices, fistulasque; de eis

ſpatium coercita, [7] ſed per breves anguſtias expreſſa, [8] facile laxiorem in proximo fiſtulam impleret. Ideoque illud adhuc, quotiens ſignatur calix, diligentiæ adjiciendum eſt; ut fiſtulæ quoque proximæ per ſpatium, quod Senatuſconſulto comprehenſum diximus, ſignentur. Ita demum enim Villicus, cum ſcierit non aliter quam ſignatas collocari debere, omni carebit excuſatione. ¶ [1] Circa collocandos quo- ¶ Art. 113.

---

de eis enim ita habet; *Villici calices & fiſtulas ſignabant*. Inſcriptionem, in qua verba ſunt de Villicis, habet Fabrettus ad citati ſæpe Operis pag. 97: ſed ex ea de Villicorum munere nihil conſtat.

7. *ſed per breves*] Ita Codices, & Editio Iocundi: quædam Editiones habent; *ſed per leves*. Prior tamen lectio præſtat: & quidem Fabrettus eum in Num. 235 ſui operis, ſæpe jam citati, hunc locum tranſtuliſſet ex Editione, in qua legebatur; *ſed per leves*, ſubdidit; „ *breves* „ *corrigendum, puto*.

8. *facile laxiorem in proximo fiſtulam impleret*] Ad hæc verba Fabrettus (in Num. paullo ſupra citato) quaſi ſubiratus Benedicto Caſtellio, qui *de Menſura Aquarum fluentium* (ut alias dictum fuit) Librum ſcripſit, exclamat; Caſtellio *exactior tandem Frontinus, & diligentier in hoc fuit, qui in fiſtulis æqualibus, & in eadem ſuperficie diſpoſitis, ne intra quinquaginta pedes a receptaculo, ex quo aquam ducerent, laxiorem fiſtulam ſubjicerent, S.C. cautum refert*. Nimirum, ni ego peſſime fallor, Fabrettus hoc in loco indicavit, aquam, fluentem ex brevi & arcta fiſtula in laxiorem, erogari majori copia, quam ſi pergeret fluere per arctam illam priorem fiſtulam longius productam: atque hanc fuiſſe etiam Frontini ſententiam, ſatis video. Cum tamen nihil Frontinus afferat, unde diſcamus rationem inter amplitudines fiſtularum, & aquæ fluentis copiam, plane non video conſtitui certam ullam veramque Doctrinam, nec quicquam tale afferri, cauſſa cujus debeat Caſtellius vapulare.

II. Hic autem illud non præteribo, mihi perſuaſum non eſſe, eam Frontini ſententiam, vel ſaltem eo modo, quo ab ipſo exponitur, recipi poſſe. Quandoquidem (ut abunde oſtendi in eo Libro, cui titulum feci *de Caſtellis*) experimenta docent, per nuda foramina, inſculpta in laminas, plus aquæ (ceteris omnino, ut ajunt, paribus) effluere, quam per fiſtulas: quamvis foramina, & orificia fiſtularum prorſus æqualia ſint. Itaque, ſi aqua effluens primum ex foramine, & deinde offendens liberum aerem, non fluit majore copia, quam ſi flueret per fiſtulam, immo fluit copia minore, cur dicemus, copiam aquæ fluentis primum per arctam fiſtulam, & deinde offendentis laxiorem fiſtulam, futuram majorem, quam ſi eadem aqua per fiſtulam, ubique eodem modo arctam, fluere perrexiſſet?

1. *Circa collocandos quoque calices &c.*] Fabrettus, in illo Opere alias ſæpe a nobis citato laudatoque, cum ſibi perſuaſiſſet, Benedictum Caſtellium in Opere ſuo *de fluentium Aquarum Menſura* nihil novi attuliſſe; inde fategit in Num. 234 oſtendere, Theoremata Caſtellii etiam Frontino fuiſſe nota, atque perſpecta. Dum autem amore in Frontinum, odio (ut ita dicam) ſive ira quadam, ut in præcedente Nota dixi, in Caſtellium Fabrettus ducitur, multum in hac re a veritate (quod humanum eſt) aberrat. ¶ Art. 113.

II. Porro, quod pertinet ad verborum Frontini explicationem, hæc videtur deſumenda ex eo, quod aqua inferior a ſuperiore compreſſa velociorem, quam ſuperior, motum habet. Hinc per inferiorem calicem, per quem effluebat inferior aqua,

aqua, effluebat aqua velocius: idque significare videtur etiam Frontinus (etsi propter quamdam, ut puto, verborum elegantiam, inferiorem calicem facit quasi magis trahentem rapientemque, loco nominandæ majoris velocitatis inferioris aquæ) subdit enim; *superior, quia cursus aquæ ab inferiore rapitur, minus ducit*: quæ verba interpretari sic possumus; calix *superior, minus ducit*, *quia* major aquæ cursus, nimirum cursus aquæ inferioris, dirigitur per inferiorem calicem. Atque ex his colligere illud quoque possumus, notum fuisse Frontino, ex aucta, aut imminuta totius aquæ altitudine, augeri, aut minui inferioris aquæ velocitatem.

III. Sed quamvis id Frontinus cognoverit, quamvis affirmaverit, aquam ex inferiore foramine velocius fluere, quam ex superiore; dici tamen minime potest, Frontinum novisse (ut repetam quæ dixi in Libro I. eorum, quos inscripsi *de Motu Aquæ Mixto*, ubi plura de hac re, pag. 12) Frontinum, inquam, novisse eam Doctrinam, quam primus Castellius invenit. Ea non in fluxu excedente modum, non in inferioris aquæ velocitate consistit; sed in constitutione certi alicujus Theorematis, quod leges a Natura servatas, & varias rationes inter varios fluxus, atque inter velocitates varias exprimat. Hujuscemodi Theorema tunc molitus est Castellius, cum statuit, fluentium aquarum velocitates in eadem ratione esse, ac ipsarum altitudines: utcumque fuerit de Theorematis cum veritate consensu (nam habitum ad id Experimentum Castellium fefellit) certe Castellius molitus est Theorema, quod novæ Doctrinæ caussa fuit: hoc quidem Theorema ad utramque Libri a Castellio scripti paginam faciendam positum erat; non illud, de quo Fabrettus disputavit. Hactenus in eo Libro. Adde, secundum eamdem Doctrinam investigatas fuisse leges motuum aquæ per inclinatos canales, quales sunt Fluminum alvei: qua de re Dominicus Gulielminus in Libro II *de Aquarum Fluentium mensura nova methodo inquisita* plura scripsit; variasque deinde cum Dionysio Papino, non sine aliqua propositæ Doctrinæ utilitate, controversias habuit.

IIII. Quod si nunc diligenter excutiantur ea Librorum Frontini loca, quæ ad institutum sermonem hunc de Doctrina Fluentium Aquarum certius possunt pertinere; tum liquebit, Frontino ignotam fuisse germanam methodum inveniendæ Doctrinæ, qua ex caussis velocitatis aquæ eliceretur quantitas ejusdem aquæ, quæ ea velocitate, dato tempore per datum lumen fluere posset, ut constare potest ex præcedente Sectione hujus Notæ, & ex Notis 5. III. Art. 35; 3. Art. 36; & 8. II. Art. 73. Tum liquebit, negandum non esse, Frontinum propter defectum hujuscemodi Doctrinæ aliquando erravisse in mensuris; ut dictum fuit in Nota 6. I. II. Art. 64. Tum liquebit, in id Frontini placitum, in quo ille pro certo affirmavit, aquam in laxiorem fistulam ab arctiore transeuntem fieri velociorem; in id, inquam, placitum non esse jurandum; ut ostensum fuit in Nota 8. II. Art. 112. Tum liquebit, Frontinum, quamvis prædicta Doctrina carentem, cognovisse tamen, velocitatis aquæ habendam esse rationem aliquam, ac dandam esse mediam aliquam velocitatem; ut dictum fuit in Notis 5. II. Art. 35; & 4 Art. 72. Tum liquebit, Frontino fuisse perspectum varias fieri velocitates pro variis fistularum, seu rivorum inclinationibus; ut dictum fuit in Nota 4 Art. 35: item varias fieri velocitates pro variis aquæ altitudinibus, ut dictum fuit in Sectione II hujusce Notæ: item varias fieri pro vario præconcepto impetu, quo aqua lumen aliquod ingreditur, ut jam dictum fuit in Nota & 8 Art. 73. Tum vero liquebit, notum fuisse Frontino atque perspectum, ex aucta velocitate augeri modum, & copiam fluentis aquæ; ut dictum fuit in Nota modo citata 8 Art. 73. Tum demum liquebit, Frontinum hujuscemodi cognitionibus proprietatum velocitatis aquæ (quibus etiam sine Doctrina fluentium aquarum) uti semper, si non vera ratione, saltem ratione aliqua ad veritatem tendente, potuisset; Frontinum, inquam, hujuscemodi cognitionibus aliquando usum fuisse ratione, ut diximus, ad veritatem tendente; aliquando vero eas omnino neglexisse, ut apparere potest ex comparatione Notarum 3 Art. 65; 5 Art. 70; & 8 Art. 73.

2. ad

quoque calices obſervari oportet, [2] ut ad lineam ordinentur; [3] nec alterius inferior calix, alterius ſuperior ponatur. Inferior plus trahit; [4] ſuperior, quia curſus aquæ ab inferiore rapitur, minus ducit. [5] In quorundam fiſtulis ne calices quidem poſiti fuere: hæ fiſtulæ ſolutæ vocantur; [6] & ut Aquario libuit, laxantur, vel coarctantur. ¶ Adhuc illa Aquariorum intolerabilis fraus eſt, [1] translata in novum poſſeſſorem aqua, foramen novum Caſtello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahunt aquam. In primis ergo hoc quoque emendandum Curatori crediderim: non enim ſolum ad ipſarum Aquarum cuſtodiam, ſed etiam ad [2] Caſtelli tutelam pertinet, quod ſubinde, & ſine cauſſa foratum vitiatur. ¶ Etiam ille Aquariorum tollendus eſt reditus, quem vocant [1] puncta. Longa

¶ Art. 114.

¶ Art. 115.

2. *ad lineam ordinentur*] Nimirum debebant eſſe Calicum eorundem axes in æqualibus a centro gravium diſtantiis; ſive, ad Libram, ut diximus jam in Nota 1. II. Art. 18.

3. *nec alterius &c.*] Poſt utramque vocem *alterius*, ſubaudi Privati.

4. *ſuperior, quia curſus aquæ ab inferiore rapitur, minus ducit*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *ſuperior minus ducit, quia curſus aquæ ab inferiore rapitur.*

5. *In quorundam*] Hic quoque, poſt vocem *quorundam*, ſubaudi, Privatorum.

6. *& ut Aquario libuit, laxantur, vel coarctantur*] Hæc verba neque in Codice Vrbinate, neque in Vaticano, neque in ulla ex Editionibus, quæ Editionem Iocundi præceſſere, reperiuntur; quod incuria Librariorum, verſum aliquem in deſcribendo prætermittentium contigit: nam ea verba in Caſſinenſi Codice leguntur, atque a Iocundo recte quidem fuere reſtituta.

¶ Art. 114.

1. *translata in novum poſſeſſorem aqua*] Ita Codices: Editio princeps habet; *translata in novum poſſeſſorem aquæ*: Editio Iocundi; *translatæ in novum poſſeſſorem aqua.*

2. *Caſtelli tutelam*] Hoc in loco, & infra in Art. 119, ubi ſcribitur, *ad tutelam Ductuum divertimus*, ſupraque etiam in Art. 95, ubi eſt, *Tutelam autem ſingularum Aquarum*, ideſt ſingulorum Aquæductuum, id verbum *tutela* ſignificat idem, ac tuitio: nimirum ſignificat curam adhibitam ſive ad defendenda a detrimentis, ſive ad reparanda, ſi qua haberent detrimenta, Caſtella, & Aquæductus.

¶ Art. 115.

1. *puncta*] Ita Codices: Editio Iocundi habet; *punctam*. Sed plane reor, *puncta* legendum eſſe; atque ſignificari ea, per quæ erogabatur aqua, exigua lumina, ſive exiles Modulos: ſupra enim in Art. 25 ſcripſit Frontinus noſter; *dicunt, quod quinque antiqui Moduli exiles, & veluti puncta, quibus olim aqua, cum exigua eſſet, dividebatur, in unam fiſtulam coacti ſunt.*

II. Ludovicus Cælius Rhodiginus in *Lectionum* Antiquarum Lib. XVIII, Cap. 40 hæc habet; *Sed & publicis Aquis præfici ſolitos quoſdam, ſcimus*; ac paucis interjectis; *Hoſce dici quandoque Aquarum Curatores animadverto, interdum & Aquarios. Iulius Frontinus „ ille Aquariorum tollendus reditus, quem vocant punctam „.* Haud credo ex hiſce Frontini verbis Virum eruditum concludere voluiſſe, *Curatores Aquarum* dictos inter-

Longa ac diversa sunt spatia, per quæ fistulæ tota meant Vrbe, latentes sub silice. Has comperi per eum, qui appellabatur [2] a punctis, passim [3] convulneratas omnibus in transitu [4] *negotiatoribus* præbuisse, peculiaribus fistulis, aquam: quo efficiebatur, ut exiguus modus ad usus publicos perveniret. [5] Quantum ex hoc modo aquæ servatum sit, æstimo ex eo, quod aliquantum plumbi sublati [6] ejusmodi ramis redactum est.

¶ Art. 116. ¶ Superest tutela Ductuum, de qua prius quam dicere incipiam, pauca de familia, quæ hujus rei caussa parata est, explicanda [1] sunt. Familiæ sunt duæ, altera

interdum *Aquarios*: certe tamen in Cælii loco multa obscuritas est; tum vero id plane falsum videtur, quod Aquariorum vocabulo interdum nuncuparentur ii, qui publicis Aquis præficiebantur.

2. *a punctis*] Servum, qui vocabatur *a punctis*, eum fuisse opinor, cujus ministerium circa Modulos exiles, qui dicebantur *puncta*, versabatur. Pignorius in Commentario *de Servis* hæc habet; Servi *a punctis ex publicis fistulis aquas in privatum usum derivabant*: næ tamen de uno servo Frontini verba intelligi debent.

3. *convulneratas*] Ita Codices: ita quoque ex conjectura Opsopœus; in cujus Libro erat, *convulneratis*: ita vero legendum, per se perspicuum est. Editio princeps, & Editio Iocundi habent; *convulneratis*.

4. negotiatoribus] Idest iis omnibus, qui aut pecunia, aut alio modo corrumpentes fidem Servi a punctis, aquam ab hoc dandam negotiabantur, nimirum aquam sibi dari studebant. Editio Iocundi habet ut scripsimus: Codices, & Editio princeps habent *negotiationibus*. Sed emendatio illa Iocundi tum propria visa est, tum apta: quid enim facilius, quam pro *negotiatoribus*, Librarios *negotiationibus* scripsisse? At emendationem Grævii, qui in Præfatione ad Tomum IIII Antiquitatum Romanarum asserit, pro vulgato „ *convulneratis omnibus in transitu negotiatoribus* „, *legendum esse sine dubio* ita, *convulneratis foraminibus in transitu petitoribus*; emendationem, inquam, hanc Grævii prætermittendam ratus fui: tum quia mutationes in ea haud exiguæ sunt; tum quia videtur tam certum, quam quod certissimum, longe melius dici, *convulnerari fistulas*, quam *convulnerari foramina*.

5. *Quantum ex hoc modo aquæ servatum sit*] Ita Codices, & Editio princeps: Editio Iocundi, pro *servatum*, habet *sublatum*: sed lectionem illam Codicum præferendam ratus sum. Nam statim Frontinus subdit, se sustulisse plumbum ramorum; nimirum se curavisse, ut avellerentur rami (rami autem hoc in loco significant fistulas minores; quæ, ut rami a truncis, ita a majoribus fistulis exibant) Ergo Frontinus narrat, se illicitam hanc aquæ erogationem sustulisse; ergo asserit, eum modum aquæ, qui prius illicite erogatus, usibus publicis auferebatur, a se fuisse *servatum*.

6. *ejusmodi ramis*] Idest: congregatione ejusmodi ramorum avulsorum a *fistulis meantibus sub silice*. Et quidem citata verba ita esse interpretanda, credibile mihi fit: nisi pro verbo *sublati*, verbum *sublatis* legere mallemus.

¶ Art. 116. 1. *sunt*] Post id verbum in Cassinensi Codice exigua quædam lacuna est: quam tamen hic quoque, distinctionis caussa, relictam fuisse, existimo.

2. *Publi-*

altera publica, altera Cæsaris. [2] Publica est antiquior; quam ab Agrippa relictam Augusto, & ab eo [3] publicatam diximus: habet Homines circiter CCXXXX. Cæsaris familiæ numerus est CCCCLX, quam Claudius, cum Aquas in Vrbem perduceret, constituit.

¶ Vtraque autem familia in aliquot ministeriorum species deducitur: [1] Villicos, [2] Castellarios, [3] Circitores, [4] Sili- ¶ Art. 117.

---

2. *Publica est antiquior; quam ab Agrippa relictam Augusto*] Ita Codices: ita etiam Iocundi Editio; nisi quod in hac verbum *est* desideratur, & verbum *relictam* transponitur: in quibusdam vero Editionibus legitur; *Publica est antiquior, quam Agrippa Augusto relictam*.

3. *publicatam diximus*] Scilicet supra in Art. 98.

1. *Villicos*] Villicus videtur proprie dici is, cui villæ reique rusticæ cura commissa est. Non desunt tamen docti Viri, qui id *Villici* vocabulum ad quemcumque dispensatorem referri posse arbitrentur: a quibus allata exempla exemplo alio ex hisce Frontini locis desumto augeri posse existimo. Certe enim in re aquaria *Villicus* erat is, qui calices & fistulas aptabat, collocabatque (ut jam ostendimus in Nota 6 Art. 112) quamobrem dispensationis minister erat. ¶ Art 117.

2. *Castellarios*] Castellariorum munus fuisse versari circa ea, quæ ad Aquarum Castella pertinebant, ex ipso eorundem nomine satis liquet. Vnam Inscriptionem pertinentem ad quemdam Castellarium dedimus in Nota 6 Art. 4: aliam, quam Gruterus, Fabrettus, & Pignorius (hic tamen non integram) habent, adjecimus.

D . M
CLEMETI. CAESAR
VM. NN. SERVO
CASTELLARIO
AQVAE. CLAVDIAE
FECIT. CLAVDIA
SABBATHIS
ET. SIBI. ET. SVIS

II. Ex hac autem Inscriptione *comprobari Frontini dictum; Aquariorum familias duas esse, alteram publicam, alteram a Ti. Claudio Cæs. constitutam*, scribit Pignorius in Commentario *de Servis*. Sed (bona venia manium eruditi Viri dixerim) tam aperte falsum est, ex hac Inscriptione quidquam de publica Aquariorum familia, a Claudio Cæsare constituta, comprehendi posse; ut qui, id falsum esse, velit fusius ostendere, is profecto rem supervacaneam agere videatur.

3. *Circitores*] Circitores in militia erant, qui vigilias circuibant, & renuntiabant, si qua culpa admissa esset; ut Vegetius habet in Lib. III *de Re Militari* Cap. 8: quare dicendum est, pari modo inter Aquarios eos fuisse Servos *Circitores*, qui Aquæductus circuibant, & renuntiabant, si quod structuris, arcuationibus, rivis damnum accidisset; tum vero etiam si qua fraus admissa esset, ac si beneficiis aliqui abuterentur; idque perspicue Frontinus noster supra in Art. 103 indicavit; ubi scripsit; *magna cura multiplici opponenda fraudi est. Solicite subinde Ductus extra Vrbem sunt circumeundi ad recognoscenda beneficia*.

II. In Codice Vrbinate, ac in aliis Libris, pro verbo *Circitores* (quod in Cassinensi Codice est) legitur, *Curatores*; quod verbum profecto & ambiguum, & difficilius explicatu foret. Immo id verbum caussa erroris fuit Pignorio, qui in Commentario de Servis ita habet; *in* familia *publica* (sed obiter animadverte, Ministeria hæc non fuisse in publica tantum familia; sed *in utraque* familia a Frontino poni) *censebantur Curatores, qui aquas & Castella custodirent, alio nomine Castellarii*. Verum credibile non est, Frontinum tam diligenter hac in narratione loquentem, unum idemque Ministerii genus duplici nomine indicavisse. Vbi vero *Circitores* legas

B B (neque

[4] Silicarios, [5] Tectores, aliosque opifices. Ex his aliquos extra Vrbem esse oportet ad ea, quæ non sunt magnæ molitionis; [6] maturum tamen auxilium videntur exigere. [7] Omnes in Vrbe, circa Castellorum & Munerum stationes, [8] opera quæque urgebunt; in primis ad subitos casus, ut ex quampluribus Regionibus, in

(neque mehercle diversimode legendum puto) omnia, quæ de Curatoribus illis dicta fueraot, omnino concidunt.

4. *Silicaries*] Silicarii, ut recte Pignorius in citato Commentario habet, *stratas silice Vias perrumpebant ad subditos aquarum Ductus reparandos, ut etiam hodie Romæ fieri vidimus*. Adde tamen; postquàm opifices, quorum id munus erat, Aquarum Ductus reparaverant, Silicarii, Vias iterum sternentes, in pristinum statum restituebant.

5. *Tectores*] *Tectorium*, ut Philaoder ad Cap. 10 Lib. V Architecturæ Vitruvii habet; *omnem crustam induci solitam significat*. Idem vero Philander ad Cap. 2 Lib. VII ejusdem Architecturæ ita scribit; *Tectoria, quæ illinimenta sunt quædam parietum & quasi pavimenta, atque incrustatio, aut calce pura fiunt, & Albarium opus vocatur; aut gypso, & fortasse non sine ratione Gypsatum appellari possit; aut calce & arena, & dicitur Arenatum; aut marmore & calce, & Marmoratum nominatur*. Inter opera vero tectoria, a nobis definienda quoque est Maltha, de qua idem Philander ad Caput 7 Lib. VIII citati Operis ita scribit; *Maltha* Castella Aquarum *inducebantur tenacissima, &, ut utar Plinii verbis, duritie lapides antecedente. Ea fiebat calce in vino restincta, & tusa cum adipe suillo & succo fici, aut cum eodem adipe & pice. Opus ipsum priusquam malthetur, oleo perfricandum*. Ad hæc quoque opera tectoria referri potest opus signinum, ad contineodam aquam perutile; ut supra dictum jam est in Nota 9 Art. 10. Plura autem de tectoriis passim apud Authores Rei Rusticæ reperiuntur.

II. Quæ cum ita se habeant, haud dubie statuendum est, *Tectores* fuisse illos, qui parietibus opus tectorium inducebant. Eam vero defioitionem, qua Pignorius in Opere alias citato *Tectores* ita definit; *Tectores Castella, & opus arcuatum tegebant*; in medio relinquo: num enim tecta ædificare ad murarios fabros pertineret, & num etiam tectores ad hos sint revocandi, mihi non constat.

6. *maturum tamen auxilium videntur exigere*.] Ea est io Codicibus Cassineosi, & Vrbioate ioterpuoctionis ratio, ut citata hæc verba ad præcedentia verba referantur: quare integer sensus est hic. *Oportet, extra Vrbem esse aliquos* opifices ad agendum in rebus iis, *quæ* etsi *non sunt magnæ molitionis, videntur tamen exigere auxilium maturum*, idest promptum tempestivumque. In Editione autem Iocundi, citata verba referuntur ad subsequeotia; sed particula, *tamen*, videtur minime consentieos principio novæ sententiæ; novam enim sententiam subsequentia verba complectuntur. Neque citata illa verba subsequeotibus, quæ obscuritate aliqua laborant, lumen afferunt.

7. *Omnes in Vrbe, circa Castellorum &c.*] Periodum haoc, aliqoa laborantem obscuritate, ita interpretor; *Omnes* opifices qui eront *in Vrbe urgebunt quæque* (idest singula) *opera circa stationes Castellorum & Munerum; in primis* vero urgebunt opera, quæ fieot *ad subitos casus, ut præsidium aquarum possit ex quampluribus Regionibus converti abundantius* in eam, *in quam* (*quam*, non *quas*, legeodum est, ut in Cassinensi) *necessitas incubuerit*.

8. *opera quæque*] Ita Codex Vrbinas: in Cassinensi Codice dubium quodammodo, ao scriptum sit, *opera quoque*: certe tamen videtur lectio illa, *opera quæque*, præstare: Editio Iocuodi habet; *operaque quæ*. sed hæc Iocundi lectio originem habuit

in quam necessitas incubuerit, converti possit præsidium aquarum abundantius. Tam amplum numerum utriusque familiæ, solitum ambitione aut negligentia [9] Præpositorum in privata opera diduci, revocare ad aliquam disciplinam, & publica ministeria ita instituimus, ut pridie, quid esset [10] actura, dictaremus, & quid quoque die egisset, actis comprehenderetur. ¶ [1] *Commoda* publicæ familiæ ex AErario dantur; [2] quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus Aquarum pertinentium. [3] Ea constant ex ...., quæ sunt circa Ductus, aut Castella, aut Munera, ¶ Art. 118.

---

habuit ex eo, quod superiora verba, *maturum tamen auxilium videntur exigere*, referuntur ad hanc periodum, secus ac in Codicibus est. Nos vero secuti sumus Codices, ut in Nota 6 hujusce Art. jam monuimus.

9. *Præpositorum*] Hoc in loco notari præsertim Curatores Aquarum, existimo: nam supra in Art. 101 Frontinus ipse scripserat; *Apparitores, & Ministeria, quamvis perseveret adhuc AErarium in eos erogare, tamen esse Curatorum videntur desisse inertia, ac segnitia non agentium Officium*. Ex hoc autem loco posse confirmari opinor, quæ de verbo *Præpositum* diximus jam in Nota 3 Art. 17.

10. *actura*] Idest; actura utraque familia.

1. Commoda *publicæ familiæ*] In Codicibus, & in Editionibus, quæ præcessere Editionem Iocundi deest verbum *Commoda*. Sed quoniam haud dubie verbum aliquod ante verba, *publicæ familiæ*, requiritur, in Cassinensi autem Codice, ubi verbum *Commoda* esse deberet, lacuna est, & paullo infra in hoc eodem Art. scribitur; *Cæsaris familia ex fisco accipit commoda*; quo in loco verbum, *commoda*, in eadem significatione, quam obtinet hoc etiam in superiore loco, adhibetur: iccirco id Iocundi supplementum retinui. Pro *commodis* autem hoc in loco, & infra intelligendæ videntur præsertim res, quæ necessariæ erant vitæ sustentandæ, atque instrumenta necessaria artibus illis exercendis: ut ut *in re militari* (teste Turnebo in *Adversariorum* Lib. V Cap. 5 (*commoda dicerentur vel munera, vel præmia, vel agri denique, qui dabantur militibus*. ¶ Art. 118.

2. *quod impendium exoneratur vectigalium reditu &c.*] Ita Codices, & Editio Iocundi. Keuchenius in hunc locum notat; *in aliis scriptum fuisse „ erogatur „*: idque verbum, *erogatur*, probat; subditque, *impendium esse proprie id, in quod pecunia erogatur*. Sed citata verba ita sunt (ni pessime fallor) interpretanda, ut significent; pecuniam sumtam ex AErario ad comparanda commoda publicæ familiæ compensari illato in AErarium *reditu vectigalium ad jus Aquarum pertinentium*. Quare liquet, substitutionem verbi *erogatur*, pro *exoneratur*, minime posse probari.

3. *Ea constant ex ...., quæ sunt*] In Codice Cassinensi legitur; *exolie difficisue*: in Codice Vrbinate; *exoli edicisue*: in Editione principe; *ex olivetis*: in Editione Iocundi; *ex hortis ædificiisve*. Cum autem verba in Codicibus imperfecta sint; neque satis ego viderem quibus rationibus in Editione principe, & in Iocundi Editione verba illa fuerint ita refecta; immo rationes quasdam adversus refectiones illas prospicerem, malui lacunam relinquere. Sed de hoc loco erit iterum dicendi occasio infra in Nota ad verba, *quominus in eo loco pascere &c.* Art. 129.

nera, aut Lacus; quem reditum prope [4] festertiorum CCL millium, [5] *alienatum*, ac vagum, proximis vero temporibus [6] in Domitiani loculos [7] conversum, justitia Divi Nervæ Populo restituit, nostra sedulitas ad certam regulam redegit, ut constaret, quæ essent ad hoc vectigal pertinentia loca. Cæsaris familia [8] ex Fisco accipit commoda; unde & omne plumbum, & omnes impensæ ad Ductus, & Castella, & Lacus pertinentes, erogantur.

¶ Art. 119. ¶ Quoniam quæ videbantur ad familiam pertinere exposuimus, ad tutelam Ductuum, sicut promiseramus, divertemus: rem enixiore cura dignam, [1] cum magnitudinis Romani Imperii id præcipuum sit indicium.

---

4. *sestertiorum CCL millium*] Idest; secundum æstimationem constitutam supra in Nota 13. III. Art. 7; Nummorum Philippeorum 6250. In Codicibus legitur *festertiorum* (ut scripsimus) in Editione autem Iocundi legitur *sexterium*.

5. alienatum] Codices habent; *alientem*; quod verbum, cum nullius significationis visum sit, suspicatus sum, habuisse originem ex corruptione verbi hujusce, *alienatum*; cujus loco mendose *alientem* scriptum fuerit. Verbum autem, *alienatum*, toti congruit illi sententiæ. Editio Iocundi habet; *salientem*: sed id verbum sententiæ illi haud congruere posse videtur.

6. *in Domitiani loculos*] Loculi dicuntur aliquando sacculi, in quibus pecunia servatur: ita Martialis in Lib. XIIII. 12.

Hos nisi de fulva loculos implere moneta
Non decet

Hic autem dicemusne quasi significari latibula, in quibus usurpata pecunia conderetur? Certe eo tempore, quo Frontinus scripsit, Domitiani nulla mentio, nisi verbis, quæ ejus vitia notarent, fieri solebat; non tantum odio in ejus vitia, verum etiam, ut ea ratione laudaretur Trajanus, qui a Domitiani vitiis abhorrebat.

7. *conversum*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas habet; *est versum*: Editio Iocundi habet dumtaxat, *versum*.

8. *ex Fisco*] AErarium erat locus, in quo recondebatur pecunia pertinens ad Rempublicam; Fiscus erat locus, in quo recondebatur pecunia pertinens ad Principem: ac pecunia AErarii erat Reipublicæ, pecunia Fisci erat Principis. Et quidem, rem ita se habuisse quo tempore Frontinus scripsit (de eo enim tempore solicitus magis sum, non ignarus posterioribus temporibus multa fuisse mutata) testis est Plinius in Panegyrico ad Trajanum (Cap. 36) *At fortasse*, inquit, *non eadem severitate Fiscum, qua AErarium cohibes? Immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis*.

II. Porro ex citato Frontini loco possumus colligere, *commoda familiæ Cæsaris*, *omne plumbum*, *& omnes impensas*, *ad Ductus*, *& Castella*, *& Lacus pertinentes*, ex pecunia Cæsaris fuisse comparata.

¶ Art. 119. 1. *cum magnitudinis Romani Imperii &c.*] De laudibus magnificentiæ Aquæductuum vide supra Notam 4. II. Art. 16.

2. opera

dicium. Multa atque ampla [2] opera ſubinde naſcuntur, quibus ante ſuccurri debet, quam magno auxilio egere incipiant: [3] plerumque tamen prudenti temperamento ſuſtinenda; quia non ſemper opus [4] aut facere, aut ampliare, quærentibus credendum eſt. Ideoque non ſolum ſcientia Peritorum, ſed & proprio uſu Curator inſtructus eſſe debet, [5] nec ſuæ tantum ſtationis Architectis uti, ſed plurium advocare non minus fidem, quam ſubtilitatem, ut æſtimet [6] quæ repræſentanda, quæ differenda ſint; & rurſus, quæ per Redemptores effici debeant, [7] quæ per domeſticos Artifices. ¶ [1] Naſcuntur opera ex his cauſſis; nam aut vetuſtate corrumpuntur; aut [2] impotentia Poſſeſſorum; aut vi tempeſtatum; aut culpa male facti operis, quod ſæpius accidit in recentibus. ¶ Art. 120.

¶ Fere

---

2. *opera ſubinde naſcuntur*] Opera naſci dicuntur, quia cum naſcantur vitia in Aquæductibus, inde eſt operum neceſſitas.

3. *plerumque tamen prudenti temperamento ſuſtinenda*] Ita in Codicibus, & in contextu Editionis Iocundi: ſed in emendatione erratorum, quæ reperitur ad ejuſdem Editionis calcem, legitur; *pleraque tamen prudenti temperamento ſuſtinenda ſunt*: atque verba hæc ab omnibus deinde fuere recepta. Keuchenius autem in Nota ad hunc locum, ſcribit; *prudenti, ideſt artificioſo*, citatque Plinium, qui „ *artifex temperamentum* „ *dixit*: ego mallem dicere, *temperamento prudenti*, ideſt cauta aſſenſus ſuſtentatione: quæ enim ſequuntur verba aperte indicant, ejuſmodi temperamentum eſſe neceſſarium, ut deliberetur; ne quid vel fruſtra, vel male fiat.

4. *aut facere, aut ampliare, quærentibus credendum eſt*] Nam haud raro Architecti, atque Artifices, ut ædificia aut ſtruantur, aut reparentur, ſuadent; non quod ita ex animo ſentiant, ſed quod ita, lucrum ex operibus ſe facturos eſſe, ſperent. Idque non ſolius temporis noſtri vitium eſt, ſed veterum etiam temporum fuiſſe vitium, vel ex hoc Frontini loco colligi poteſt.

5. *nec ſuæ tantum ſtationis Architectis uti*] Ideſt; *nec tantum uti Architectis* ſolitis adhiberi ad ea opera. Niſi quis mallet interpretari, ea verba *Architectis ſuæ ſtationis*, idem ſignificare, atque ſignificant hæc; *Architectis attributis ei Regioni*. Vtraque ſane interpretatio veriſimilitudine non caret: in priorem tamen ego magis feror.

6. *quæ repræſentanda*] Ex ſubſequentibus verbis, *quæ differenda*, liquet, verba *quæ repræſentanda* ſignificare idem, ac quæ ſine dilatione facienda: ſecundum quam ſignificationem id verbum Cicero etiam uſurpavit.

7. *quæ per domeſticos artifices*] Ideſt, ut opinor, per familiares artifices: nimirum per eos, qui erant in Familiis privata, & publica.

1. *Naſcuntur opera ex his cauſſis: aut vetuſtate corrumpuntur &c.*] Ideſt vitia in Ductibus, ſeu neceſſitas efficiendi opera, naſcuntur *ex his cauſſis*: nimirum partes Ductuum *aut vetuſtate corrumpuntur &c.* In Codicibus, atque in Editione principe ita ferme, ut ſcripſimus, legitur: in Editione vero Iocundi poſt verbum *cauſſis* particula ¶ Art. 120.

nam

¶ Art. 121. ¶ Fere aut vetustate, [1] aut vi tempestatum partes Ductuum laborant, quæ [2] arcuationibus sustinentur, aut montium lateribus applicatæ sunt, & ex arcuationibus eæ, quæ per flumen trajiciuntur: [3] ideoque hæc opera solicita festinatione [4] explicanda sunt. Minus injuriæ subjacent subterranea, [5] nec gelicidiis, nec caloribus exposita. [6] Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non interpellato [7] cursu subveniatur eis, aut emendari [8] nisi aver-

nam reperitur; sed cum ea particula, vel alia, puta *nimirum*, subaudiri facile possit, prudens eam prætermisi. In ea etiam Editione post verbum, *opera*, legitur particula *fere*; quæ pariter in Codicibus deest, ac in principe Editione: & hanc quoque, ceu minime necessariam, Codices secutus, prætermisi.

2. *impotentia Possessorum*] Idest, fraudibus Possessorum; hoc enim in loco significatur, Possessores fuisse impotentes cohibendæ cupiditatis, qua ferebantur ad usurpationem rerum pertinentium ad publicum.

¶ Art. 121. 1. *aut vi tempestatum*] In Codicibus legitur; *aut vi*, verbumque *tempestatum* deest, quod restitutum fuit a Iocundo. Neque profecto dubitari potest, quin ita, ut restituit Iocundus, legendum sit. Namque manifestum est, Frontinum, qui in Art. præcedente scripserat, vitia in Ductibus nasci ex quattuor hisce caussis,

I. ex *vetustate*,
II. ex *impotentia possessorum*,
III. ex *vi tempestatum*,
IIII. ex *culpa male facti operis*;

manifestum (inquam) est, Frontinum in præsentia incipere fusius agere de duabus caussis, vitia ejusdem ferme generis progignentibus; nimirum de prima, & de tertia, de *vetustate*, atque de *vi tempestatum*.

2. *arcuationibus sustinentur, aut montium lateribus applicata sunt, & ex arcuationibus ea, qua per flumen trajiciuntur*] Porro hæc opera facilius corrumpi posse, etiam supra in Art. 17 indicaverat Frontinus noster scribens, ab hisce operibus *majorem assiduamque exigi curam*: quod comparanti hunc cum eo loco esse poterit manifestissimum. In eis autem verbis, *arcuationibus*, & *ea qua*, aliqua differentia est inter Editionem Iocundi, & Cassinensem Codicem; sed quæ non adducat in suspicionem alius lectionis. Porro Scaliger in Variis Lectionibus, legendum esse, *qua per flumen*, scripserat. Quod vero attinet ad verbum *exarcuationibus*, nusquam alibi usurpatum, quod in Codice Vrbinate, & in plerisque Libris typis æneis descriptis legitur, id factum perperam est a particula *ex*, & verbo *arcuationibus*, quæ distincta esse debere plane reor: sensus enim esse videtur; *arcuationes eas, qua per flumen trajiciuntur*, magis etiam laborare.

3. *ideoque*] Ita Codex Cassinensis: in aliis Libris legitur dumtaxat *ideo*.

4. *explicanda*] Idest; perficienda.

5. *nec gelicidiis, nec caloribus exposita*] Idest quæ difficilius corrumpi queunt *vi tempestatum*, sive anni tempestas vehementer frigida sit, sive calida vehementer.

6. *Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non interpellato*] Ita Codices, & Editio princeps: ita etiam *ad oram Scriveriani Libri* adscriptum fuisse, Keuchenius narrat: Editio vero Iocundi habet; *vitia autem ejusmodi, aut talia sunt, ut non interpellato*.

7. *cursu*] Idest; *cursu* aquæ per alveum rivorum.

8. *nisi averso non possint*] In Codice Vrbinate legitur; *nisi adversa non possint*: in Cassinensi, & in Editione Iocundi; *nisi aversa non possint*: in Editione principe;

nisi

aversо non possint, sicut ea, [9] quæ in ipso alveo fieri necesse est. ¶ [1] Hæc duplici ex caussa nascuntur, aut limo concrescente, qui [2] interdum in crustam durescit, iterque aquæ [3] coarctatur, aut tectoria corrumpuntur, unde fiunt manationes, quibus necesse est latera rivorum & substructiones vitiari. [4] Pilæ quoque ipsæ [5] topho exstructæ [6] sub tam magno onere labuntur. ¶ Art. 122.

nisi adversa re possint. Ego vero existimo, haud dubie legendum esse, *nisi averso non possint*: cum enim proxime scripsisset Frontinus, vitia quædam, *non interpellato cursu* aquæ per alveum, posse emendari; videtur quidem perspicuum, hoc in loco intelligendum esse, quædam alia vitia non posse emendari nisi *averso cursu* aquæ ab alveo vitiato: nimirum inducta aqua in plumbatos canales eo modo, qui exponitur infra in Art. 124.

9. *quæ in ipso alveo fieri necesse est*] Idest; qualia ea vitia sunt, quæ in ipso alveo temporis diuturnitate nasci debent.

1. *Hæc duplici ex caussa*] Cum supra scripsisset Frontinus, ex Aquæductuum vitiis, quæ nascuntur aut vetustate, aut vi tempestatum, alia posse emendari non interpellato aquæ cursu, alia autem non posse emendari, nisi cursu interpellato: nunc in duo genera dispertitur caussas, unde oriuntur ultima vitia *hæc*; quæ, nisi interpellato cursu aquæ, fluentis per rivorum alveos, emendari non possunt. ¶ Art. 122.

2. *interdum in crustam durescit*] Et quidem longi temporis intervallo crustæ ad maximam crassitiem in Aquarum Ductibus aliquando pervenire queunt; ut Fabretto observatum fuit, qui (Num. 10) in Ductu Aquæ Alexandrinæ se vidisse, refert, *crustam vix credibilis crassitiei, nedum in ipso rivo pene obstructo, & sæpius ad dodrantis intercapedinem restricto; sed ad latera exteriora ipsius Ductus, ubi humor ex eodem exsudans, in ingentes moles, quæ vehem fœni onustam imitarentur, coaluisse*: & paullo infra addit; limum in Ductu Aquæ Marciæ *in crustam longe hac*, de qua loquebatur, *spissiorem magisque compactam induruisse*. Quin tales crustæ etiam lapidescebant. Idem Fabrettus (Num. 69) de rivo quodam vetustissimo verba faciens; *erat in eo*, scribit, *crassissima circumquaque crustæ nigritantis coagmentatio, intus lapidosa, & solida*. Ac Michael Mercati in eo loco, quem citabimus paullo infra in Nota 5 hujusce Art. lapidem, qui dicitur Tophus, etiam in Aquæductibus concrescere, narrat. Nardinus quoque, in alias citati Operis Lib. VIII Cap. 4, quibusdam crustis duritiem marmoris tribuit: *Antiqui*, scribit, *Marciæ Aquæductus multis in locis pleni sunt pulchri marmoris (quod nomine alabastritis nuncupant) geniti ex aqua & terra in lapidem conversis*.

3. *coarctatur, aut tectoria corrumpuntur*] Ita Codices, & Editio princeps: Editio Iocundi in Emendationibus ad calcem positis habet; *coarctat, aut tectorio, quod corrumpitur*: sed nullam video caussam, cur Codicum verba mutari debeant; atque, si omnino debuissent emendari, profecto hoc in loco Iocundum minime secutus fuissem.

4. *Pilæ*] Pilæ hoc in loco significant structuras, parallelogrammæ basis laterumque exstructorum ad perpendiculum, erectas ad sustinendos arcus, super quos erant Aquarum specus (vulgo *Pilastri*)

5. *topho*] De natura hujus lapidis pauca quædam habet Vitruvius in Lib. II Cap. 6: Plinius scribit in Lib. XVII Cap. 4; *Tophus scaber natura friabilis expetitur quoque ab authoribus*. Michael autem Mercati, hujuscemodi rerum peritissimus, in sua Metallotheca (ad *Armarium* VII, ubi agit de Lapidibus similibus terræ, pag. 152) de topho scribit; *Pumici similis est tophus (vulgo „ topho „) qui Græcis πῶρος dicitur; nam lapis est meatuum plenus, & ideo levis; neque semper colore atque duritie*

Pario

tur. Refici quæ circa alveos sunt rivorum æstate non debent, [7] ne intermittatur usus tempore, quo præcipue desideratur: sed vere, vel autumno, & maxima cum festinatione, [8] ut scilicet ante præparatis omnibus quam paucissimis diebus rivi cessent. Neminem fugit per singulos Ductus hoc esse faciendum; ne, si plures pariter avertantur, desit aqua Civitati. ¶ Art. 123. ¶ Ea quæ non interpellato aquæ cursu effici debent, [1] maxime structura constant, quam & suis temporibus [2] & fidelem fieri opor-

Pario marmori similis existit, ut Plinius (Lib. XXXVI Cap. 17) ex Teophrasto scriptum reliquit (Plinius tamen, utcumque sit de hoc loco, quem Mercatus citat, alibi tophum *friabilem* dixerat, ut supra monuimus) *sed plerumque mollis atque friabilis reperitur; colore quidem non solum albo, sed cinereo, rubro, subflavo, atque fusco: nam pro terræ, in qua gignitur, diversitate, variis coloribus insignitur*. His autem alia plura Mercatus ad tophi generationem pertinentia adjecit.

6. *sub tam magno onere labuntur*] In pilis cæmenticiis ex topho, & parte aliqua lateris (in Aquæductibus se observavisse, Fabrettus narrat, Num. 6, quædam opera *ex topho, & latere alternatim composita*) in pilis, inquam, eo modo exstructis, cum tophus suapte natura friabilis, ut in superiore Nota diximus, a superincumbente immani pondere, tractu temporis & sensim sine sensu quodammodo detereretur, ac multæ rimæ fierent in iis locis, ex quibus detritæ tophi partes decidebant, tandem, æquabili fulcimento superioribus partibus deficiente, fiebat ut pilæ ipsæ laberentur.

II. Non est tamen hic locus accipiendus ita, ut omnes pilas eodem modo exstructas fuisse concipiatur. Quædam rudiori modo erant ædificatæ; at quædam erant ex lapide quadrato exstructæ, ut in Num. 279 narrat idem Fabrettus; atque ut ex Art. 124 hujusce Commentarii aperte colligi potest.

7. *ne intermittatur usus*] Ita Codices, & Editiones, quæ Iocundi Editionem præcessere: Editio Iocundi habet; *ne aquæ intermittatur usus*: sed illud verbum, *aquæ*, quod Iocundus adjecit, in hoc sensu non requiritur, nam superius verbum, *rivorum*, subauditur; atque germanus sensus est, *ne rivorum intermittatur usus*: quare ita etiam congruit cum iis, quæ paullo infra subjiciuntur verbis, *ut quam paucissimis diebus rivi cessent*.

8. *ut scilicet ante*] Ita Codex Cassinensis: Codex Vrbinas habet; *ut su ..... ante*: Editio princeps; *ut perfectis ante*: Editio Iocundi in contextu videtur cum Cassinensi Codice consentire: at in emendatione erratorum habet; *ita ut ante*.

¶ Art. 123. 1. *maxime structura constant*] Quæ nisi interpellato aquæ cursu fieri poterant, in ipsis rivorum alveis fiebant: at quæ extra ipsos alveos erant facienda, nimirum in structuris, quibus rivi sustentabantur muniebanturque, fieri poterant non interpellato aquæ cursu. Cum vero Frontinus scripserit, *maxime structura constant* (ubi particula *maxime* idem significat ac verba hæc, *maximam partem*) indicari videtur; præter *structuram*, quædam alia non interpellato aquæ cursu fieri potuisse.

2. *& fidelem*] ut fides Hominum constantia est; ita structura perfecta, atque statura diu integra, fidelis potuit appellari. Neque novum est, hanc vocem ad inanimata transferri: Plinius, in Lib. XVI Cap. 36, arundinum *coma*, scribit, *in Belgis contusa, & interjecta navium commissuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice*.

3. Ido-

oportet. [3] Idoneum structuræ tempus est a Kalendis Aprilibus in Kalendas Novembres, ita ut optimum sit intermittere eam partem æstatis, quæ nimiis caloribus incandescit: quia temperamento cæli opus est, [4] ut ex *humore* commode structura combibat, & in unitate corroboretur. Non minus autem sol acrior, quam gelatio [5] præcipit materiam: nec ullum opus diligentiorem poscit curam, [6] quam quod aquæ obstaturum est. [7] Fides itaque ejus per singula, secundum Legem notam omnibus, sed a paucis observatam, exigenda est. ¶ Illud nulli dubium esse crediderim, proximos Ductus, [1] id est, qui a VII milliario [2] lapide quadrato ¶ Art. 124.

drato

3. *Idoneum structuræ tempus*] Cum ad ædificiorum soliditatem haud parum conferat, si struantur opportuna anni tempestate; mirum sane est, in tam multis de Architectura conscriptis voluminibus tam pauca de tempore idoneo ad ædificandum occurrere. Inter paucos vero Authores, qui de hac re verba fecere nominandus est Leo Baptista Albertus, Vir Architecturæ sane peritissimus, qui in indicando tempore structuræ idoneo (in Lib. III *de Re Ædificatoria* Cap. ultimo) æque diligens, ac Frontinus noster fuit; immo etiam plura complexus est, quippe qui in Architectura tradenda totus erat. In eo dumtaxat paullo obscurior fuit Albertus, quod tempus aliud *per Caniculam* indicaverit, aliud vero *ad Vergiliarum* ortum: certum tamen videtur, Albertum non indicavisse ea anni tempora, quibus aut Canicula, aut Vergiliæ oriebantur, dum ille opus suum de Architectura commentabatur: sed credibile prorsus est, Albertum latine scribentem, Latinorum more scripsisse. Ne vero longior sim; hic neque prolixum Alberti locum describam; neque huc referam, quæ commentatus fueram de Caniculæ ortu, fusiusque ex Dionysii Petavii *Variarum Dissertationum* Lib. II, & ex Ovidii *Fastorum* Lib. IIII, & Lib. V de Vergiliarum ortu collegeram: tantum dicam, me plane credere, eam fuisse mentem Alberti; ut, cum *per Caniculam* dixit, indicaverit vigentem æstatem, cum vero *ad Vergiliarum ortum* dixit, medium ver significaverit. Quæ cum ita sint; si quis volet proposita Authorum loca inspicere, is deinde facile poterit Frontini præcepta cum Alberti præceptis comparare.

4. *ut ex* humore *commode structura combibat*] Ita Editiones princeps, & Iocundi: in omnibus Codicibus deest verbum, *humore*; quod tamen huic loco nimis convenit.

5. *præcipit materiam*] Idest; materiæ consumptionem, eam deterendo, anticipat.

6. *quam quod aquæ obstaturum est*] Nimirum quod aquam debet continere. Ceterum opus *obstaturum aquæ* poscere *curam diligentiorem*, satis notum est suapte natura; cum aqua sit ædificiorum (ut ita dicam) inimica, quippe quæ & humiditate, & in rimulas quascumque penetratione jugiter minutiarum partium dissolutionem moliatur.

7. *Fides itaque ejus*] Verbum *fides* (ut supra in Nota 2 hujusce Art. de verbo illo *fidelem* diximus) hic ad inanimata transferri, nimirum ad opus aquæ obstaturum, de quo sermo est, res ipsa declarat; ac *fides* hoc in loco quodammodo significat eam, quæ ex operis perfectione oritur diuturna conservatio.

1. *idest qui a VII milliario*] In Codicibus, & aliis omnibus Libris legitur, *a sexto milliario*: sed nullus dubito, quin *a VII. milliario* sit legendum. Nam supra in ¶ Art. 124.

drato consistunt, maxime custodiendos: quoniam & amplissimi operis sunt, [3] & plures Aquas singuli sustinent, quos si necesse fuerit interrumpere, [4] major pars Aquarum Vrbem destituet. [5] Remedia tamen sunt & his difficultatibus: [6] *opus* inchoatum excitatur ad libram defi-

Art. 7 Frontinus agens de Marciæ Ductu ita scripsit; *habet longitudinem &c. propius Vrbem a VII milliario substructione passuum DXXVIII; reliquo opere arenato passuum VI millium CCCCLXXII*: eosdemque numeros plane repetit, paullo infra locum illum in Art. 9, de Ductu Iuliæ, quoniam a septimo milliario super eandem substructionem, & super eosdem arcus erant specus Marciæ, & Iuliæ; eratque etiam specus Tepulæ. Præterea agens de Claudiæ Ductu in Art. 14 ita scribit; *habet longitudinem &c. & prope Vrbem a VII milliario substructione rivorum per passus DCVIIII, opere arenato passuum VI millium CCCCLXXXXI*: eademque verba, eosdemque numeros repetit, paullo infra hunc locum in Art. 15, cum agit de Ductu Anionis novi; quoniam super eandem substructionem, & super eosdem arcus a septimo milliario erant specus Claudiæ, Anionisque novi. Quæ cum ita sint, evidentissimum est, *a VII milliario* hoc quoque in loco, ubi de iisdem illis ædificiis agitur, esse legendum.

2. *lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos*] Quid lapis quadratus esset, non satis perspicue rei ædificatoriæ Scriptores definiunt. Reor tamen, extra dubitationis aleam esse, lapides quadratos præditos fuisse ea figura, ut inter se omni ex parte congruerent. Porro proximi illi Ductus maxime custodiendi fortasse fuere etiam ob id, quod a Vitruvio, in Lib. II Cap. 8, narratur. *Id autem*, scribit ille, *licet animadvertere etiam de nonnullis monumentis, quæ circa Vrbem facta sunt e marmore, seu lapidibus quadratis, intrinsecusque medio calcata farcturis, vetustate evanida facta materia, cæmentorumque exacta raritate, proruunt, & coagmentorum ab ruina dissolutis juncturis dissipantur*. Credibile enim est, hunc modum ædificandi, quo monumenta illa facta fuisse Vitruvius narrat (quo hodieque grandes quædam ædificiorum partes fiunt) tum Vitruvii ætate, tum etiam post Vitruvii ætatem in usu fuisse, præsertim in immanibus substructionibus illis, pilisque, quibus arcus, & specus erant impositi.

3. *& plures Aquas singuli sustinent*] Nam Iulia, Marcia, & Tepula (a septimo ab Vrbe milliario) eodem opere sustentabantur; item opere alio una sustentabantur (a septimo pariter ab Vrbe milliario) Claudia, & Anio novus.

4. *major pars Aquarum Vrbem destituet*] In Codicibus legitur; *majorem partem aquarum Vrbis destituet*: sed visum fuit necessarium sequi principem Editionem, quæ ita habet, ut scripsimus. In Editione vero Iocundi legitur; *major pars aquarum Vrbem Romam destituet*: quod verbum, *Romam*, inepte intrusum fuerat in Editionem Florentinam an. 1496 ab aliquo ut puto oscitante adeo, ut non animadverteret; per Antonomasiam, *Vrbem* usurpari pro *Roma*.

5. *Remedia tamen sunt & his difficultatibus*] Ita Editio princeps: neque vero dici potest, Codices, in quibus legitur, *Remedia tamen sunt & hujus difficultatibus*, dissentire; nam *particula his* in particulam *hujus* olim Librariorum errore fuisse mutatam, satis manifestum videtur. Sed in Editione Iocundi legitur; *Remedia tamen sunt, ut his difficultatibus*; & particulam *ut* consequuntur verba *excitetur*, ac *continuetur*, pro *excitatur*, & *continuatur*, ut in Codicibus, & in principe Editione est; qua etiam ratione locus haud perspicuus, fit in ea Iocundi Editione obscurior.

6. opus *inchoatum excitatur ad libram deficientis; alveus vero plumbatis canalibus per spatium interrupti Ductus rursus continuatur*] Codices Cassinensis, Vrbinas, & etiam Vaticanus habent ut scripsimus; nisi quod in singulis deest verbum *opus*, nam post verbum

deficientis; alveus vero plumbatis canalibus per ſpatium interrupti Ductus, rurſus continuatur. Porro quoniam fere omnes ſpecus per Privatorum agros directi erant, [7] & difficilis videbatur futuræ impenſæ præparatio, [8] ni alicujus conſtitutione ſuccurreretur, ſimul ne acceſſu ad reficiendos rivos Redemptores a Poſſeſſoribus prohiberentur, Senatuſconſultum factum eſt, quod ſubjeci:

¶ QVOD. Q. AELIVS. TVBERO. PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS. COSS. V. F. DE. RIVIS. SPECVBVS. [1] FORNICIBVSQVE. IVLIAE. MARCIAE. APPIAE TEPVLAE. ANIONIS. REFICIENDIS. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VTI. CVM II. ¶ Art. 125.

---

verbum, *difficultatibus*, ſequitur verbum, *inchoatum*; nullo alio verbo intermedio; & pro verbo, *alveus*, legitur, *alvea*. Ille, cujus opera princeps Editio prodiit, cum videret aliquid in Codicibus deſiderari, induxit verbum *alveus* (quod etiam Iocundus retinuit) legitur enim in ea principe Editione; *inchoatus alveus excitatur ad libram deficientis &c.* Sed quicumque rem paullo diligentius conſideret, profecto (ni peſſime fallor) videbit, verbum illud, *excitatur*, indicare quidpiam pertinens ad arcuationes, ſubſtructioneſque; non vero indicare alveum. Quo ego reſpiciens ratus ſum, locum poſſe ſuppleri verbo *opus*, quod arcuationes, & ſubſtructiones ſignificatione ſua quodammodo complectatur. Quamobrem totum locum interpretor ita: *Opus*, quod alveos ſuſtinere debet, *inchoatum*, ideſt exſtructum dumtaxat ex tanta parte, quanta ſufficiat ad plumbatos canales ſuſtinendos, *excitatur ad libram*, ſcilicet exſtruitur ad altitudinem *deficientis* interruptique alvei Ductus; *alveus vero plumbatis canalibus per ſpatium* interrupti Ductus *continuatur*, ut per hunc alveum fluere aqua poſſit, quo tempore tum *inchoatum opus*, tum lapideus alveus circa plumbatos canales (eximendos tunc, cum lapideus alveus continere aquam poſſit) perficiantur.

7. *& difficilis videbatur futuræ impenſæ præparatio*] Vide infra Notam 6. II. Art. ſequentis.

8. *ni alicujus conſtitutione*] Ideſt; *ni alicujus*, in id habentis jus poteſtatemque, *conſtitutione*. In Editione Iocundi, loco præcedentis verbi *præparatio*, & ſubſequentis particulæ *ni*, eſt unicum verbum *præparationi*; cui commixtioni quidpiam ſimile eſt etiam in Codicibus: ſed non una de cauſſa plane credidimus, legendum eſſe diſtincte *præparatio*, *ni*: non tamen *præparatio*, *ut*; quemadmodum quidam legerunt. Contra vero in erratorum emendationibus, quæ ad calcem illius Editionis poſitæ ſunt, pro uno verbo *conſtitutione* (quod in Codicibus perſpicue legitur) ita habetur; *conſtitutio ne*: ubi emendatio eſt manifeſtiſſimus error.

1. *FORNICIBVSQVE*] Fornices aliquando ſignificant partem illam ſupremam ſpecus (& ſupremi etiam ſpecus, ſi plures ſpecus iiſdem ſubſtructionibus, arcuationibuſque ſuſtineantur) quæ in formam ambitus fornicati exſtructa, culminis tectique inſtar eſt toti Aquæductui: ſed aliquando, ut citato in loco, Fornices ſignificant arcuationes, quibus ſpecus ſuſtentabantur. Porro ubi id verbum *Fornices* occurrit; ex iis, quæ præcedunt, vel conſequuntur, verbis quilibet colligere facile poterit, num ſignificentur partes ſuperiores ſpecuum, an vero arcuationes ad ſpecus ſuſtinendos exſtructæ. ¶ Art. 125.

II. RIVI. FORNICES. QVOS. AVGVSTVS. CAESAR. SE. REFECTVRVM IMPENSA. SVA. POLLICITVS. SENATVI. EST. [2] REFICERENTVR. EX. AGRIS PRIVATORVM. TERRAM. [3] LIMVM. LAPIDEM. [4] TESTAM. ARENAM. [5] LIGNA CAETERAQVE. QVIBVS. AD. EAM. REM. OPVS. ESSET. [6] VNDE. QVAEQVE EORVM. PROXIME. SINE. INIVRIA. PRIVATORVM. TOLLI. SVMI. PORTARI POSSINT. [7] VIRI. *BONI.* ARBITRATV. AESTIMATA. DARENTVR. TOLLERENTVR SVMERENTVR. EXPORTARENTVR. ET. AD. EAS. RES. OMNES. EXPORTANDAS EARVMQVE. RERVM. REFICIENDARVM. CAVSSA. QVOTIENS. OPVS. ESSET PER. AGROS. PRIVATORVM. SINE. INIVRIA. EORVM. [8] ITINERA. ACTVS PATERENT. DARENTVR.

¶ Ple-

---

2. *REFICERENTVR*] Post hoc verbum in Cassinensi Codice lacuna est, quam tamen distinctionis caussa relictam fuisse existimo: idque eo facilius mihi persuasi, quod is, qui Codicem Vrbinatem descripsit, ubi ad sequentia verba, *ex agris &c.* pervenit, veluti sensum novum aggressus, a capite describere cœpit.

3. *LIMVM*] Qualis fuerit usus *limi* in reficiendis Aquæductibus, fateor, me neque uspiam reperisse, neque conjectura satis assequi posse: nisi dicatur, ad lutandas aliquas partes *limum* adhibitum fuisse.

4. *TESTAM*] Testa hoc loco significat fragmenta fictilium vasorum, ac etiam (ut verisimillimum est) tegularum, imbricum, tubulorum, aliorumque id genus; ex quibus fragmentis tusis, & cum calce commixtis, signinum opus fiebat ad continendam aquam, ut jam dictum est in Nota 9 Art. 10, perutile; atque adeo Aquæductibus utilissimum. Credibile etiam est, in ipsa structura usum aliquem alium fuisse ejusmodi fragmentorum. Porro testæ maximam copiam extitisse, vel ex eo liquet; quod Romæ ex fragmentis figlinis tantus acervus factus sit, ut inde *Collis Testaceus* nomen invenerit. Et ab ipsis usque exordiis Vrbis tanti habita fuit ars Figulorum; ut Plinio teste, in Lib. XXXV Cap. 12, *Numa Rex Collegium Figulorum instituerit*.

5. *LIGNA*] Quibus scilicet opus esset ad muniendum palis solum sub fundamentis; ad struendas contignationes, & tabulata, quibus artifices, & materiæ crescente opere sustinentur; ad machinas artificibus necessarias construendas; atque ad alia id genus.

6. *VNDE. QVAEQVE. EORVM. PROXIME. &c.*] Hinc fit manifestum, in hoc Senatusconsulto curatum fuisse, ut commode materia sumeretur ad reficiendos Ductus; proxima enim commoda est. Pro qua tamen solvendum pretium erat, ut liquet ex sequentibus verbis, *Viri boni arbitratu æstimata darentur*: namque cur fuisset sancitum, æstimari oportere id, cujus pretium solvendum non fuisset?

II. Ex his autem possunt verba illa *difficilis videbatur &c.* in superiore Art. posita, ita explicari; *difficilis videbatur futuræ impensæ* (idest materiæ impensis acquirendæ) *præparatio*, si omnis materia ex locis valde longinquis transferri debuisset, non autem *proxime tolli, sumi, portari*.

7. *VIRI.* BONI. *ARBITRATV*] In Codicibus Cassinensi, Vrbinate, & etiam in Vaticano, atque in Editionibus, quæ Iocundi Editionem præcessere, deest vox illa *boni*: in Editione autem Iocundi (quam aliæ postea Editiones secutæ sunt, secutusque etiam Brissonius est) legitur; *viri boni arbitratu*. Sed tamen ea vox necessaria videtur, tum si ratio habeatur constructionis, tum vero maxime si ipsa æstimatio consideretur, cui formula hæc, *arbitratu boni viri*, suapte natura omnino convenit. Ita in Lege *si fundum*, XXXV. ff. tit. *mandati vel contra* legitur; *& tuam partem*

viro

¶ Plerumque autem vitia oriuntur ex impotentia Possessorum, qui pluribus modis rivos violant. Primum enim spatia, quæ circa Ductus Aquarum ex Senatusconsulto vacare debent, aut ædificiis, aut arboribus occupant. Arbores magis nocent, [1] quarum radicibus & concamerationes, & latera solvuntur: deinde [2] vicinales vias, [3] agrestesque [4] per ipsas formas dirigunt; ¶ Art. 126.

viri boni arbitratu æstimate pretio, dari mihi oportet. Multa porro de æstimationibus, quæ *arbitratu boni viri* fieri dicuntur, vide, si vis, in Brissonii Libris (Edit. Francofurt.) *de Significatione Verborum*.

8. *ITINERA. ACTVS*] Pomponius, in Lege *si tam*, XIII. ff. tit. *de Servitutibus*, ait; *si tam angusti loci, demonstratione facta, via concessa fuerit, ut neque vehiculum, neque jumentum ea ire possit, iter magis, quam via, aut actus acquisitus videbitur. Sed si jumentum per eam duci poterit, non etiam vehiculum, actus videbitur adquisitus*. Et quod spectat ad hanc Pomponii definitionem *itineris*, nulla est difficultas. Sed quod attinet ad definitionem *actus* multi sunt, qui secus sentiunt: namque in Iustiniani Institutionum Lib. II. tit. 3 definitur *actus*, ut sit *jus agendi vel jumentum, vel vehiculum*: & Modestinus, in Lege *inter actum*, XII. ff. tit. *de servitutibus rusticorum prædiorum*, ait; *actus est ubi & armenta trajicere, & vehiculum ducere liceat*: quin Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore, post citata Modestini verba, subdit; *isque est proprie dimidius actus*: & paullo infra ita scribit; *actus, via duplex est, qua occurrentia sibi invicem vehicula commeare possunt*: non tamen indicat Iunius, unde hasce notitias desumserit.

II. Ex allato autem Frontini loco (credibile enim est, quod ad hanc rem attinet, vim naturamque verborum, *itinera*, *actus*, eamdem fuisse & Frontini tempore, & tempore Iurisconsultorum, quos citavimus) ex allato, inquam, Frontini loco proposita controversia videtur dirimi posse: namque si ædificantibus, & comportantibus lapides, ligna, aliasque ad ædificandum materias, dabantur patentes actus; certe actus erant spatia, per quæ duci vehicula possent; materiæ enim illæ (saltem maximam partem) vehiculis ducendæ erant.

1. *quarum radicibus & concamerationes, & latera solvuntur*] Nemo ferme est, qui aliquando non observaverit, muros vel solidissimos vi radicum arborum crescentium inter lapidum juncturas, rimas agere. Quare etiam apud Cassiodorum (Lib. VII Variarum: in *Formula Comitiva Formarum Vrbis*; ubi, quid sit ad tuendos Aquæductus agendum, præcipitur) leguntur verba hæc, jam a Iacobo Gothofredo, a Luca de Penna, aliisque laudata; *In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum ruinas, dum sunt quidam mænium importabiles arietes, censemus, radicitus amputari: quia nulla læsio removetur, cujus origo non tollitur*. ¶ Art. 126.

2. *vicinales vias*] Vicinales vias non fuisse publicas, VVilelmus Goesius (permotus Siculi Flacci, in Libro *de Conditionibus Agrorum*, authoritate) defendit in Indice *in Rei Agrariæ Scriptores Antiquos*; in quo ad verba, *Via Vicinalis*, ita scribit; *Vicinalis vero Via non est publica, ut tamen vult Plinianus Exercitator pag. 678. Sunt enim „ Vicinales Viæ, quæ de publicis divertuntur „*. Ego autem litem hanc non faciam meam; illud quidem affirmabo; hoc in loco Frontinum nostrum verba facere de vicinalibus viis privatis: etenim, cum loquatur de Hominibus Privatis, qui *vicinales vias, agrestesque per ipsas formas dirigebant*, satis profecto perspicuum est, ipsas quoque vias fuisse privatas.

3. *agrestesque*] Agrestium viarum definitionem neque apud Rei Rusticæ, neque apud Rei Agrariæ Scriptores, neque alibi inveni: plane tamen existimo, agrestes

vias

gunt; novissime aditus ad tutelam præcludunt: quæ omnia Senatusconsulto, quod subjeci, provisa sunt:

¶ Art. 127. ¶ QVOD. Q. AELIVS. TVBERO. PAVLLVS. FABIVS. MAXIMVS. [1] COSS. V. F. AQVARVM. QVAE. IN. VRBEM. VENIRENT. ITINERA. OCCVPARI MONVMENTIS. ET. AEDIFICIIS. ET. ARBORIBVS. CONSERI. Q. F. P. D. E. R. I. C. [2] AD. REFICIENDOS. RIVOS. SPECVSQVE. [3] PER. QVAE. ET. OPERA PVBLICA. CORRVMPVNTVR. PLACERE. CIRCA. FONTES. ET. FORNICES ET. [4] MVROS. VTRAQVE. EX. PARTE. VACVOS. [5] QVINOS. DENOS. PEDES PATERE. [6] ET. CIRCA. RIVOS. QVI. SVB. TERRA. ESSENT. ET. SPECVS

INTRA

Vias fuisse illas, quæ a singulis Privatis per interiores propriorum agrorum partes ducebantur: itaque vicinales vias per confinia diversorum Possessorum directas fuisse; vias vero agrestes per agrum unius ejusdemque Possessoris: unde etiam nominis ratio.

4. *per ipsas formas dirigunt*] Idest per ipsos Aquæductus: nimirum vel supra subterraneos Aquæductuum rivos, vel inter arcus ipsorum Aquæductuum. Neque profecto diverso modo verba hæc explicari posse videntur.

¶ Art. 127. 1. *COSS.*] Ita in Cassinensi Codice: in aliis Libris id verbum desideratur.

2. *AD. REFICIENDOS*] In Codicibus, & Libris legitur; *cum ad reficiendos*: sed particulam *cum*, quam superesse scripsit Pithœus in Libro suo (ut Opsopœus notat ad hunc locum) & quam nullo modo cohærere cum eis, quæ subsequuntur, perspicuum est, prætermisi; & prætermisi eo facilius, quod verisimile sit, eam traxisse originem ex duplicata, Librariorum errore, præcedente nota C.

3. *PER. QVAE. ET. OPERA. PVBLICA. CORRVMPVNTVR*] Supra pluribus in locis ostendit Frontinus noster, non exiguam aquarum partem ad Publica Opera pertinuisse: quamobrem cum, interruptis Ductibus, cessabant aquæ, deficiebantque Publicis Operibus; publica Opera corrumpebantur, nimirum inutilia remanebant.

4. *MVROS*] Idest; substructiones rivorum.

5. *QVINOS. DENOS. PEDES*] Codex Cassinensis habet; *C. vinos denos*: Codex Vrbinas, & Editio princeps; *.C. quinos denos pedes*: Editio Iocundi; *centenos quinos denos pedes*; quam secutæ sunt posteriores Editiones; & Brissonius etiam, qui fortasse locum diligenter non excussit; nam alioquin numerale illud *centenos* prætermisisset Vir doctissimus, ut prætermittendum esse censuit P. Pithœus, in cujus Libro (ut refert Opsopœus in Nota ad hunc locum) adnotatum erat, verbum *centenos* abundare.

II. Et quidem in scriptura illa *C. vinos denos* Codicis Cassinensis nota *C.* ex littera *q*, quæ desideratur, originem habere potuit; qua littera *q* restituta, locus recte emendatur. Et sane diverso modo legi non potest: neque enim videtur rationi consonum credere, placuisse Senatui, spatia (si longitudinem Aquæductuum consideres) tam vasta, remanere vacua. Sed hoc in loco (quod raro contingit, ut indicatum fuit in Nota 8. II. Art. *99*) maximi momenti est consideratio posterioris Constitutionis Constantini M. nimirum Legis, *Aquarum possessores*, I. Cod. Theodo. tit. *de Aquæductu*; quæ Lex est etiam I. Cod. eodem tit. Ejus etenim Legis hæc verba sunt; *Aquarum possessores, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinariis oneribus volumus esse immunes &c. Præterea scire eos oportet, per quorum prædia ductus commeat, ut dextra lævaque de ipsis formis quindecim pedibus intermissis arbores habeant.* Porro, si in Constantini Lege *pedes XV* perspicue ponuntur; quis credat, in priore Lege de eadem omnino re pedes CXV esse ponendos?

6. *ET. CIRCA. RIVOS. QVI. SVB. TERRA. ESSENT. ET. SPECVS. INTRA VRBEM. ET. EXTRA. VRBEM. SI. CONTINENTIA. AEDIFICIA*] Cum superius consti-

INTRA. VRBEM. ET. EXTRA. VRBEM. *SI.* CONTINENTIA. AEDIFICIA VTRAQVE. EX. PARTE. QVINOS. PEDES. VACVOS. RELINQVI. ITA. VT NEQVE. [7] MONVMENTVM. IN. HIS. LOCIS. NEQVE. AEDIFICIVM. POST HOC. TEMPVS. PONERE. NEQVE. CONSERERE. ARBORES. LICERET. SI QVAE. NVNC. ESSENT. ARBORES. INTRA. ID. SPATIVM. [8] EXCIDERENTVR

PRAE

---

constitutum fuerit, circa quænam loca quini deni pedes vacui patere deberent; nimirum circa fontes, & fornices, & substructiones: in præsentia constituitur, circa quænam loca dumtaxat quini pedes vacui essent relinquendi. Et primum statuitur, quinos pedes relinquendos esse vacuos *circa subterraneos rivos*.

II. Deinde circa eos, qui *intra Vrbem* essent, specus. Et hoc in loco, specuum nomine ipsa etiam opera supra terram, arcuationes scilicet substructionesque, significari existimo: nam si hujusmodi opera supra terram non comprehendisset hæc Senatusconsulti pars, & quini deni pedes ex utraque parte eorundem vacui debuissent relinqui intra Vrbem; jam nimis magna spatia intra Vrbem vacua relinquenda fuissent.

III. Tertium constituitur, quinos dumtaxat pedes vacuos patere, *si* essent *continentia ædificia*; atque hæc Senatusconsulti pars referenda videtur ad ea loca, in quibus, nisi ædificia continentia (idest quamproxima ipsis Aquæductibus) fuissent, debuissent vacui patere pedes quini deni: quamobrem derogationis species veluti quædam hac in parte est. Saltem videtur verisimillima allata interpretatio, cujus caussa addidi particulam *si* (facile persuadens mihi, verbum, *essent*, posse subaudiri) quam particulam *si* neque in Codicibus, neque in ullis Libris legi, fateor: sed quando nihil ante verba hæc, *continentia ædificia*, ponatur; sententia manca adeo esse videtur, ut verisimillimum fiat, aliquid, incuria Librariorum prætermissum, desiderari. Eo autem facilius locum supplevi particula *si* (neque lacunam ad defectum indicandum, ut alias feci, reliqui) quod in hoc ipso Senatusconsulto postquam infra sancitum est, arbores intra prohibita spatia exstirpandas esse, hæc tamen adjicitur derogationis species, sive exceptio; *præterquam si quæ villæ continentes, & inclusæ ædificiis essent*: ex quibus verbis (ni pessime fallor) perspicue confirmatur, etiam de iis locis, quæ pedes quinos denos vacua patere debebant, excepta fuisse ea, ubi essent *continentia ædificia*.

7. *MONVMENTVM*] Monumentum proprie est quidquid nos monere potest rei alicujus præteritæ. Vlpianus in Lege *Locum in quo servus*, II. § 6. ff. tit. *de religiosis, & sumptibus funerum* ait; *Monumentum est, quod memoriæ servandæ gratia existit*, qua tamen in definitione fortasse Vlpianus dumtaxat ad ea, quæ pertinent ad sepulcra, respexit: certum vero est, etiam sepulcra monumentorum nomine fuisse appellata, quando in id opus, quod memoriæ servandæ gratia factum fuerat, vel corpus, vel reliquiæ corporis erant illatæ. Et quidem de sepulcro loqui videtur Cicero in Epist. Fam. Lib. IIII. Epist. 12, qui verba faciens de M. Marcelli sepultura, ita habet; *Academiæ locum delegimus, ibique eum combussimus; posteaque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum marmoreum ei faciendum locarent*. Ita Ovidius in Metamorphoseon Lib. XIII ver. 523, ubi Hecuba cadaver Polyxenæ filiæ immolatæ manibus Achillis, alloquens *laniato pectore*, post alia plura hæc dicit;

At (puto) funeribus dotabere, regia Virgo;
Condeturque tuum monumentis corpus avitis.

Itaque (quod spectat ad rem nostram) ne sepulcra, ne columnæ, ne pyramides, ne arcus, ne alia denique opera id genus, quæ in hoc Senatusconsulto indicantur nomine *monumenti*, ponerentur intra definitum spatium, omnino cavetur.

8. *EXCIDERENTVR*] Ita scribendo, ad Codices, in quibus legitur *exciperentur*, magis accessi, quam si secutus fuissem Editionem Iocundi, in qua est *extirparentur*. Editio autem princeps habet; *excidetur*.

9. *VILLAE*

PRAETERQVAM. SI. QVAE. [9] VILLAE. CONTINENTES. ET. INCLVSAE. AEDIFICIIS. ESSENT. SI. QVIS. ADVERSVS. EA. COMMISERIT. IN SINGVLAS. RES. [10] POENA. H-S. DENA. MILLIA. ESSENT. EX. QVIBVS PARS. DIMIDIA. PRAEMIVM. ACCVSATORI. DARETVR. CVIVS. OPERA MAXIME. CONVICTVS. ESSET. QVI. ADVERSVS. HOC. S. C. COMMISISSET [11] PARS. AVTEM. DIMIDIA. IN. AERARIVM. REDIGERETVR. DEQVE. EA RE. IVDICARENT. COGNOSCERENTQVE. CVRATORES. AQVARVM.

¶ Art. 128. ¶ Posset hoc Senatusconsultum æquissimum videri, etiamsi ex Rei tantum publicæ utilitate ea spatia [1] vindicarentur; multo magis, cum Majores nostri, admirabili æquitate, ne ea quidem eripuere Privatis, quæ [2] ad modum publicum pertinebant. Sed cum aquas perducerent, si difficilior Possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt, & post determinata necessaria loca, rursus eum agrum vendi-

9. *VILLAE. CONTINENTES. ET. INCLVSAE. AEDIFICIIS*] Hoc in loco Frontinus aut indicat quasdam rusticæ villæ partes (puta cohortes, hortos, in quibus arbores esse poterant) clausas, septasque; & quæ cum villæ ædibus, seu ædificiis unum, ut ita dicam, corpus componebant: aut indicat paganos vicos, in quibus ut plures *villæ* erant *continentes*, ita dici quodammodo poterant *ædificiis inclusæ*. Ne autem arbores vitesque in posterum includerentur, sancitum videtur etiam Lege illa, quam ad Populum tulit T. Quinctius Crispinus Consul ut suo loco infra ostendetur.

10. *POENA. H-S. DENA. MILLIA. ESSENT*] Ita Codices; nisi quod, pro nota H-S, habent *hes*; quas tamen litteras *hes* ortas fuisse ex depravatione notæ H-S, manifestum per se esse videtur. Nota vero H-S (ut omnes consentiunt) significat sestertium. Itaque pœna erant Nummi argentei Philippei 250; juxta Sestertii, & Philippei Nummi æstimationem, quam posuimus in Nota 13. III. Art. 7. In Editione Iocundi legitur; *in dena millia damnas esset*: quam mutationem Iocundum intulisse, credibile est, propterea quia in sequente Lege (Art. 129) ponuntur verba hæc; *C. millia dare damnas esto*: sed, cum verba Senatusconsulti perspicua sint, cur dictio diversa ex illa Lege mutuari debeat, plane non video.

11. *PARS. AVTEM. DIMIDIA*] Ita Codices, & Editio princeps: Editio Iocundi habet; *pars altera dimidia*: sed Codicum lectionem, certe non obscuram, retinere malui.

¶ Art. 128. 1. *vindicarentur*] Idest; Reipublicæ dominio assumerentur. Codices habent, ut scripsimus, *vindicarentur*: Editio Iocundi, *judicarentur*.

2. *ad modum publicum pertinebant*] Modus hoc in loco quantitatem significat: sensus enim est; Majores nostri Privatis ne loca quidem eripuerunt pertinentia ad quantitatem illam spatiorum, quæ, dextra lævaque, necessaria prorsus erant Aquæductibus publicis, ideoque publica esse debebant. Porro, citati loci sensum hunc esse, consideranti accurate ea, quæ a Frontino subjiciuntur (si quid judico) manifeste liquebit.

3. tam

vendiderunt; ut in suis finibus proprium jus [3] tam Res publica, quam privata haberent. Plerique tamen non contenti [4] occupasse fines, ipsis Ductibus manus adtulere [5] per ...... latera passim, [6] *tam ii*, *qui* jus aquarum impetratum habent, quam ii, qui quantulacunque beneficii occasione ad expugnandos nunc abutuntur. Quid

3. *tam Res publica, quam privata*] Nimirum tam Res publica, quam res privata; idest, quam Privati. In Codicibus deest particula *tam*, quæ in Editione principe, & in Editione Iocundi reperitur: eam vero adeo aperte flagitat subsequens particula *quam*; ut pro certo habeam, a Frontino positam, dumtaxat Librariorum incuria fuisse prætermissam.

4. *occupasse fines*] Nimirum consitis arboribus, & positis ædificiis intra fines Aquæductuum; idest intra ea publica spatia, quæ vacua patere debebant.

5. *per ....latera passim*] Idest; ut opinor; *per* vicina *latera*, seu *per* adversa *latera*. Certe credibile est, hoc loco narrari, Privatos adtulisse manus Ductibus hauriendo aquam ex rivis, quod perforando vicina rivorum latera commodissime fieri poterat. In Cassinensi Codice scriptum esse videtur; *per suetossa latera*: hinc lectio nostra verborum *per latera*: sed nimis depravatum intermedium verbum *suetossa* emendare ausus non sum; etsi credam, verba, aut *vicina*, aut *adversa*, aut simile aliquid ibi fuisse: itaque malui lacunam relinquere. In Codicibus autem Vrbinate, & Vaticano legitur; *persuesas salasam passim*: in Editione principe, & in Editione Iocundi legitur; *per semitas solutas passim*. Mihi vero hæc verba attendenti (quando *semitæ solutæ* nihil certe pertinent ad rem hanc) venerat in mentem, scribi posse; *per fistulas solutas*; fistulis enim solutis (quas commemoravit Frontinus ipse supra in Art. 113) nimirum fistulis carentibus calice, illicita aqua derivabatur. Sed omnibus pensitatis, primam illam, quam proposui, scripturam adhibendam conjeci.

6. tam ii, qui *jus aquarum impetratum habent, quam ii, qui quantulacumque beneficii occasione ad expugnandos nunc abutuntur*] Cum proxime superiorum verborum, tum horum etiam verus sensus qui sit, nemo fortasse poterit affirmate definire. Ego quemadmodum, conjectando, superiora verba emendare tentavi; ita conatus sum, ut quædam ex citatis hisce, pariter conjectando, sarcirem. Sed ante omnia quid legeretur, referamus. In principe Editione, & in Iocundi Editione hic locus ita legitur; *& rursus jus aquarum impetratum habent, aquarii quantulacumque beneficii occasione ad expugnandos nunc abutuntur*: in Codicibus vero Cassinensi, Vrbinate, & etiam in Vaticano legitur ita, *cursus jus* (in Cassinensi dubium, legendumne, *jus*, an *iis*) *aquarum impetratum habent*, *quam* (Codex Vaticanus, pro *quam*, habet *aquam*) *ii*, *qui quantulumcumque beneficii occasiones ad expugnandos nunc abutuntur*.

II. Nunc vero dicam, verbum *Aquarii* (quod in Editionibus legitur) visum fuisse huic loco nequaquam conveniens; namque occasionem beneficii ad Privatos potius, quam ad Aquarios pertinuisse visum est: quamobrem insistendo verbis Codicum, præsertim Cassinensis, & Vrbinatis, eo deveni, ut verisimile esse reperirem, a verbis *quam ii*, *qui* postulari quodammodo, ut etiam supra ponerentur verba *tam ii*, *qui*. Præterea animadverti, post verbum *expugnandos*, verbum *Ductus* posse subaudiri. Propter hæc itaque, cum integram sententiam quærerem, ceu verisimilem habui hanc: *Ductibus manus attulerunt*, illicitam ducendo aquam, *tam ii*, *qui jus aquarum habent impetratum* (idest, qui perfectum beneficium impetraverunt, atque ideo habent jus, in quo nihil desideratur) *quam ii*, *qui quantulacumque beneficii occasione* (idest, qui haud perfecte beneficium impetraverunt, atque ideo jus non habent,

DD in quo

Quid porro fieret, si non universa ista [7] diligentissima Lege prohiberentur, pœnaque non mediocris contumacibus intentaretur? [8] Quæ subscripsi verba Legis:

¶ Art. 129. ¶ [1] T. QVINCTIVS. CRISPINVS. COS. [2] POPVLVM. IVRE. ROGAVIT POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. AEDIS. DIVI IVLII

---

in quo nihil desideretur) *ad expugnandos* ipsos Ductus *nunc abutuntur*: idest, eam speciem beneficii prætendentes, ut ad obtinendum aliquid in Ductibus accedant, nunc multas gravesque fraudes faciunt.

7. *diligentissima Lege*] Hæc, quam subjicit Frontinus, vere Lex fuit, non Plebiscitum: quippe quæ (ut liquet ex Legis principio) a Populo, ferente Consule, nimirum ferente uno ex majoribus Magistratibus, fuit constituta: quemadmodum fiebat in Legibus. Mirari autem subit, a Keuchenio, nempe a docto Iureconsulto (in Nota ad verba, *SI. QVIS. ADVERSVS.* Art. 127 (quæ in postremo S. C. sunt) citando Legem hanc, ipsam falsissime appellari *sequens Senatusconsultum*.

8. *Quæ subscripsi verba Legis*] Ita in Codicibus, & in principe Editione: Iocundi Editio habet: *quæ subscripsi hæc sunt verba legis*. Ego vero duas illas voculas, *hæc sunt*, addere plane nolui; ratus, posse locum sine ulla additione ita explicari; *quæ verba Legis subscripsi*.

¶ Art. 129. 1. *T. QVINCTIVS. CRISPINVS. COS.*] Tres T. Quinctios Crispinos Consules, ante Frontini ætatem, reperio. Primus cum M. Claudio Marcello (Marcelli autem hic V. Consulatus fuit) anno V. C. 544, consulatum gessit: sed Legem, de qua sermo est, ab hoc Consule non fuisse latam, tum probari haud leviter potest ex eo, quod is Consul profectus est ad bellum (flagrabat enim Punicum bellum secundum) ac belli in magistratu ex vulnere mortuus est; tum vero demonstrari potest ex eo, quod in hac Lege Curatores Aquarum, quorum magistratus multo post annum V. C. 544 fuit institutus, nominantur. Tertius T. Quinctius Crispinus Consul suffectus fuit anno V. C. 760, secundum Fastos Panvinii (758 secundum Frontinianam computandi rationem) qui hujusce Consulis, ac ipsius Collegæ P. Lentuli Scipionis nomina ex antiqua Inscriptione concinnavit: sed huic T. Quinctio Crispino Legis hujusce lationem tribuendam esse, verisimile mihi non fit; tum quia apud veteres Scriptores hujusce Quinctii Consulis mentio nulla; tum quia hic Consul in Inscriptione nominatur ita, *T. Quinctius Crispinus Valerianus*, nec id, ut quidam loquuntur, agnomen *Valerianus* in Lege reperitur (ut ut id omitti fortasse potuerit) tum quia, idque caput est, vel a primis sui imperii annis Augusto Aquas cordi fuisse, satis liquere potest ex iis, quæ Agrippa fecit; deinde vero Augustus ipse Consulatu suo XII omnium Aquarum Ductus refecit (quemadmodum habet Inscriptio super Arcum, quem exhibuimus in *Fig. I.* ad pag. 5) nimirum anno ab V. C. 747. Itaque credibile non fit, demum anno ab V. C. 758 curatum fuisse, ut Populus quoque tuitioni Aquæductuum provideret: illud quidem multo verisimilius est, Legem fuisse latam paucis annis post facta Senatusconsulta (quæ facta fuere, ut ex nota Consulum liquet, anno ab V. C. 741) Populo scilicet tuitioni Aquæductuum suffragia sua ferente æque, ac paullo ante Senatus tulerat.

II. Reliquum ergo est, ut dicamus; T. Quinctium Crispinum, qui inter duos illos modo nominatos Consules magistratum gessit, anno V. C. 743, Legem tulisse; duobus annis post Senatusconsulta facta Q. AElio Tuberone, Paullo Fabio Maximo coss. Is Consul fuit cum Nerone Claudio Druso, qui in magistratu mortuus est, postquam prospero victoriarum cursu usque ad Albim Germaniæ fluvium procurrerat. Nostrum autem Quinctium ab Vrbe discessisse non reperio; quamobrem adesse ferendæ Legi potuisse videtur. Ad hæc adde, Panvinium (in Lib. II Fastorum; ad annum,

annum, ut ipse computat, V.C. 745) scripsisse; *T. Quinctii Crispini* cos. *Frontinum II. de Aquæductibus meminisse* : etsi enim Panvinius rationes non proferat, quibus permotus crediderit, hunc Quinctium cum habendum esse, quem Frontinus nominavit; perspicuum tamen est, Panvinium in eadem, in qua nos sumus, sententia fuisse.

2. *POPVLVM. IVRE. ROGAVIT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. AEDIS. DIVI. IVLII.* A. D. P. .... *IVLIAS*] In Codicibus verba hæc leguntur ita ; *populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro rostris ædis divi Iulii P. R. Iulias*: ita etiam Editio Iocundi; nisi quod, pro *P. R. Iulias*, habet *po. Ro. & Iulias*: Brissonius vero ita scripsit; *populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro rostris A. D. P. R. R. I.*

II. Sed ut caussæ explicationum emendationumque difficilis hujusce loci cognoscantur, præstat, immo necesse est, animadvertere quæ idem Brissonius de Legum initialibus verbis (in iis, quos adhibemus, Libris *de Formulis*, pag. 137) ita scribit; *initio cujusque legis legitima, & sollemnia verba præponebantur hæc : CONSVL. POPVLVM. IVRE. ROGAVIT., POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT . Docet hoc Cicero prima in Antonium Oratione : „ Cedo (inquit Cicero) illa legitima : COSS. POPVLVM. IVRE „ ROGAVERVNT. (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi) POPVLVSQVE. IVRE „ SCIVIT „. Id ipsum ex ea Lege patet, qua a Frontino Lib. 2. de Aquæductibus prioribus verbis valde corruptis, & depravatis refertur . Ea sunt hujusmodi : „ TITVS. QVINTIVS „ CRISPINVS. COS. POPVLVM. IVRE. ROGAVIT., POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT „ IN. FORO. PRO. ROSTRIS. AEDIS. D. IVLII. POPVLI. ROM. ET. IVLIAE „ . Quæ verba apud Valer. Probum notis hisce designata inveniuntur. „ P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P „ . Cujusmodi notarum compendio cum postrema verba scripta essent in Frontini Codicibus, ex eorum vitiosa interpretatione ab imperitis facta, nata sunt monstra hæc verborum, AEDIS. D. IVLII. POPVLI. ROM. IVLII . Scriptum enim fuit in lege, ANTE. DIEM. PRIDIE. Quod genus loquendi agnoscit Cic. Epist. 14. Lib. 2. ad Attic. „ Ni te in Formiano commodissime exspectari viderem dumtaxat A. D. prid. Non. „ Maii „ . Livius Lib. 45. „ Latinæ edictæ sunt in ante 4. & 3. & prid. Id. Novembr. „*

III. Præstat etiam animadvertere, Vrsatum in Commentario de Notis Romanorum scripsisse hæc; *P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Populum Iure Rogavit, PopulusQue Iure Scivit, In Foro Pro Rostris Et* (sed, loco *Et*, reponendum *Ex*, plane existimo) *Ante Diem Pridie* : citanturque ab Vrsato hi Authores *Probus, Sarainas, Appianus, Manutius, Brissonius.*

IIII. Ex quibus illud jam certum esse reor; nihil dubii haberi posse de primis hisce verbis; *Populum jure rogavit, Populusque jure scivit in Foro* : quamobrem nunc videamus, oportet, de verbis hisce, *pro Rostris AEdis Divi Iulii*, quæ in omnibus Codicibus & Libris reperiuntur; mendosa tamen, ac *verborum monstra*, subsequentia hæc, *AEdis Divi Iulii*; censuere Brissonius, aliique Docti Viri; & nobis etiam principio, cum verba hæc attigimus, videbantur. Sed re diligentius perpensa, nunc verba illa prorsus retinenda esse arbitramur : quod ut ostendamus, quædam etiam de Rostris explicare necesse est.

V. Erant autem Rostra Suggestum, cui sella imposita (ejus figura in duorum veterum nummorum aversa parte conspicitur apud Augustinum Dial. II. & IIII.) in Foro exstructum, in quo Magistratus jus dicebant, Leges ferebant, ac habebant conciones ad Plebem, Populumque. Caussa nominis orta ex eo fuit, quod id Suggestum adornatum esset Rostris navium ab Antiatibus captarum : Livius Lib. VIII Cap. 14, *Naves Antiatum partim in Navalia Romæ subductæ, partim incensæ; Rostrisque earum Suggestum, in Foro exstructum, adornari placuit. Rostraque id templum* (idest is sacer locus; sacrum enim illud Suggestum erat) *appellatum*. Verba autem, *pro Rostris*, idem ac, *in Rostris* aliquando significant : quod a Gellio etiam notatum in Lib. XI. Cap. 3. quidam putant. ibi tamen res non est usquequaque clara.

VI. Sed quod ad rem nostram magis attinet, id est, quod a Nardino, in Lib. V Cap. 3 alias citati Operis, egregie scribitur de veteribus, & novis Rostris : *ex Rostris*, scribit ille, *fuere nova, & vetera, id affirmante Asconio in Miloniana hisce*

IVLII. *A. D.* P............ IVLIAS. [3] TRIBVI. SERGIAE. PRINCIPIVM. FVIT PRO. TRIBV. SEX. L. F. VARRO. QVICVNQVE. POST. HANC. LEGEM ROGATAM. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA LACVS

---

verbis; „ *Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium prope juncta* „ *Curiæ* „ &c. *Vetera hæc Rostra, juncta Curiæ, a Cæsare Dictatore translata fuere in alium locum (ut narrat Dio in Lib. XXXXIII)* „ *Suggestum* „ scribit Dio „ *quod in medio Foro* „ *tunc erat, translatum fuit ad locum, ubi nunc conspicitur, repositæque Sillæ & Pompei* „ *imagines* „ &c. *Hic vero locus, quo translata fuere Rostra, aperte demonstratur a Suetonio (in Augusto* Cap. 100) hisce verbis; „ *Bifariam laudatus est, pro AEde Divi Iulii a* „ *Tiberio, & pro Rostris sub veteribus* „ &c. *vel ut alii legunt, & fortasse melius* (immo Egnatius asserit vix ullos veteres Codices habere particulam *sub*) „ *pro Rostris ve-* „ *teribus* „ &c. *ubi Suetonium verbis* „ *pro AEde Divi Iulii* „ *indicavisse nova Rostra, a Dione demonstratur (in Lib. LVI.) narratione orationum earundem in Augusti laudem;* „ *positaque lectica* (verba Dionis sunt) *supra Suggestum, unde orabatur, ex eo Drusus le-* „ *git quiddam; sed ex aliis Rostris Iuliis nuncupatis Tiberius publice ita oravit ex decreto &c.* „

VII. Hæc vero qui recte perpendat, pro certo (si quid judico) habebit; in nostra Lege verba, *pro Rostris AEdis Divi Iulii* mendosa minime esse; sed iisdem verbis indicari, Consulem T. Quinctium Crispinum rogavisse Legem non in veteribus Rostris, sed in novis.

VIII. Demum venio ad postrema verba *A. D. P.,..... Iulias*: pro quibus (ut supra etiam dictum fuit) in Codicibus legitur; *P. R. Iulias*: in Editione Iocundi; *Po. Ro. & Iulias*: apud Brissonium *A. D. P. R. R. I.* sed quid postremæ hæ notæ, R. R. I. a Brissonio positæ significare deberent, nuspiam inveni. Porro illud recte fieri visum est, si notæ A. D. P. (quæ nimirum significant, *Ante Diem Pridie*) de quibus consentiunt Brissonius, aliique Authores ab Vrsato citati, in emendatione retinerentur. At, si semel dicatur *Ante Diem Pridie*, certe temporis alicujus determinati nota afferri debet; nam vidimus vel in exemplis ab ipso Brissonio allatis scribi, *ante diem pridie Nonas Maji*; tum etiam, *ante IIII. & III. & pridie Id. Novembr.* Ergo si nota temporis aliqua in proposito Frontini loco requiritur; nonne probabile prorsus est, verbum *Iulias* (quod & in Codicibus, & in Iocundi Editione legitur) indicavisse Kalendas, aut Nonas, aut Idus Iulii mensis? atque ex notis *A. D. P.* incuriose scriptis notas hasce *P. R.* fluxisse; & cum prius scriberetur (puta) *Kalendas Iulias*, post prætermissum verbum Kalendas, remansisse verbum *Iulias*, quod per se solum nullam obtinet significationem? Quoniam vero, num ante verbum Iulias reponere deberem Kalendas, an Nonas, an Idus nesciebam, idcirco lacunam reliqui. Nec vero sequi potui doctissimum Pithœum, qui (ut habet Opsopœus in Notis) reponendum censuit, *ante diem prid. Id. Iul.* atque ita, ut opinor, censuit, propterea quod verba *AEdis Iulii* non admitteret, putaretque orta ex his *Esdus Iulii*: neque volui id attendere, quod venerat in mentem; nimirum notam ultimam *R.* forte notam fuisse ex vitiata nota *K.* indicante Kalendas.

3. *TRIBVI. SERGIAE. PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV. SEX. L. F. VARRO*] Ad perspicuitatem afferendam proposito isti loco nostræ hujusce Legis mire faciunt, quæ in Libro Paulli Manutii de Legibus (pag. 278. Editionis an. 1569) leguntur: ubi Manutius narrans quo modo Leges ferrentur, inter multa egregia hæc (quæ deinde Veterum Authorum testimoniis confirmat) habet; *Nunc de ordine in ferendis suffragiis agamus. Primo loco ea Tribus, eave Centuria, quæ, omnium Tribuum, aut Centuriarum nominibus in sortem conjectis* (cum autem rogabatur Lex noster, ratione Comitiorum, quibus rogabatur, Tribus, non Centuriæ, in sortem conjectæ fuere) *prima de sitella*, idest de urna, *sorte exierat, suffragium ferebat* (cum rogabatur

Lex

LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. [4] DVCVNTVR SCIENS. DOLO. MALO. FORAVERIT. RVPERIT. [5] FORANDA. RVMPENDAVE CVRAVERIT. PEIOREMVE. FECERIT. QVOMINVS. [6] EAE. AQVAE. EARVMVE QVA. IN. VRBEM. ROMAM. [7] IRE. CADERE. FLVERE. PERVENIRE. [8] DVCI

POSSINT

Lex nostra, prima exiit Tribus Sergia: en cur dicatur, Tribui Sergiæ principium fuit) *eaque prærogativa dicebatur, quia prima rogaretur a Magistratu, qui Comitia habebat* (Comitia autem habebat T. Quinctius Crispinus cos. quando rogabatur Lex nostra).

II. *At in prima*, pergit Manutius, *Tribu, aut Centuria quis primus? Videlicet is, quem Magistratus Legem ferens deligebat: deligebat autem, quem & dignitate præstare, & rogationi suæ præter ceteros favere judicabat* (is vero, cum rogabatur Lex nostra, fuit Sextus Lucii Filius Varro, qui primus rogatus primus scivit; idest primus suffragium tulit *pro Tribu* sua, sive in Tribu sua)

III. Duo autem monere hic debeo. Primum, me non scripsisse *Tribus Sergia*, ut Brissonius fecit *ductus auctoritate* (verba ejus sunt ad pag. 138 citati Operis) *Legis Thoriæ, in qua* inter prima verba leguntur hæc „ *Tribus .... principium fuit* „ *pro Tribu Q. Fabius Q. F. primus scivit*„. Sed scripsi *Tribui Sergiæ*: tum quia in Codicibus legitur *Tribui*; tum quia id persuadere posse videtur etiam illud ipsum, quod (eodem in loco) Brissonius citat, testimonium Livii, cujus e Lib. VIIII Cap. 38 verba hæc subjecit; *Ei Legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Fauciæ Curiæ* (ita hæc verba *Fauciæ Curiæ* in ipso Brissonii Opere leguntur, atque ita in multis veteribus Libris) *fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ Vrbis, & Caudinæ pacis: quod utroque anno ejusdem Curiæ fuerat principium*.

IIII. Alterum est, quod monere debeo; me proclivem esse ad credendum, in nostra Lege, post verba *Sex. L. F. Varro* deesse verba hæc *primus scivit*, ut Brissonius censuit citato in loco: me tamen ea verba prætermisisse; & quia idem Brissonius ubi Legem illam describit (pag. 141) duo hæc verba, *primus scivit* non habet; & præsertim quia fieri potuit, ut vere posita ea verba in Lege non fuerint; propterea quod, ubi posita non essent, subaudirentur.

4. *DVCVNTVR. SCIENS*] Ita legitur in Codicibus, & in Editionibus, quæ Iocundi Editionem præcessere: in Editione vero Iocundi legitur; *ducuntur earumve quam sciens*: sed intrusa illa verba, *earumve quam*, prorsus videri, ac Codicum lectionem præstare plurimum, nemo ibit (ut opinor) inficias.

5. *FORANDA. RVMPENDAVE. CVRAVERIT*] Ita Codices: Editio princeps, ac Editio Iocundi habent; *forare, rumpereve curaverit*; non tamen vidi, cur a Codicum lectione esset discedendum.

6. *EAE. AQVAE. EARVMVE. QVA*] Idest; aut cunctæ *ea aqua*, aut ex iisdem *aliqua*: *qua* enim, pro *aliqua*, ponitur. In Cassinensi Codice, & in Vrbinate legitur; *ea aqua earumve que qua*: in Editione Iocundi; *ea aqua earumve qua*. Hancque Iocundi emendationem longe optimam existimavimus; nisi quod, pro *ea aqua*, poni oportere *eæ aquæ*, rati sumus: nam verba hæc, *eæ aquæ*, referuntur ad superiora verba, *aquarum publicarum*; præterea, ita facilius vocula, *qua*, potest explicari.

7. *IRE. CADERE. FLVERE*] In Codicibus, & in Editione Iocundi legitur; *ire, cadere, flui*: at Opsopœus, & Keuchenius ita emendandum esse locum, ut emendavit Brissonius, ac ut scripsimus nos, censuere: nec sane de tali emendatione dubitandum esse videtur.

8. *DVCI.* POSSINT] Verbum *possint* deest in Codicibus, quod tamen legitur in principe Editione, ac in Editione Iocundi; atque ad sententiam perficiendam videtur omnino requiri.

9. AEDI

POSSINT. QVOVE. MINVS. IN. VRBE. ROMA. ET. IN. IIS. [9] AEDIFICIIS QVAE. VRBI. CONTINENTIA. SVNT. ERVNT. IN. HIS. HORTIS. PRAEDIIS LOCIS. QVORVM. HORTORVM. PRAEDIORVM. LOCORVM. DOMINIS [10] POSSESSORIBVSVE. AQVA. DATA. VEL. ADTRIBVTA. EST. VEL. ERIT [11] SALIAT. DISTRIBVATVR. DIVIDATVR. IN. CASTELLA. LACVS. IMMITTATVR [12] IS. POPVLO. ROMANO. C. MILLIA. DARE. DAMNAS. ESTO. ET. QVI CLAM. QVID. EORVM. ITA. FECERIT. ID. OMNE. SARCIRE. REFICERE RESTITVERE. AEDIFICARE. PONERE· [13] ET. CELERE. [14] DEMOLIRE. DAMNAS ESTO. SINE. DOLO. MALO. [15] ATQVE. OMNIA. ITA. VT. QVICVNQVE

CVRA

---

9. *AEDIFICIIS. QVAE. VRBI. CONTINENTIA. SVNT. ERVNT. IN. HIS. HORTIS. PRAEDIIS*] Ita Editio Iocundi, & Brissonius; nisi quod, pro voce *his*, habent *hisque*. Omnia autem citata verba desunt in Codicibus Vrbinate, & Vaticano, atque etiam in principe Editione: in Cassinensi Codice leguntur ita; *locis quæ ædificia Vrbi continentia sunt, erunt in his hortis prædiis*. At emendationem mutatione levi jam factam, probataque Brissonio verba, certe huic loco convenientia, servavi.

10. *POSSESSORIBVSVE*] In Codicibus, aliisque Libris legitur; *possessoribus V. F.* Pithœus *levi mutatione* (ut Opsopœus in Nota ad hunc locum narrat) *fecit*, possessoribusve: ita etiam Brissonius scripsit: ita mediusfidius res ipsa videtur efflagitare.

11. *SALIAT*] Ita Codices: in Editione Iocundi legitur; *ut saliat*: quæ redundans particula, *ut*, a principe Editione originem habuit: neque ei Iocundus, aut Brissonius animum adverterunt. Porro eam particulam, *ut*, superfluam esse, demonstrat particula *quove minus*, quæ hic vim habet; estque sensus, *quominus saliat*.

12. *IS. POPVLO. ROMANO. C. MILLIA. DARE. DAMNAS. ESTO*] Quæ in hoc Legis loco, & infra ubi sunt verba, *si quid eorum servus &c.* constituitur pœna (pœna autem est majoris delicti) decupla est pœnæ, quæ constituta fuit in postremo Senatusconsulto: nam *Sestertiorum* (quod verbum prætermittere aliquando Latini consuevere) facile subauditur; atque ideo, juxta Notam 10 Art. 127 pœna constituta in hac Lege est Nummorum Philippeorum 2500. Prætermitti tamen non debet, in eo S. C. pœnam constitui *in singulas res* adversus S. C. factas; in hac autem Lege pœnam *in singulas res* non adeo distincte constitui. Rursus in eo S. C. pœnæ statutæ pertinebat pars dimidia ad Accusatorem, pars altera dimidia ad AErarium: pœna vero constituta in Lege hac ad Populum Romanum tota pertinebat.

13. *ET. CELERE*] Ita Codices: in Emendationibus ad calcem Editionis Iocundi, & in plerisque subsequentibus Editionibus legitur; *& celare*. In Editione principe hæc verba desunt; eademque prætermisit Brissonius, cui verba illa, *& celare* jure non placebant. At verba *& celere* (quæ in Codicibus leguntur) idest & subito, & propere, huic loco apprime quadrant. Hujus porro adverbii *celere* exemplum aliud exstat apud Plautum in *Curculione*, Act. II. Sc. 3. en versum:

Ita nunc subito, propere, & celere objectum 'st mihi negotium.

14. *DEMOLIRE*] Ita omnes Codices: porro verbum *demolior* passivæ significationis in hac eadem Lege reperitur, ubi scribitur, *ne maceriæ demolirentur*: unde probabile visum est, in hac ipsa Lege adhibitum fuisse etiam in activa significatione; in qua a Lactantio, & ab aliquibus veteribus Iurecconsultis fuit usurpatum. Editio princeps, aliæque Editiones habent, *demoliri*.

15. *OMNIA. ITA*] Sic in Codicibus legitur: Editiones vero princeps, & Iocundi habent; *ita omnino*.

16. *EST*

CVRATOR. AQVARVM. [16] EST. ERIT. [17] *AVT.* SI. CVRATOR. AQVARVM NEMO. ERIT. TVM. IS. PRAETOR. QVI. INTER. CIVES. ET. PEREGRINOS IVS. DICIT. [18] MVLTA. PIGNORIBVS. [19] COGITO. COERCITO. EIQVE CVRATORI. AVT. SI. CVRATOR. NON. ERIT. TVM. EI. PRAETORI. EO NOMINE. [20] COGENDI. COERCENDI. [21] MVLTAE. DICENDAE. *SIVE* PIGNORIS. CAPIENDI. IVS. POTESTASQVE. ESTO. [22] SI. QVID. EORVM SERVVS. FECERIT. DOMINVS. EIVS. H-S. CENTVM. MILLIA. POPVLO. DET SI. QVIS. CIRCA. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. ROMAM. DVCVNTVR

ET

---

16. *EST. ERIT*] Ita Codices : in emendationibus ad calcem Editionis Iocundi legitur ; *est vel erit*: sed particula *vel*, etiam non posita, hic subaudiri facile potest.

17. AVT. *SI. CVRATOR. AQVARVM. NEMO. ERIT*] Ita in Codice Cassinensi, atque in Iocundi Editione ; nisi quod utrobique deest particula *aut*, quam Brissonius posuit : & quidem cum ea particula hic subaudiri queat difficilius, & cum eadem paullo infra in simili dictione reperiatur tam in Codicibus, quam in Editione Iocundi, eam prætermittere nolui.

18. *MVLTA. PIGNORIBVS. &c.*] in Codicibus, aliisque omnibus Libris legitur ; *multam pignoribus* : sed si ita legas, non apparet quod verbum regat hæc nomina *multam pignoribus*. Vbi vero (facta exigua mutatione) legatur, *multa pignoribus*, sententia perspicua redditur, nimirum ; *cogito coercito multa* dicta, & *pignoribus* captis : atque ita consentit locus citatus cum iis, quæ paullo infra subjiciuntur ; *ei Prætori eo nomine cogendi, coercendi, multæ dicendæ, sive pignoris capiendi &c.* ut conferenti locum utrumque constabit. Adde, Brissonium scripsisse *multa pignoribus*.

19. *COGITO. COERCITO*] Cogere & coercere hic significant pœnas repetere, exigere : ita apud Ciceronem in Lib. III de Legibus legitur ; *Magistratus nec obedientem, & noxium civem multa, vinculis, verberibusque coercento*.

20. *COGENDI. COERCENDI*] Omnes Codices habent *cogere de coercenda* ; quæ verba orta fuisse ex depravatis hisce verbis, *cogendi coercendi* verisimilius fit ; quam ex hisce, *cogere & coercere*, quæ in Libris, æneis typis descriptis, leguntur. Quin palam est, ea lectione sententiam integriorem fieri ; atque ideo etiam lectionem ipsam esse certiorem.

21. *MVLTAE. DICENDAE.* SIVE. *PIGNORIS. CAPIENDI*] In Codicibus ita legitur ; *multa dicenda sunt pignoris capiendi* : in Editione Iocundi ita ; *mulctæ dicendæ sive pignoris capiendi*: hancque lectionem secutus est Brissonius ; nisi quod, pro *mulctæ*, scripsit *mulctaque*. Sed puriorem Iocundi emendationem secuti sumus.

22. *SI. QVID. EORVM. SERVVS. FECERIT. DOMINVS. EIVS. H-S. CENTVM. MILLIA. POPVLO. DET*] In Editione Iocundi deest nota H-S., quæ in Codicibus legitur ita, *hs*: sed de ea dubitari non potest. Equidem postrema ex iis, quæ ad feram hanc ætatem pervenere, Legibus XII. Tabularum hæc est:

SI. SERVVS. SCIENTE. DOMINO. FVRTVM. FAXIT. NOXIAMVE. NOXIT. NOXAE. DEDITO

Quamobrem hoc in loco duo animadvertere præstabit. Primum, in Lege nostra illud, *sciente Domino*, non poni. Quod prætermissum existimo, quoniam damna inferebantur Aquæductibus, ut inde commodum aliquod perciperetur ; idque commodum, utpote quod patere debebat, debebat etiam utilitati Domini cedere : hinc necessaria præsumptio, damnum illatum fuisse, *sciente Domino*. Si quis vero dicat, damni a Servo illati, non *sciente Domino*, pœnam quoque fuisse constitutam, propterea quia Dominus Servum non continuerit diligentissime : respondebo, varia

posse

ET. DVCENTVR. [23] TERMINATVS. STETERIT. [24] NEQVE. QVIS. [25] IN. EO LOCO. POST. HANC. LEGEM. ROGATAM. [26] QVID. OPPONIT. [27] MOLIT

OBSE

posse contingere, propter quæ videri posset, injuste multari Dominum, qui puniretur pro Servi delicto adversus nostram Legem patrato, Domino ipso non sciente.

II. Alterum autem, quod animadvertemus, est id: scilicet non juberi hac nostra Lege, Servum dedi noxæ, ut jubebatur Lege XII. Tabularum; sed juberi H-S. centum millia dari Populo Romano. Caussa tamen diversitatis obscura esse non potest, si consideretur Legislatorem Consulem id attendisse, quod ex summa illa nummorum utilitas major Populo Romano posset provenire, quam ex dedito Servo.

23. *TERMINATVS. STETERIT*] Terminatus idem ac terminus significat, ut ex variis Auctoribus collegit VVilelmus Goesius in Indice *in Rei Agrariæ Scriptores Antiquos* ad verbum *Terminatus*. Credibile tamen fit, proposita verba translate posita esse; ut, pro termino, locus terminatus, seu spatium termino inclusum intelligatur: nimirum spatium stantibus terminis definitum, quod vacuum esset publicumque: quemadmodum erant ea spatia, de quibus in postremo ex relatis a Frontino Senatusconsultis fuerat constitutum, quædam vacua patere quinos denos pedes, quædam vero pedes quinos. Nisi enim ea verba ita interpretemur, quomodo sequentia verba explicare debeamus, plane non video.

II. Neque sane probabilis mihi fit Opsopœi sententia, qui hic quærit, num pro *steterit*, scribendum foret *sepserit*? Nam, si alia deessent argumenta, vel id, quod paullo infra sequitur verbum *obsepit*, demonstrat; in superiore hoc loco verbum *sepserit* non fuisse: ut consideranti fiet, si quid judico, manifestum.

24. *NEQVE. QVIS*] Ita Codices, Iocundus, Brissonius: Editio autem princeps habet; *veque quis*. Sed, num pro particula *neque* ponenda hoc in loco sit particula *vel* quærit (in Nota ad hæc verba) Opsopœus: satis tamen perspicuum videtur, si totius sententiæ ratio habeatur, caveri hisce verbis; ne quis in spatiis terminatis circa rivos, specus, fornices &c. quid opponat, moliat, obsepiat &c. quamobrem particula negativa opus profecto est.

II. At inquiet fortasse aliquis, si negativa particula hoc in loco esset, subsequentia verba, *opponit*, *molit*, *obsepit* &c. efferrentur *subjunctivo*, aut saltem *imperativo* (ut Grammatici loquuntur) *modo*: sed cuncta *indicativo modo* posita sunt in omnibus Libris, pluraque sunt verba, quam ut credi possit in omnibus Libris eundem errorem fuisse erratum. Huic ego respondebo: de duobus locis, in quorum altero dubius esse videbatur verborum *modus*, qui tamen mutatus non vitiavisset sententiam, in altero complectente affirmationem vel negationem, qui mutatus integram sententiam mutavisset, de duobus (inquam) hisce locis neutrum mutare satius duxi, quando neque brevi emendatione, neque mutatione levi poteram eos inter se aptius conciliare. Etsi autem *tempora hæc indicativi modi* non videbantur recte inservire prohibenti aliquid; malui tamen id tribuere veteri formulæ, quam nimia licentia incertam mutationem inducere.

25. *IN. EO. LOCO*] Idest; in eo spatio stantibus terminis definito, quod vacuum publicumque esse debebat; de quo supra in Nota 23 hujusce Art. dictum est. Codices habent ut scripsimus: in editis Libris deest particula *in*.

26. *QVID. OPPONIT. MOLIT. OBSEPIT. &c.*] Animadvertere hic præstat, hujuscemodi delictum fuisse prope idem, ac illud, de quo actum fuerat in postremo S. C. pœnam tamen hac Lege constitutam fuisse illius (ut dictum est in Nota 12 hujusce Art.) decuplam, & æqualem pœnæ constitutæ adversus eos, qui specus & rivos rupissent forassentve; etsi manum afferre specubus & rivis gravius profecto delictum esse videtur.

27. *MOLIT*] Ita Codex Cassinensis, Brissonius, omnesque Libri. Codex Vrbinas habet, *molitur*. Verum, cum verbum *molier* (Nonio teste) aliquando in passiva

signi-

OBSEPIT. FIGIT. STATVIT. PONIT. COLLOCAT. ARAT. [28] SERIT. NEVE [29] IN. EVM. *LOCVM.* QVID. IMMITTIT. [30] PRAETERQVAM. EORVM FACIENDORVM. REPONENDORVM. CAVSSA. [31] PRAETERQVAM. QVOD HAC. LEGE. LICEBIT. OPORTEBIT. [32] QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT ET

---

significatione reperiatur, credi potest, aliquando etiam activa positione fuisse usurpatum. Adde, supra in hac eadem Lege, compositum verbum *demolio* in activa quoque significatione usurpari.

28. *SERIT. NEVE. IN. EVM*] In Codicibus, in Iocundi Editione, atque in Brissonii opere, & ubique ita perspicue verba hæc leguntur, ut de hac lectione dubitari non possit. In Editione principe legitur; *serirve ve in eum* : & hæc falsa lectio in caussa fuit, ut in falsa sententia persisteret Opsopœus, qui in Nota ad hunc locum ita habet; *Lege „ serirve vel in eum „* . Verum, ut illi ob indicatam superius particulam *vel* (ut ut perperam fecerit) placuit inde ad hunc quoque locum eandem particulam indicare; ita nobis placere debet, post constitutam superius negativam particulam, aliam negativam pariter hic subsequi; & ab hac gravem sane confirmationem illius proficisci.

29. *IN. EVM.* LOCVM. *QVID. IMMITTIT*] Apud Iureconsultos (ut eas, quæ facere queunt ad rem nostram, significationes hujusce verbi indicem) dicitur immitti id, quod ita provehitur, ut aliquo loco requiescat, veluti tigna, trabes; item immitti dicuntur cloacæ, stilicidia, flumina, projecta, lumina, fumus, & aqua: ut ex variis Legibus colligitur luculentissime. Re vero ipsa fit satis manifestum, in nostra hac Lege verbis, *quid immittit*, significari quodammodo ea omnia, quæ immissa dici poterant. Quod autem retinuimus verbum, *immittit*, legitur in omnibus Libris, qui typis æneis descripti sunt: at Codex Cassinensis *immiders* habere videtur; Codex Vrbinas habet, *inmictit*: quæ tamen verba orta fuisse ex depravato verbo *immittit*, credibile prorsus est.

II. Ceterum monere debeo, vocem illam, *locum*, quæ in Editione Iocundi legitur, deesse in Codicibus, & in principe Editione: ea tamen, cum faceret ad perspicuitatem, posita a me quoque est; posita tamen cunctanter.

30. *PRAETERQVAM. EORVM. FACIENDORVM. REPONENDORVM. CAVSSA*] Quid vox illa, *eorum*, significet haud facile dictu est. Re variis modis perpensa, visa fuit maxime probabilis interpretatio hæc; *praeterquam eorum* rivorum specuum &c. *faciendorum*, *reponendorum*, idest exstruendorum, aut restituendorum.

31. *PRAETERQVAM. QVOD*] Ita Codices Cassinensis, atque Vrbinas: Editiones autem princeps, & Iocundi habent; *præterquam quidem*. Opsopœus, in Nota ad hunc locum, citata hæc verba refert ad præcedens verbum *caussa*; & affirmat reponendum esse, *caussa qua quidem*: sed ego plane reor, particula, *præterquam*, exceptionem contineri.

32. *QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. ET. ADVERSVS. EVM SIREMPS LEX. IVS. CAVSSAQVE. OMNIVM. RERVM. OMNIBVSQVE. ESTO. VTIQVE. VTI &c.*] In Codicibus Cassinensi, & Vrbinate ita legitur hic locus; *qui adversus ea quid fecerit & adversus eum si* (Codex Vrbinas pro *si* habet *qui*) *remp.* (id verbum *remp.* in Cassinensi Codice prorsus perspicuum haud est: non tamen certa ulla ad dubitandum caussa esse videtur: at in Codice Vrbinate perspicue legitur) *ex jussu caussaque omnium rerum omnibusque esto atque uti &c.* Opsopœus, in Nota ad hunc locum, scribit; *Viri eruditi hunc locum ita pridem restituerunt; „ qui adversus ea quid fecerit, & „ adversus eum siremps lex jus caussaque omnium rerum omnibus esse, utique esset „ &c.* Porro si locus, ut est a nobis restitutus, cum verbis Codicum, & cum iis, quæ referuntur ab Opsopœo, comparetur; facile (ut opinor) liquebit, & mutationes

ET. ADVERSVS. EVM. SIREMPS. LEX. IVS. CAVSSAQVE. OMNIVM. RERVM OMNIBVSQVE. ESTO. VTIQVE. VTI. ESSET. ESSEQVE. OPORTERET. SI. IS
33 ADVERSVS. HANC. LEGEM. RIVVM. SPECVM. RVPISSET. FORASSETVE
34 QVOMINVS. IN. EO. LOCO. PASCERE. HERBAM. FENVM. SECARE ....
.... CVRATORES. AQVARVM. QVI. NVNC. SVNT QVIQVE

---

a nobis factas levioris esse momenti ; & , nisi velimus recedere nimis a Codicibus , aliter non esse legendum . Sensus autem est ; si quis *fecerit* aliquid *adversus ea* , quæ in hac parte Legis sunt constituta , etiam *adversus eum esto omnibus* , ad quos debeat pertinere , similis re ipsa (nam *siremps*, teste Festo, significat *similis re ipsa*) *lex* , simile *jus*, similisque *caussa omnium rerum* , utique eodem modo , ac lex, jus, caussaque *esset*, *& oporteret esse* adversus ipsum , *si* ipse *adversus hanc Legem rivum , specum rupisset , forassetve* .

II. Ut vero omnes sententiæ de hoc difficili loco quasi ante oculos sint, referam, in Editione Iocundi legi ; *qui adversus ea quid fecerit, & adversus ea repserit, ex jussu caussaque omnium rerum omnibus esto damnas, utique atque uti &c.* & apud Brissonium legi ; *qui adversus ea quid fecerit, & adversus ea obrepserit , siremps lex ei jus caussaque omnium rerum esto utique atque uti* &c. Addam præterea ipsius Brissonii animadversionem , ut exstat in Opere alias citato , pag. 142. ad calcem nostræ Legis : *Observanda* , scribit ille , *est hac in Lege vulgaris clausula , SIREMPS. LEX. EI. IVS CAVSSAQVE. OMNIVM. RERVM. ESTO. quam notis hisce S. L. E. I. C. Q. O. R. E. scribi solitam Valerius Probus testis est* . &c. *Errant igitur qui legere maluerunt ,, Similiter lex esto ,,. Nam ita locus valde corruptus restitui posse videtur. Sic in ea legis antiquæ de viatorum præconumque decuriis Tabula , quæ Romæ exstat, SIREMPS. QVE. EIS. VIATORIBVS DEQVE. EIS. VIATORIBVS. QVAESTORE. OMNIVM. RERVM. IVS. LEXQVE ESTO. Et legis Thoriæ fragmento , DE. EO. AGRO. SIREMPS. LEX. ESTO.* Demum referam, Scaligerum in Variis Lectionibus, pro *repserit ex*, ut erat in ea, qua ipse utebatur Editione, reposuisse, *siremps Lex*.

33. *ADVERSVS. HANC. LEGEM. RIVVM. SPECVM. RVPISSET. FORASSETVE QVOMINVS. &c.*] Ita in Codicibus legitur : at in Editione principe legitur ; *adversus hanc legem rivum specum rupisses forassetve , quo specum forasset rupissetve quominus* &c. quam secutus est Iocundus, Iocundum autem Brissonius ; nisi quod, pro *quo*, ille habet *quoquo* , hic habet *quique* . Sed Codices sequendos omnino ratus sum : nam verba illa, *quo specum forasset rupissetve*, si diligentius expendantur, atque cum præcedentibus, & consequentibus verbis conferantur, intrusa fuisse plane videbuntur. Atque verba illa traxere (ut opinor) originem ex incuriosa duplicatione superiorum verborum ; cum glossematis in contextum intrusi species nulla quidem appareat.

34. *QVOMINVS. IN. EO. LOCO. PASCERE. HERBAM. FENVM. SECARE. .... CVRATORES. AQVARVM. QVI. NVNC. SVNT. QVIQVE ERVNT*] Ita Codices ; nisi quod ante lacunam etiam verbum *fentes* reperitur, quod ex inferiore simili verbo mendose scribi potuit , neque sane ad rem hanc facere, mihi videtur ; quamobrem , eo prætermisso , lacunam ampliavi . Ego enim conjicio, sententiam hanc fuisse; *quominus in eo loco pascere herbam, fenum secare* possint nisi ii, quibus permiserint *Curatores aquarum , qui nunc sunt, quique erunt* . Ratio autem meæ conjecturæ hæc est : supra in Art. 118 scripserat Frontinus noster, impendium in Familia Publica exoneratum fuisse *reditu vectigalium ad jus Aquarum pertinentium. Ea constabant ex .... quæ erant circa Ductus, aut Castella , aut Munera , aut Lacus* : at si circa Ductus , ut pluries constitutum fuisse vidimus , neque arbores , neque ædificia esse poterant ; nonne credibile prorsus est , vectigalia pepen-

QVIQVE. ERVNT. [35] CIRCA. FONTES. ET. *FORNICES*. ET. MVROS. ET. RIVOS. ET. SPECVS. [36] TERMINATVS. ARBORES. VITES. [37] VEPRES. SENTES [38] RIPAE. [39] MACERIA. [40] SALICTA. [41] ARVNDINETA. TOLLANTVR

EXCI

---

pependisse eos, quibus circa Ductus *pascere herbam*, *fenum secare* permiserant *Curatores Aquarum*?

II. In Editione principe legitur; *quominus in eo loco secare sentes, vepres, caprificos Curatores Aquarum, qui nunc sunt, quique erunt*: in Editione autem Iocundi, quam secutus Brissonius est, ita legitur; *quominus in eo loco pascere herbam, fenum secare, sentes, vepres, caprificos Curatores aquarum, qui nunc sunt, quique erunt*. Sed, quam ego maxime potui, ne recederem ab illa Cndicum lectione, ut mea fert institutio, nperam dedi.

35. *CIRCA. FONTES. ET.* FORNICES. *ET. MVROS. ET. RIVOS. ET. SPECVS*] Codices habent; *circa fontes, & fortuni ..... & murorum, & rivos & specus*: ratus autem sum, & pro mendnso verbo *fortuni*, legendum esse *fornices*; & lacunam exiguam illam, quæ in Cndice Vaticano (ceternquin consentiente cum Cassinensi, atque Vrbinate) non reperitur, aut ex nimio verborum interstitin, aut ex aliqua litura nrtam; & *muros* fuisse scriptum, sed postremam litteram *s* fnrte male scriptam sumsisse Librarium aliquem pro nnta pluralis (ut ajunt) genitivi. Ita paucis lncus emendatur, atque apprime ita cnnsentit cum lncn simili, qui est in postremn ex Senatusconsultis ante a Frontino nostro pnsitis, ubi Art. 127 est; *circa fontes, & fornices, & muros utraque ex parte vacuos quinos denos pedes patere, & circa rivos, qui sub terra essent, & specus*: quamnbrem perspicue vides utrnbique eadem nnmina, *fontes, fornices, muros, rivos, specus*, eodemque nrdine posita: ut propterea ab ejusdemmodi similitudine haud leve argumentum optimæ emendatinnis propositi lnci desumere possis.

II. In Editinne autem principe, in Editione Incundi, atque in Brissonii Opere, in quibus nulla lacuna est, ita legitur; *circa fontes, & fontium & murorum curam rivos & specus*: sed (ut nmittam cetera, quæ facile possent animadverti) verbum illud, *curam*, huic lnco minime cnnveniens principio fuisse inepte intrusum, tam certum habeo, quam quod certissimum.

36. *TERMINATVS*] Id verbum, *Terminatus*, hoc in loco proprie poni existimo, atque significare quamcumque rem positam ea de caussa, ut constaret de confinin inter agrum & agrum.

37. *VEPRES. SENTES*] Vepres, sentes alicubi fortuito nascuntur; alicubi vern, ut prn sepimentis inserviant, coluntur, cnlebanturque etiam olim. Vatro in Lib. I. *de Re Rustica* Cap. 14 agens de septis, quæ tutandi fundi caussa fieri debent; *Primum*, scribit, *sepimentum naturale est, quod obseri solet virgultis, aut spinis, quod habet radices vivæ sepis*. Pnrrn vepres, & sentes nnn ipsi per se tantum infesti sunt, sed eo etiam, qund fere cum virgultis diversorum generum cònjunguntur: hæc autem fabricis noxia esse, tum re ipsa manifestum est, tum etiam colligitur ex Cassindoro (*in Variarum* Lib. II. 39) qui ita mnnet; *Virgulta quoque, noxia importunitate nascentia, evulsis cespitibus auferantur, ne radicum quidam capilli paullatim surgentes fabricarum visceribus inserantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriant, unde se compago casura disrumpat*. Aliamque ejusdem necessitatis sapienter allatam rationem reperimus apud eundem Cassiodnrum in *Variarum* Lib. V. Epist. 38, qua Epistnla Theodoricus Rex universos Possessnres admnnet, ut de Forma Ravennate arbores, immo virgnlta amputentur: ubi inter alia (ut Gothnfredus animadvertit) egregie illud; *Nam quæ nunc virgulta sunt; erunt, si negligantur, & robora*.

38. *RIPAE*] Neque fluminum, neque rivnrum ripas hic indicari, si quis ostendere vellet; is profecto uteretur probationibus in manifestissima re minime

E E 2 neces-

EXCIDANTVR. EFFODIANTVR. [42] EXCODICENTVR. VTIQVE. RECTE. FACTVM ESSE. VOLET. [43] EOQVE. NOMINE. IIS. PIGNORIS. CAPTIO. MVLTAE. DICTIO

COER

necessariis. Itaque credibile est, *ripas* per agros, aut per agrorum confinia ductas, hic indicari significatione eadem, ac *ripa* ab Authoribus Rei Agrariæ nominantur. At quid essent hæ ripæ non apud ipsos Rei Agrariæ Authores, non apud horum Interpretes, non apud Authores Rei Rusticæ, non apud Salmasium (in cujus Exercitationibus Plinianis plurima sunt ad rem agrariam pertinentia) satis clare inveni.

II. Vt dicam, ex iis, quæ in mentem venerant, quod probabilius visum est; existimo, ripas fuisse quasi vias, scilicet spatia similitudine quadam viarum procurrentia: nam sæpe ripæ constituebant fines agrorum; ita in Libello de Coloniis, qui sub Iulii Frontini nomine circumfertur, pag. 121. (sequor autem Goesii Editionem Authorum Rei Agrariæ) scribitur; *Finitur enim jugis montium, terminis Augusteis, ripis per devexa collium, arboribus, divergiis aquarum, sed & per alia finitima documenta*: ac apud Varios Authores de Limitibus, pag. 267, legitur; *Ripas decisas finales dreximus*. Sed reor hujuscemodi (ut ita dicam) vias agris aliquantillo humiliores fuisse; unde agrorum margines, qui essent quasi ripæ, riparum nomen, comprehensis illis viis, de quibus sermo est, pepererint. Et quidem Goesius in Indice in Rei Agrariæ Authores ad verbum *decidere*, plane ostendit; id verbum *decidere*, pro verbo *effodere*, ab iisdem Authoribus aliquando adhiberi. Cum ergo, ut modo diximus, apud eosdem legamus, *Ripas decisas* (hoc est, effossas, excavatas) *finales dreximus*; Ripas fuisse humiliores agris, atque tales, quales eas definivimus, concludendum sane videtur.

III. Fateor tamen, me fuisse dubium; num potius definirem, ripas finales fuisse aggeres veluti quosdam utrinque decisos, & in longum directos, ut ager ab agro separaretur, quos aggeres esse complanandos tollendosque, Lex hæc juberet.

39. *MACERIA*] Maceria a Varrone in Lib. I. *de Re Rustica* Cap. 14 ponitur inter sepimenta, quæ tutandi fundi caussa fiunt; deque ea (cum superius alia tria sepimentorum genera jam descripsisset) habet hæc; *Quartum fabrile sepimentum est novissimum, maceria. Hujus species fere quattuor; quod fit e lapide, ut in agro Tusculano; quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico; quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino; quod ex terra & lapillis compositis in formis, ut in Hispania, & agro Tarentino*. Qua in postrema specie terram quodammodo pro calce stetisse, plane reor: ac sepimentum id *in formis* factum fuisse ea ratione, qua parietes quidam *Afrorum, Hispanorumque in forma, circumdatis duabus tabulis, inferciebantur*; quemadmodum Plinius scribit in *Naturalium Historiarum* Lib. XXXV Cap. 14; cujus locum integrum jam in Nota 5 Art. 75 retulimus.

II. Quamobrem, licet maceria videatur sumi pro congerie lapidum in parietis modum sine calce, aut alio ferruminis genere compositorum; negari tamen non potest, maceriam de pariete etiam dici, cujus lapides terra, seu luto pro calce (ut liquet ex modo dictis) aut etiam calce conjungantur: namque de maceriis calce exstructis vel maxime liquet ex Catonis *de Re Rustica* Cap. 15 verbis hisce; *Maceria si ex calce, & cæmentis, vel silice ædificetur*.

40. *SALICTA*] Salicta dicebantur loca salicibus consita: hic autem de salicibus ipsis esse intelligendum, verba illa quæ sequuntur, *tollantur, excidantur* &c. manifeste demonstrant.

41. *ARVNDINETA*] Arundineta appellabantur loca, in quibus arundines pullulabant, vigebantque: sed hic de arundinibus ipsis, propter allatam in præcedente Nota rationem, est intelligendum.

42. *EXCODICENTVR*] Ita in Codicibus, & in Editione Iocundi legitur: id

autem

COERCITIOQVE. ESTO. IDQVE. IIS. SINE. FRAVDE. SVA. FACERE. LICEAT IVS. POTESTASQVE. ESTO. [44] .... QVOMINVS. VITES. ARBORES QVAE. VILLIS. AEDIFICIIS. MACERIISVE. INCLVSAE. SVNT. MACERIAE QVAS. CVRATORES. AQVARVM. CAVSSA. COGNITA. NE. DEMOLIRENTVR DOMINIS. PERMISERVNT. QVIBVS. INSCRIPTA. INSCVLPTAQVE. ESSENT IPSORVM. QVI. PERMISISSENT. CVRATORVM. NOMINA. MANEANT. [45] HAC LEGE. NIHILVM. ROGATOR. QVOMINVS. EX. IIS. FONTIBVS. RIVIS SPECVBVS. FORNICIBVS. AQVAM. SVMERE. HAVRIRE. IIS. QVIBVSCVNQVE CVRATORES. AQVARVM. PERMISERINT. [46] PRAETERQVAM. ROTA. CALICE

MA

---

autem verbum *excodico* significat frutices exstirpare: quamobrem huic loco recte quidem convenire posse, existimavi. In principe Editione, atque in Editionibus aliis legitur, *excorticentur*.

43. *EOQVE. NOMINE. IIS. PIGNORIS. CAPTIO. MVLTAE. DICTIO.* COERCITIOQVE. *ESTO*] In Codice Cassinensi legitur ita; *eoque nomine iis pignoris capto multa edici po...o...r..citi questo*: in Codice Vrbinate legitur; *eoque nomine iis pignoribus capto multa edici po..... o... R citiq. esto*: Editio autem Iocundi habet; *eoque nomine iis pignoris captio multa edici........ or usi quæ esto*. Scaliger autem, pro *edici or usi que*, in suis Variis Lectionibus reposuerat, *dictio utique*: at in Brissonii Opere ita scriptnm est; *eoque nomine iis pignoris capio mulcta dictio coercitio utiqua esto*: demum Opsopœus in Nota sua ad hunc locum ita censet; *ea lacuna sic videtur expleri posse; „ pignoris captio, mulsa dictio, coercitioque esto „*. Ego vero Codicum singula verba, & fragmentorum litteras, quæ supersunt, attendens, ac Brissonii, atque Opsopœi emendationes respiciens, citatum locum, ut vides, scripsi.

44. .... *QVOMINVS. VITES. ARBORES. QVAE. &c.*] In Cassinensi Codice ita est; .... *quominus vites arbores que villis ædificiis maceriisve inclusa sunt, moceria* &c. ita etiam in Codice Vrbinate; nisi quod, pro *que*, legitur *qui*: in Editione principe, & in Editione Iocundi locus talis est; .... *quominus vites arboresque villis ædificiis, maceriisve inclusa sint. Maceriæ* &c. Quid vero in ea lacuna scriptum esset non divinabo. Illud dicam, me plane credere, aut errore Librariorum eam lacunam fuisse relictam; aut, si qua verba fuere, ea ad priorem sententiam pertinuisse: verborum autem, quæ citavimus sententiam integram hanc esse habendam: *Hac Lege nihilum rogator, quominus vites* illæ, & *arbores* illæ, *quæ villis ædificiis maceriisve* permissis *inclusæ sunt, maneant*: maneant autem, idest permissæ sint, *maceriæ* illæ, *quas Curatores Aquarum, caussa cognita* &c.

45. *HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATOR*] Codices omnes habent; *hac lege nihilum rogoto*; ubi, pro *rogoto*, *rogator* legendum existimo: at in Editione principe, in Editionibus aliis, & in Brissonii Opere legitur; *hac lege nihilum abrogatur*: & Opsopœus in Nota ad hunc locum scribit; *legendum & hic, & paullo post; „ ejus hac lege nihil abrogatur „*. Scaliger in suis Variis Lectionibus, pro *nihil abrogato*, reposuerat *nihilum rogator*. Consensus vero, & constantia Codicum, hic atque infra fecere; ut credibile mihi esset, scriptum revera fuisse, *hac lege nihilum rogator*, non vero *abrogatur*: fecere etiam ut, ubi ex verbo *rogato*, quod in Codicibus legitur, verbum *rogator* effeceram, nollem (adhuc majore mutatione) ex verbo *rogatur*, verbum *abrogatur* efficere.

46. *PRAETERQVAM. ROTA. CALICE. MACHINA*] Porro quid esset *Calix*, satis superque jam fuit alibi demonstratum: quid vero esset *Rota*, quid *Machina*,

nuspiam

MACHINA. LICEAT. DVM. NEQVE. PVTEVS. NEQVE. FORAMEN. NOVVM FIAT. EIVS. 47 HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATOR.

¶ Art. 130. ¶ Vtilissimæ Legis contemptores non negaverim dignos pœna, quæ intenditur. Sed [1] negligentia longi temporis deceptos leniter revocari oportuit. Itaque sedu-

nuspiam a Frontino nostro indicatur. Attamen de *Rota* ad hauriendam aquam Vitruvius in Lib. X Cap. 9, atque de *Machina Ctesibica, altissime extollente aquam*, in ejusdem citati Libri Capite 12 satis perspicue loquitur: sed ibi plura sunt, quam huc transferri queant; qui volet, Vitruvium, doctioresque ejus Interpretes (præsertim Barbarum, & Perraultium, qui affabre delineatas, & rei imaginem recte exhibentes Figuras addiderunt) consulere poterit. Attenta autem rerum, de quibus agitur, natura, credibile fit; *Rotam*, & *Machinam*, quibus hauriri aqua dicitur in nostra hac Lege lata haud multo post editos (ut videtur) Vitruvii Libros, *Rotam*, inquam, & *Machinam* fuisse de genere illarum, quas Vitruvius pariter ad hauriendam aquam factas descripsit. Neque profecto quidpiam difficile in re hac comperio.

II. Illud quidem explicatu difficile est, cur aqua hauriretur *Rota*, & *Machina*. Conjicio vel ad irrigandos agros, vel ad inducendas in hortos aquas, vel ad usus alios aliquando opus fuisse, aquam perducere ad loca altiora iis, ex quibus sumebatur; atque ob id ope *Rotæ*, & *Machinæ* ex fontibus, & ex puteis factis in specubus, aquam haustam fuisse, elatamque.

III. Sed difficilius explicatu est; qua ratione metirentur aquam haustam, *Rota* & *Machina*, instrumentis ad metiendum minime idoneis. Conjicio, aquam haustam in Castella fuisse corrivatam, inde vero ex Castellis per calices fuisse erogatam, unde constiterit de erogatæ aquæ mensura.

IIII. Demum illud videtur difficillimum explicatu, qui fieri potuerit, ut neque gravissima illa Senatusconsulta facta paucis annis ante hanc Legem latam, neque diligentissimus Frontinus noster, scribens post multos annos ab hac Lege lata, verbum ullum habuerint de *Rota* & *Machina*. Conjicio, fraudes Privatorum, Aquariorumque in usu *Rotæ* & *Machinæ* vel nullas, vel admodum leves fuisse, ac ideo de *Machina*, & *Rota* nihil memoratum: ne dicam, facile posse suspicionem oriri, num Frontini tempore usus *Machinæ* atque *Rotæ* esset antiquatus, & modo alio subveniretur altioribus locis.

V. At alicui forte probabilior videbitur ea interpretatio, qua sententia integra ita explicetur; *Hac Lege nihilum rogator, quominus iis, quibus Curatores Aquarum permiserint, liceat aquam ex fontibus rivis specubus fornicibus sumere haurire, præterquam* tamen *rota calice machina*; idest iis tamen sumere haurire aquam rota calice machina non liceat. Verum locus nimis difficilis est: exposui eas, quas feci, conjecturas multis circumstantiis, tamquam principiis ad conjiciendum diligenter pensitatis; sed Viri docti viderint.

47. *HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATOR*] In Codicibus ita legitur; *hac lege nihilum rogato*: Scaliger in Variis Lectionibus reposuerat, *rogator*. Atque hæc sane faciunt tum ad expungendum verbum *abrogatur*, intrusum a quibusdam in hunc locum; tum ad confirmanda ea, quæ de simili dictione scripta sunt in Nota 45 Art hujusce.

¶ Art. 130. 1. *negligentia longi temporis deceptos*] Hoc in loco Frontinus (quod ubique tamen non fecit) blanditur iis, qui erraverant; quasi decepti negligentia longi temporis, non autem dolo malo agentes erravissent.

2. *Iis*

ſedulo laboravimus, ut (quantum in nobis fuit) etiam ignorarentur qui erraverant. [2] Iis vero, qui admoniti ad indulgentiam Imperatoris decurrerunt, poſſumus videri cauſſa impetrati beneficii fuiſſe. In reliquo vero opto, ne executio Legis neceſſaria ſit, cum Officii fidem [3] etiam per offenſas tueri præſtet.

---

2. *Iis vero, qui admoniti ad indulgentiam Imperatoris decurrerunt*] Ii ſunt, de quibus ſupra, cum Imperatoris Nervæ Trajani providentiam atque curam laudaret Frontinus, ſcripſit in Art. 88; *Illi quoque, qui timidi illicitam aquam ducebant, ſecuri nunc ex beneficiis fruuntur.*

3. *etiam per offenſas*] Porro jam cœperat Frontinus etiam per offenſas tueri Officium: ſupra enim in Art. 76 ſcripſit; *quæ nunc* (vitia in Privatos uſus derivandi publicas aquas) *nos omnia ſimili licentia uſurpata, utinam non per offenſas probaremus.* Itaque cum Frontinus noſter multa ex iis, quæ ad tuendos Aquæductus neceſſaria erant, jam tradidiſſet; hoc in loco integritatem ſuam pollicitus, qua una tuitionis Officii partes omnes reliquæ continebantur, Commentario ſuo coronidem impoſuit.

F I N I S.

LEGES SIVE CONSTITVTIONES IMPERIALES
DE AQVAEDVCTIBVS
TAM ROMAE VETERIS QVAM NOVAE, VRBIS SCILICET CONSTANTINOPOLITANAE.

De quibus vide in Prolegomenis Cap. VI. Sect. 7.

IMP. CONSTANTINVS A.
AD MAXIMILIANVM COS.

*AQuarum possessores, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinariis * oneribus volumus esse immunes, ut eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti mundentur, nec ad aliud superindictæ rei onus hisdem possessoribus adtinendis; ne circa res alias occupati repurgium formarum facere non curent. Quod si neglexerint, amissione possessionum multabuntur. Nam fiscus ejus prædium obtinebit, cujus negligentia perniciem formæ congesserit. Præterea scire eos oportet, per quorum prædia ductus commeat, ut dexstra lævaque de ipsis formis quindecim pedibus intermissis arbores habeant: observante tuo officio, ut si quo tempore pullulaverint, excidantur; ne earum radices fabricam formæ corrumpant. Dat. XV. Kal. Jun. Gallicano & Symmacho coss.*

* muneribus

ANNO VRBIS CONDITAE CIↃ. LXXXII. CHRISTI CCCXXXI.

IMPPP. VALENTINIANVS, VALENS,
ET GRATIANVS AAA. FORTVNATIANO C.R.P.

*Aquaductus, qui Dafnensi palatio usum aquæ præstat, quorumdam aviditate tenuatur * adpotis majoribus fistulis, quam ex Imperiali largitate meruerunt. Consensu igitur omnium in tribus locis conceptacula reparentur, & singulorum nomina, modusque servandus tabulis adscribatur: Et si ultra licitum aliquem usurpare constiterit, per singulos obolos libræ unius auri dispendiis in-*

FF grave-

ANNO V.C. CIↃCCXXII. CHRISTI CCCLXXI.

graveतur: Et si tenore Sacri rescripti aliquis certum modum aquæ meruisse noscetur, non prius eidem accipiendi potestas aliquatenus tribuatur, nisi adito Rectore ex ipso conceptaculo quantitatem, quam meruit, possit adipisci. Dat. III. Kal. Novemb. Antiochiæ, Valentiniano N. P. & Victore coss.

IMPPP. GRATIANVS, VALENTINIANVS, ET THEODOSIVS AAA. CLEARCHO P.V.

ANNO V.C. CIↃCXXXV. CHRISTI CCCLXXXIV

Summas quidem domus si lavaeris lautioribus præsententur, binas non amplius aquæ uncias, aut, si hoc amplius exegerit ratio dignitatis, supra ternas neutique possidere: mediocres vero & inferioris meriti domus singulis & semis contentas esse decernimus. Si tamen hujuscemodi balneas easdem habere claruerit, ceteros vero, qui mansionum spatio angustiore sustentantur, ad mediæ unciæ usum tantum gaudere præcipimus: neque obreptionem cuiquam patere: ita ut quod tibi paret officium, sex librarum auri multa feriatur, nisi prodiderit usurpantes: & is, qui fefellit, careat impetrato. Dat. X. Kal. Iul. Constantinopoli, Antonio & Syagrio coss.

IIDEM AAA. CYNEGIO PP.

ANNO V.C. CIↃCXXXVII CHRISTI CCCLXXXVI.

Ad portus & aqueductus instaurationem, omnes certatim, facta operarum conlatione, instare debent: neque aliquis ab hujuscemodi consortio dignitatis privilegiis excusetur. Dat. XV. Kal. Februar. Constantinopoli, Richomere & Clearcho coss.

IMPPP. VALENTINIANVS, THEODOSIVS, ET ARCADIVS AAA. PANCRATIO P. V.

ANNO V.C. CIↃCXLIII. CHRISTI CCCXCI.

*Si quis de cetero vetiti furoris audacia florentissimæ Vrbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex aqueductu publico derivando, sciat eundem fundum fiscalis tituli proscriptione signatum privatis rebus nostris adgregandum. Dat. VIII. * Constantinopoli, Timasio & Promoto coss.*

IIDEM AAA. ALBINO V.P. ROM.

ANNO V.C. CIↃCXLII. CHRIST. CCCXCI.

Eos, qui aquæ copiam vel olim vel nunc per nostra indulta meruerunt, ejus usum aut ex castellis, aut ipsis formis jubemus elicere, neque earum fistularum, quas matrices vocant, cursum ac soliditatem adtentare. Dat. V. Kal. Septemb. Romæ, Timasio & Promoto coss.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS AA. AD AFRICANVM P. V.

Quicumque ex aqueductu magis quam ex castellis aquæ usum putaverit derivandum, etiam id, quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittat. In eum

eum vero pro conditione personæ conveniet severissimo supplicio vindicari, qui adversus statuta hujus Sacri oraculi avidæ cupiditatis noluerit frena cohibere, ut privatis indulti meatus mensura famuletur. Dat. PP. IV. Kal. Iun. Constantinopoli, Olybrio & Probino coss. ANNO V. C. CIƆCXLVIII CHRISTI CCCXCVII.

IIDEM AA. ASTERIO COM. OR.

*Usum aquæ veterem longoque dominio constitutum singulis civibus manere censemus, nec ulla novatione turbari: ita tamen, ut quantitate singuli, quam veteri licentia percipiunt, more usque in præsentem diem perdurante percipiant: mansura pœna in eos, qui ad inrigationes agrorum, * vel hortorum delicias, furtivis aquarum meatibus abutuntur. Dat. Kal. Novemb. Cæsario & Attico coss.*

* Legēdum vel hortorum, deliciis furtivis aquarum m. a. Vide Notas. ANNO V. C. CIƆ CL. CHRISTI CCCXCIX.

IIDEM AA. MESSALAE PP.

Ex forma, cui nomen Augusta est, quæ in Campania sumptu publico reparata est, nihil privatim singulorum usurpatio præsumat, neque cuiquam posthac derivandæ aquæ copia tribuatur. Si quis autem meatum aquæ ausus fuerit avertere, quinque libras auri ærario nostro inferre cogatur. Quidquid etiam ob eam fraudem ex rescripto fuerit elicitum, vel qualibet arte tentatum, inritum habeatur. Dat. V. Kal. Iannar. Med. Theodoro V. C. coss. ANNO V. C. CIƆCLII. CHRISTI CCCCI.

IIDEM AA. AD FLAVIANUM P.V.

*Ne quis Claudiam, interruptis formæ lateribus adque perfossis, sibi fraude * elicita existimet vindicandam. Si quis contra fecerit, earum protinus ædium & locorum amissione multetur. Officium præterea, cujus ad solicitudinem operis hujus custodia pertinebit, hac pœna constringimus: ut tot librarum auri inlatione multetur, quod uncias * Claudiæ nostra cohibentia ejus usurpatas fuisse constiterit. Dat. VI. Id. Novemb. Med. Stilicone & Aureliano coss.*

* licita vel elicitam

* Legēdum Claudiæ nostra conniventia ejus, &c. Vide Notas. ANNO V. C. CIƆCLIII. CHRISTI CCCCII.

IMPP. THEODOSIUS ET VALENTINIANUS AA. † ***

† CYRO P.P.

Si quis per Divinam liberalitatem meruerit jus aquæ, non Viris Clarissimis Rectoribus provinciarum, sed tuæ præcellentissimæ sedi Cælestes apices intimare debebit: condemnatione contra illum, qui preces moderatoribus insinuare conatur, quinquaginta librarum auri, & contra universos administratores, qui rescriptum per subreptionem elicitum suscipere moliuntur, proponenda: apparitoribus nihilominus eorumdem Virorum Clarissimorum provinciæ moderatorum, animadversionibus pro vigore tui culminis subjugandis: & amplissima tua sede dispositura, quid in publicis thermis, quid in nymphais pro abundantia civium conveniat deputari, quia his personis, quibus nostra Serenitas indulsit, ex aqua superflua debeat impertiri. ***

† CYRO P.P.

IIDEM AA. † * * *

*Omnis servitus aquaeductus Hadriani, sive domorum, sive possessionum, sive suburbanorum, sive balneorum, vel per Divinos affatus intimatos in quolibet judicio, vel per usurpationem impertitos, penitus exprobretur. Maluimus etenim praedictum aquaeductum nostri palatii publicarum thermarum ac nymphaeorum commoditatibus inservire. Et decernimus hanc dispositionem modis omnibus in posterum servari: nemini licentia tribuenda ab eodem aquaeductu precibus oblatis usum aquae petere, vel eum audere perforare: scientibus his, qui qualibet ratione putaverint ad hujusmodi * emolumentum accedere, vel officio, si ausus fuerit instruere, vel minus instructis precibus parere, centena pondo auri multa nomine fiscalibus rationibus se esse inlaturos. Super his sancimus, fulcum publicum aquarum nullis intra decem pedes arboribus coartari, sed ex utroque latere decempedale spatium integrum inlibatumque servari. Praeterea de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas, quae Achillea nuncupantur, quas * providentia tua magnificentia factas fuisse cognovimus, eamdem formam servari censemus. Etenim memoratas fistulas thermis tantum & nymphaeis, quibus eminentia tua deputaverit, volumus inservire: facultate praebenda tuae sublimitatis apparitoribus circumeundi sine formidine domus, suburbana balnea ad requirendum, ne qua deceptio, vel suppressio, vel insidia contra publicam utilitatem a quoquam penitus adtententur. Dat. * * **

* molimen Vide Notas.

* providentia magnificentia melius forte providentia tua munificentia.

† EVTICHIANO P.P.

IIDEM AA. † * * *

*Ad reparationem aquaeductus hujus almae Vrbis omnia vectigalia, quae colligi possunt ex universis * calculis hujus inclytae Vrbis, & ex operariis, qui * Zizaceni dicuntur, ad refectionem ejusdem aquaeductus procedere: illo videlicet observando, ut nemo eorum, qui jus aquae possident, quaecumque descriptione sustineat. Nam exsecrabile videtur domos hujus almae Vrbis aquam habere venalem. * * **

** Varietatem lectionis, & quomodo legendum, vide in Notis.

† ADAMANTIO P.V.

IMP. ZENO A. † * * *

*Hac lege sancimus, ut si quis amplissimam praefecturam gubernans, aurum aquaeductus deputatum ad alterum quodlibet opus, non aquaeductibus vel aquae publicae competens, exstruendum, vel curandum putaverit convertendum: de suis facultatibus eandem summam aquaeductus titulo repensare cogatur. Separatus vero arcarius aurum suscipiat gloriosissimorum Consulum liberalitate, vel ex aliis titulis ad aquas publicas pertinentibus collectum, vel postea colligendum. * * **

* SPORATIO.

IDEM A. * PORATIO.

Diligenter investigari decernimus, qui publici ab initio fontes, vel cum essent ab initio privati, postquam publice usum praebuerunt, ad privatorum usum conversi sunt sive Sacris apicibus per subreptionem impetratis, ac multo amplius

plius si auctoritate inlicita, nec appetito colore Sacri oraculi, hujusmodi aliquid pertentatum fuisse dignoscitur: ut jus suum regiæ civitati restituatur, & quod publicum fuit aliquando, minime sit privatum, sed ad communes usus recurrat: Sacris oraculis, vel pragmaticis sanctionibus adversus commoditatem Vrbis quibusdam impertitis, jure cassandis: nec longi temporis præscriptione ad circumscribenda civitatis jura profutura. * * *

IDEM A. PONTIO.

*Decernimus, ne quid a quacumque persona qualibet dignitate prædita contra * munuscularios aqueductus, vel fontes publicos, qui ad aqueductus confluunt, pertentetur. Sed & si quis clam vel palam auctoritate confisus de iisdem * paralogus, vel fontibus aquam transduxerit, vel clandestinis insidiis forte subripuerit publicis aquæductibus; eam restituere compellatur. Hoc etiam præcipimus, ne in posterum a quolibet juxta eosdem aquæductus plantari qualescumque arbores possint, ne ex stirpibus labefactentur parietes aquæductus, quod antiquis etiam Constitutionibus interdictum esse dignoscitur: scientibus universis, quod in posterum super hujusmodi commissis suburbanum, vel prædium, vel balneum, vel aqua mola, vel hortus, ad cujus usum aqua publica fuerit derivata: vel si quid ex his juxta aquæductum positum ad eum pertinet, qui plantavit arbores aquæductibus noxias, ad quemcumque pertineat locum, vel hominem, vel domum, proscriptionis titulo subjacebit, & fisci juribus vindicetur: nulli super hujusmodi pœna nec per Sacros apices venia tribuenda. Vniversos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, qui omnium aquæductuum hujus regiæ Vrbis custodes deputati sunt, singulis manibus eorum felici nomine Pietatis nostræ impressi signari decernimus, ut hujusmodi adnotatione manifesti sint omnibus; nec a procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad usus alios avellantur, vel angariarum, vel operarum nomine teneantur. Quod si quem ex iisdem aquariis mori contigerit, eum nihilominus, qui in locum defuncti subrogatur, signo eodem notari præcipimus: ut militia quodammodo sociati, excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreant, nec muneribus aliis occupentur.* * * *

* Vide Notis.

* paragogiis.

IMP. IVSTINIANVS A. * SERVO P.P.

* SERVIO P. P.

Divinam dispositionem ab inclytæ recordationis Principe Theodosio super his, qui aquam sibi de publicis aquæductibus seu fontibus præberi desiderant, promulgatam, hac etiam lege in sua firmitate durare sancimus, quatenus nemo vel in hac sacratissima Civitate, vel in provinciis, sine Divinis apicibus de Sacro epistolarum scrinio more solito edendis, & judicio tuæ celsitudinis, vel aliis, quorum interest, intimatis vel intimandis, aquam de publico aquæductu seu fonte trahere permittatur: his quicumque jussa nostra violaverit, seu violare concesserit, denarum librarum auri condemnatione, aliaque gravissima indignatione feriendis.

FOR-

FORMVLA COMITIVAE FORMARVM VRBIS:

A V C T O R E

MAGNO AVRELIO CASSIODORO

V. C.

Quamvis Romulea fabrica conlata sibi vix possint pracipua reperiri (quia totum id admiratione nosci.ur exquisitum , quod ibi cernitur esse fundatum) tamen interesse arbitramur , quod utilitas necessaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum causa commendat . Traiani forum vel sub assiduitate videre miraculum est. Capitolia celsa conscendere, hoc est, humana ingenia superata vidisse . Sed numquid per ea vivitur, aut corporis salus aliqua inde delectatione recreatur? In formis autem Romanis utrumque pracipuum est, ut fabrica sit mirabilis , & aquarum salubritas singularis . Quod enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur , naturales credas alveos soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis , tot seculis firmiter potuit sustineri . Cavati montes plerumque subruunt, meatus torrentium dissipantur, & opus illud veterum non destruitur, si industria suffragante servetur. Respiciamus certe , aquarum quantum Romanis mœnibus prastat ornatum . Nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quadam aquora non haberet ? Currit aqua Virgo sub delectatione purissima , qua ideo sic appellata creditur , quod nullis sordibus polluatur: nam cum alia pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hac aerem perpetuo serenum purissime labens unda mentitur . Quis possit talia sermonibus idoneis explicare ? Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cum ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum quasi imam vallem inrigare videatur. AEgyptius Nilus certis temporibus crescens per campos jacentes superducto diluvio aere sereno turbulentus exastuat: sed quanto pulchrius est, Claudiam Romanam per tot siccas montium summitates lavacris ac domibus liquores purissimos , fistularum uberibus emisisse? & ita aqualiter fluere , ut numquam se possit desiderata subducere ? Ille enim dum recedit, limus est : dum venit insperate, diluvium . Quis ergo famosum Nilum Vrbis nostra fluminibus non astimet esse superatum , quando ille incolas suos aut veniendo terret, aut recedendo destituit ? Verum hac non superflua commemoratione narravimus , ut possis advertere , qualis a te diligentia perquiratur, cui pulchritudo tanta committitur. Qua de re per Indictionem illam , Comitivam tibi formarum sub magna deliberatione credidimus: ut summo studio nitaris efficere, quod tantis ac talibus rebus videris expedire . In primis noxias arbores, qua inferunt fabricarum ruinas , dum sunt quidam mœnium importabiles arietes , censemus radicitus amputari: quia nulla lasio removetur, cujus origo non tollitur . Si quid autem conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate reparetur: ne crescente defectu augeatur nobis caussa dispendii. Ductus aqua fortuna tua est, dum incolumis eris, si illa solidaveris: tantumque apud nos proficis, quantum te illi studuisse probaveris. Agat ergo peritia fidesque tua , ut & constructio fabrica inlibata permaneat, & aque distributio nulla se custodum venalitate subducat.

NO-

NOTAE
IOANNIS OPSOPOEI
AD
SEX. IVLII FRONTINI
COMMENTARIVM
DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE.

De quibus vide in Prolegomenis Cap. VI. Sect. 2. & 3.

Pagina 1. [*Sex. Iulii Frontini de Aquaeductibus Vrbis Romae Commentarius*] (*Sexti Iulii Frontini de Aquaeductibus Vrbis Romae Liber primus*) Vetus editio praefert hunc titulum, DE AQVIS QVAE IN VRBEM INFLVVNT LIBER. nec enim in duos libros, ut Florentina, & eam secuta Basileensis, hunc commentarium distribuit.

pagina 1. versu 6. [*commissae rei instigent*] (*commissae instigent*) Eadem habet *commissae rei instiges*. & statim, *reip. & imperii*.

pag. 2. ver. 6. Eadem, *omnis actus certitudinis fundamentum*.

pag. 12. ver. 1. Seneca epist. XLI. *Magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.*

pag. 13. ver. 2. [*P. Decio Mure*] (*P. Decio Murena*) Vetus editio, *P. Decio Mure*. & ita Fasti: qui tamen non xx (ut est in Frontini editionibus) sed xxx. anno post initium belli Samnitici, M. Valerium Maximum, P. Decium Murem consules ponunt. Eutropius lib. II. hist. Rom. scribit, Tito Veturio & Sp. Posthumio coss. aquam Claudiam ab Appio Claudio censore inductam esse; qui bello Samnitico bis consules fuisse reperiuntur, primum anno belli x. iterum XXIII. Sed in nostro auctore tutius est annorum numerum denario apposito explere, quam consulum nomina mutare.

pag. 14. ver. 3. Vetus editio, *cui postea agro fuit cognomen*.

pag. 14. ver. 5. [*Collegam habuit C. Plautium*] (*Collegam habuit C. Fabium*) ita tres editiones, at Livius & tabulae Capitolinae Appio C. Plautium collegam adscribunt. Livius lib. IX. *Censura clara eo anno Appii Claudii & C. Plautii fuit: memoriae tamen felicioris ad posteros nomen Appii, quod viam munivit, & aquam in urbem duxit: eaque unus perfecit, quia ob infamem atque invidiosam senatus lectionem verecundia victus collega magistratu se abdicaverat. Appius jam inde antiquitus insitam pertinaciam familiae gerendo, solus censuram obtinuit.*

pag. 14. ver. 6. Vetus editio nomen *aquae* omittit: & mox legit: *Sed is se intra* &c. *abdicavit a censura: nomen* &c.

pag. 15. ver. 6. Eadem non agnoscit vocem *hujus*.

pag. 17. ver. 1. [*Iungitur ei ad Spem veterem*] (*Iungitur ei ad Anionem veterem*) Hic infra aliquoties *Anionem* & *Anionis*, ubi vetus more aliorum auctorum *Anienem* & *Anienis* per *e* flectit.

pag. 21. ver. 2. Vetus habet, *ad miliarium unum*.

pag. 21. ver. 6. [*sub Publicii clivo ad Portam*] (*vico Publicii ad Portam*) In veteri editione legitur, *vico publico Publicii alveo ad portam*.

pag. 23. ver. 1. [*Spurio Carvilio, L. Papirio coss. iterum*] (*Spurio Carbilio, L. Papyrio coss. Item*) in vetere est, *Spurio Clavisio, L. Papyrio coss.* male. recte in Florentina Iocundi, *Sp. Carvilio, L. Papirio coss.* ut ex Livio & Fastis liquet. Quod mox sequitur *Item*, videtur ad praecedens *coss.* pertinere, & vel *iterum* scribendum esse, vel II. in secundum enim illorum con-

consulatum tempus notatum cadit.

pag. 23. ver. 4. [................] (*prætor edidit*) vetus editio habet, *prætor edidit*. forte *edixit*, ut in suo lib. ex conjectura notaverat Pithœus.

pag. 26. ver. 1. [*rivus est subterraneus passuum XXXXII millium DCCLXXVIIII.*] (*rivus est subterraneus passuum XLIII millium CCXCVII.*) variat passuum numerus in vet. edit. sic, *rivus est subterraneus passuum XLVII. millium DCCLXXVIIII.* & postea pag. 30. ver. 3. *sestertium mille & octingenties*.

pag. 32. ver. 5. Vetus editio legit *post annum x.* sed cum fastis non congruit.

pag. 32. ver. 6. [*vicisse gratiam Marcii Regis*] (*vicisse gratiam Marci Titii*) in eadem legitur, *vicisse gratiam Q. Martii Regis*. Quam lectionem stabilit, & rem ipsam refert Plinius nat. hist. lib. XXXVI. cap. XV. *Sed dicantur vera æstimatione invicta miracula, quæ Q. Marcius rex fecit. Is jussus a Senatu aquarum Appiæ, Anionis, Tepulæ ductus reficere, novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit.* Idem lib. XXXI. cap. III. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio urbis, Marcia est, inter reliqua deum munere urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeja, fons autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum. transit Marsos & Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit IX. M. P. fornicibus structis perducta. Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in prætura. Rursusque restituit M. Agrippa.*

pag. 34. ver. 1. [*Sublacensi*] (*villa Sublacensi*) forte, *via Sublacensi*, ut pag. 52. ver. 7. & pag. 56. ver. 1. vetus habet *vi. Sublacensi*.

pag. 34. ver. 3. [*ad milliarium XXXVI*] (*ad milliarium trigesimumoctavum*) vetus editio, *ad milliarium* XXXIIII. & statim, *fiunt a supra terram substr.* Item, *Propius urbem ad VII. milliarium*.

pag. 36. ver. 3. [*Hypsæo*] (*Hipsæpone*) *Hypsæo*, non *Hipsæpone*. leg. ut est in Fastis Siculis, apud Orosium, & Valerium Max. lib. IX. cap. V.

pag. 38. ver. 1. [*Imperatore Cæsare Augusto II, L. Volcatio coss.*] (*Imperatore Cæsare Augusto, M. Lelio Volcatio coss.*) vetus editio, *imp. Cæs. Aug. Messalla, L. Volcastro coss.* vacat *Messalla*: reliqua ita scribenda erunt, *Imp. Cæs. Aug. L. Volcatio coss.* Dione & Cassiodoro suffragantibus.

pag. 39. ver. 2. [*millium passuum duum*] (*millium passuum XII*) vet. edit. *millium passuum II. ulterius proprias* &c. Mox, *longitudinem passuum VII. millium CCCCXXVIII. reliquo opere* &c.

pag. 40. ver. 8. Vetus editio *Traba* scriptum habet, & paulo post *Tabra*.

pag. 43. ver. 4. [*cui caussa insolitam abundantiam debeant*] (*cujus causa insolitam abundantiam habeant*) *cui causæ insolitam abundantiam debeant*, legitur in vet. ed.

pag. 44. ver. 1. [*cura compluribus*] (*cura cum pluribus* abundat præpositio *cum*, nec habetur in vet. editione. ver. 3. In libro viii doctiss. P. Pithœi annotatum, *jam tertium Censor*. Sentii collegam P. Lucretium vocari scribit Cassiodorus, Dio Q. Lucretium.

pag. 45. ver. 2. [*dies, quo primum in Urbe responderit, V. Idus Junias invenitur*] (*Dies, quo primum in urbem responderit V. iduum Junii invenitur*) vetus edit. *perduxit; quo primum in urbem responderet, v. idus Junii. Invenitur.* &c. Mox, *virginem pictam ostendit*. Plin. lib. XXXI. cap. III. *M. Agrippa Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo II. M. passuum Prænestina via.* Vide eundem lib. XXXVI. cap. XV.

pag. 46. ver. 5. [*adjuvatur: & cum pluribus aliis acquisitionibus*] (*Adjuvatus ex compluribus aliis acquisitionibus*) alii legunt, *Adjunctis ex compluribus aliis locis acquisitionibus*.

pag. 48. ver. 3. duæ istæ dictiones *ad irrigandum*, desunt in vet. edit.

pag. 49. vers. 5. Plin. lib. XXXVI. cap. XV. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare, & peracti a Claudio. Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus sestertium ter millies.* Suetonius in Claudio cap. XX.

pag. 51. ver. 1. [*Sulla & Tutiano*] (*Sulla & Tutiano*) vetus editio, *Suilio, & Titiano cons.* quæ lectio verior videtur ea quam Iocundus reposuit, *Sulla & Tutiano coss.* nam Tacito teste C. Antistius & M. Suillius hoc anno consules fuerunt.

pag. 52. ver. 5. [*alias omnes præcedit: priori Anioni cognomentum Veteri adjectum*] (*& quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adjectum*) vetus editio, *& quod alias omnes præc. priori Anieni cogn. veteris adjectum*.

pag.

pag. 54. ver. 9. In vetere edit. legitur, *a VI. milliario*. Iterum pag. 56. ver. 2. *concipitur ex flumine*, ut supra, *Claudia concipitur ex fontibus*. pag. 57. ver. 1. Eadem habet *liqueretur*, id est limum deponeret, ut *Frontinus infra* loquitur. pag. 57. ver. 2. Plinius lib. xxxi. cap. 3.

pag. 58. ver. 5. [*a VII milliario*] (*a XII milliario*) *a vii. milliario* habet prima editio.

pag. 59. ver. 2. Vetus editio legit, *longitudines quoque rivorum aquæ ductus, & profectus operum complecti*. Et pag. 61. ver. 2. *delibrare*, ut simplex *librare* infra.

pag. 62. ver. 1. [*quædam erigi*] (*quædam sic eniti*) Abest a vet. editione verbum *eniti*. Iocundi editio in erratis *eniti* reponit pro *ire*. quæ mox pag. 63. ver. 5. monet legendum, *nondum ad subtile explorata* (in Editione autem Opsopœi legitur, *nondum subtili explorata*)

pag. 64. ver. 7. Vetus editio *trajiciatur*. rectius *trajicitur*.

pag. 65. ver. 3. [*erigeretur*] (*veteres exigentur*) mendum est in *veteres exigentur*. in P. Pithœi codice illud asterisco notatur, hoc in *erigeretur* vertitur.

pag. 66. ver. 8. [*venis*) *hæ*] (*venis &*) conjunctio *&* post *venis*, vel delenda est, vel in ejus locum ex vet. edit. substituendum, *hæ res*.

pag. 67. ver. 5. vetus legit, *Prior tamen pars Iul. ad speciem veterem*, & paullo post *ad speciem veterem transfert*. Spes tamen vetus ab antiquariis in V. Vrbis regione Esquilina dicta locatur. Mox in Pithœi lib. notatum est *Cælii* pro *celii* fortassis scriptum.

pag. 69. ver. 1. Vetus editio hie & postea aliquoties habet *hortos Plancianos*, ut est apud Sex. Rufum, & P. Victorem de regionibus urbis.

pag. 70. ver. 3. [*finitur*] (*initur*) eadem *oritur* legit pro *initur*.

pag. 77. ver. 1. Non aliena videtur lectio veteris editionis, *secundum fontem Scipionum*. hunc enim in eadem, qua campus Martius, regione fuisse constat.

pag. 77. ver. 3. [*infra clivum Publicii. Alsietinæ Ductus post Naumachiam*] (*infra clivum Publicii Alsi, & inde eductus est in Naumachiam*) vetus editio hanc refert scripturam, *infra clivum publicum alsietinæ, & inde ductus Naumachiam*. Florentina vero, *infra clivum Publicii alsi, & inde est inductus naumachiam*. utraque comparata, verisimilior hæc videtur, *infra clivum publicum* (vel *Publicii*) *Alsietinæ ductus est in Naumachiam*.

pag. 79. ver. 7. [*in ....*] (*in pupula*) vetus editio habet, *in pupulatita hac ob*.

pag. 83. ver. 4. [*substantia*] (*substantiæ*) loco *substantiæ*, Florentina editio legit *sub specie*, vetus *specie*.

pag 86. ver. 7. Pro *lumine*, & *luminis* in veteri scribitur *limine*, & *liminis*, semel tantum *lumen*.

pag. 100. ver. 5. [*quotiens ex altiore loco venit*] (*quoties ex erogatorio venit*) Iocundus lacunam veteris editionis ita supplevit, *quoties ex erogatorio venit*: sed melior fortasse est conjectura Pithœi lib. adscripta, *quoties ex altiore loco venit*. mox enim sequitur, *quoties vero ex humiliori* &c.

pag. 108. ver. 7. [*Fistula Octonaria diametri*] (*fistula octodiametri*) vetus legit, *fistula octonaria diametri* &c. & deinde *digitos vii & viii*.

pag. 112. ver. 2. [*Aquæ, ut Principum Commentariis*] (*aquarum principium commentariis*) Forte leg. *aquarum principum commentariis comprehensarum*. Infra pag. 141. ver. 10. *major copia quam erat in principum commentariis*.

pag. 126. ver. 4. [*nunc est Cejonii Commodi*] (*nunc est ceroni commodi*) placet conjectura Pithœi libro adscripta, *Cejonii Commodi*. L. Cejonius Commodus Verus consulatum gessit anno ab V. C. DCCCXXIX. vetus editio addit, *qui nunc Beron cognominatur*.

pag. 139. ver. 3. [*quo alio modo manifestius probem, quam quod in erogatione &c.*] (*quo non alio modo manifestius probem, quam erogatione &c.*) vetus editio sic legit, *quonam modo manifestius pr. qu. er. ips. commentariorum: major pars earum continebatur quinariarum IIII. millibus CCXI. In eisdem* &c.

pag. 142. ver. 2. [*tota deinceps æstate durantem exploravi*] (*tota est, deinceps æstate durante explor. erit*) In vetere edit. reperitur, *tota deinceps æstate durantem explorari*.

pag. 144. ver. 1. [*vel ad Hortorum usum itinera suspendant*] (*vel ad hortorum usum subserviant, vel ad itinera suspendant*) membrum hoc, *vel ad itinera suspendant*, non legitur in vetere edit.

pag. 145. ver. 6. [*numerandum*] (*mirandum*) Pro *mirandum*, forte *numerandum* scripserat Frontinus.

pag. 145. ver. 8. In vetere est *producerentur*, & statim *produxit*. Sic supra, *Quæ ratio moverit Augustum producendi Alsietinam*.

pag. 146. ver. 5. *confectam* habent omnes editiones, attamen *conjectam* forsan non improbandum.

pag. 160. ver. 2. [*nam sumuntur*] (*nam sumitur*) in veteri editione legitur, *nam mutantur ex flumine*. forte *mutuantur*. Mox, *mobili tamen*.

pag. 163. ver. 2. [*quo interior excipitur*] (*quo interiore excipitur*) vetus editio, *quo interior accipitur*; Florentina, *quo interior excipitur*.

pag. 168. ver. 5. [*eorumque operum probandorum curam fuisse penes Censores aliquando, & AEdiles; interdum etiam Quæstoribus eam provinciam obvenisse, ut apparet ex S.C. quod factum est C. Licinio, & Q. Fabio coss.*] (*eorumque operum probandorum curam fuisse per Censores aliquando & AEdiles, interdum etiam Censoribus eam provinciam obvenisse, ut apparet ex eo quod factum est C. Liciano Cesula, & M. Fabio Censoribus*) locus iste manifesto vitio laborat: cui doctissimus P. Pithœus ita mederi tentavit. *operum probandorum curam fuisse penes Censores aliquando & AEdiles, interdum etiam coss. eam provinciam obvenisse, ut apparet ex S. C. quod factum est C. Liciano Cesula, & M. Fabio coss.* At horum sive consulum, sive censorum nulla mentio est in fastis. C. Licinium Getam, & Q. Fabium Maximum anno DCXXXVIII. ab urbe condita consules, anno vero DCXLVI. censores fuisse: sed an iidem fuerint, quos Frontinus commemorat, asseverare non ausim. Quamquam Onuphrius, & Sigonius librariorum errore nomina apud Frontinum depravata, & ad fastorum normam corrigenda monent.

pag. 172. ver. 1. Forte, *quæ etiam*, vel *quin etiam*, pro *qui etiam*.

pag. 178. ver. 3. [*iisdem præterquam lictoribus uti usique &c.*] (*iisdem, præterquam lictoribus, usique &c.*) Hunc locum ita legit & distinguit Pithœi liber ex conjectura, *iisdem, præterquam lictoribus, uti. Quibus apparitoribus ex hoc S. C. curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus &c. ad ærarium deferent.* Paullo post emendat, *sine fraude sua capere liceret: usique tabulas, cartas, ceras.* (ita habet vetus editio, non *cætera*) *quæque eius curationis causa opus essent.*

pag. 186. ver. 2. [*Albius Crispus*] (*Alip us Crispus*) vetus editio legit, *Albius Crispus*.

pag. 188. ver. 8. [*Quod Q. AElius Tubero, Paullus Fabius Maximus coss. V. F.*] (*AElius Tubero, & P. Fabius Maximus O. V. F.*) Legendum videtur, *Quod Qu. AElius Tubero, & P. Fabius Maximus coss. V. F.* Simili enim forma paullo ante, & infra quoque usus est Frontinus.

pag. 188. ver. 11. [*fecisset*] (*fecisse*) scribe vel *fecit*, vel *fecisset*.

pag. 190. ver. 8. [*ab hoc*] (*adhuc*) vetus editio habet *ab hoc* pro *adhuc*.

pag. 193. ver. 1. In vetere edit. reperitur, *balneis q publice lavarent*. Forte scribendum, *balneis quibus publice lavarent*.

pag. 194. ver. 4. [*intercidere*] (*interdicere*) in eadem est *introducere*, pro *interdicere*. & mox, *aut aliis etiam*. *Humanius etiam visum*. ubi prius *etiam* retinendum, posterius delendum videtur.

pag. 199. ver. 8. [*translata in novum possessorem aqua*] (*translatæ in novum possessorem aquæ*) ex vetere editione legi posset, *translata in novum possessorem aqua*.

pag. 200. ver. 2. Forte scribendnm, *Has comperi per eum qui appellabatur a punctis, passim convulneratas omnibus in transitu negotiatoribus* (vel, ut in vetere editione est, *negotiationibus*) *præbuisse* &c.

pag. 201. ver. 2. [*quam ab Agrippa relictam Augusto*] (*quam Agrippæ Augusto relictam*) vetus ed. hanc scripturam exhibet, *quam Agrippæ ab Augusto relictam*. falso. veritati congruet præpositionis translatio hoc pacto, *quam ab Agrippa Augusto relictam*. Sed & vulgata lectio, *quam Agrippæ Augusto relictam*, commoda est, si possessivo casu nomen *Agrippæ* sumas. *Habuit* enim Agrippa (ut supra exposuit Frontinus) *familiam propriam aquarum, quæ tueretur ductus atque castella & lacus. Hanc Augustus hæreditate ab eo sibi relictam publicavit*. Vide Cassiodorum lib. III. Var. epist. XXXI.

pag. 201. ver. 7. In vet. edit. scribitur *castellanos*.

pag 203. ver. 10. [*ex* ....] (*ex hortis ædificiisve*) loco horum *ex hortis ædificiisve*, præfert vetus editio, *ex olivetis*.

pag. 209. ver. 5. Vetus editio, *combibat & siccitate corroboretur*.

pag. 211. ver. 2. [*continuatur*] (*contineatur*) leg. alii, *rursus continuetur*.

pag. 211. ver. 5. [*ni alicujus constitutione*] (*ut alicujus constitutione*) *ni alicujus const.*

pag. 214. ver. 6. [*ad reficiendos*] (*cum ad reficiendos*) V. Cl. P. Pithœus notat in

libro

libro suo superesse illud *cum videri*: & mox

pag. eadem. ver. 8. [*quinos denos pedes*] (*centenos quinos denos pedes*) P. Pithœus iterum notat, *centenos* abundare.

pag. 217. ver. 4. [*tam ii, qui jus*] (*& rursus jus*) *rursus si jus*, idem legendum existimat.

pag. 218. ver. 5. [*AEdis divi Iulii A. D. P. .... Iulias*] (*ædis divi Iulii Pe. Ro. & Iulias*) idem Pithœus in suo libro reponit, *ante diem prid. id. Iul.*

pag. 221. ver. 1. [*ducuntur sciens*] (*ducuntur, earumve quam sciens*) absunt ista, *earumve quam*, a vet. editione, quæ statim legit, *quo minus ea aqua, eorumve aquæ in urbe* &c.

pag. 221. ver. 4. [*ire, cadere, fluere*] (*ire, cadere, flui*) forte scrib. *ire, cadere, fluere*.

pag. 222. ver. 4. [*possessoribusve*] (*possessoribus, V. F.*) omnes editiones scriptum habent, *possessoribus, V. F.* unde levi mutatione Pithœus facit *possessoribusve*.

pag. 222. ver. 8. [*& celere*] (*& celare*) non est in vetere edit. *& celare*.

pag. 223. ver. 1. [*aut si Curator aquarum nemo erit*] (*si curator aquarum est, vel erit*) tam vetus quam Florentina editio legunt, *si curator aquarum nemo erit*, alioquin non incommode reponi posset, *aut si curator aquarum non est, vel erit*.

pag. 223. ver. 9. Vetus editio, *lacus & terminatus aquarum* &c. *ducentur, steteris*. Pro hoc postremo verbo quid si *sepseris*, & pro subsequente *neque*, (vel, ut est in vet. ed. *veque*) *vel* scribas?

pag. 225. ver. 1. Lege *seritve*, *vel in eum*. in vet. est *seritve*: *ve in* &c.

pag. 225. ver. 3. [*caussa præterquam quod*] (*causa præterqaam quidem*) reponendum est, *causa quæ quidem* &c.

pag. 225. ver. 4. [*Qui adversus ea quid fecerit, & adversus eum siremps lex jus &c.*] (*Qui adversas ea quid fecerit, & adversus ea repserit ex jussu &c.*) viri eruditi hunc locum ita pridem restituerunt, *Qui adversus ea quid fecerit, & adversus eum siremps lex, jus, causaque omnium rerum omnibus esse, uti que esset*.

pag. 226. ver. 4. [*pascere herbam*] (*poscere herbam*) lege *pascere herbam*.

pag. 228. ver. 2. [*pignoris capio, multæ dictio coercitioque esto*] (*pignoris captio, mulcta edici .... or utique esto*) hæc lacuna sic videtur expleri posse, *pignoris captio, multæ dictio coercitioq. esto*.

pag. 229. ver. 6. [*hac Lege nihilum rogator*] (*hac lege nihil abrogato*) legendum & hic & paulo post, *Ejus hac lege nihil abrogatur*.

NOTAE
PETRI SCRIVERII
AD
SEX. IVLII FRONTINI
COMMENTARIVM
DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE.

De quibus vide in Prolegomenis Cap. VI. Sect. 4. & 5.

PAg. 13. ver. 2. [*P. Decio Mure*] (*P. Decio Murena*) Alias *P. Decio Mure*.

pag. 14. ver. 1. [*XXXI*] (*XX*) *XXX*.

pag. 14. ver. 6. [*C. Plautium*] (*C. Fabium*) Alii *C. Plautium*.

pag. 17. ver. 1. [*Iungitur ei ad Spem veterem in confinio Hortorum Torquatiunorum, & .... Ramus Augustæ*] (*Iungitur ei ad Anionem veterem in confinio hortorum Torquatiunorum Alsietinæ Augustæ ramum*) Alias *Iungitur e. a. A. v. i. c. h. Torquatianorum Alsietinæ Augustæ ramus ab milliario ....*

pag. 21. ver. 6. [*sub Publicii clivo ad Portam*] (*vico Publicii ad portam*) Alias *vico publico Publicii alveo ad portum*.

pag. 23. ver. 2. (*iterum*) Ita legendum.

pag. 30. ver. 3. [*IIII & octogies*] (*IV & octingentu*) Al. *IIII & octingenties*: item *mille & octingenties*.

pag. 32. ver. 7. [*Marcii Regis*] (*Marci Titii*) Alias *Q. Martii Regis*.

pag. 34. ver. 1. [*Sublacensi*] (*villa Sublacensi*) *via Sublacensi*.

pag. 36. ver. 3. [*Hypsæo*] (*Hipsapono*) Alii *Hypsæo*.

pag. 38. ver. 1. [*L. Volcatio*] (*M. Lelio Volcatio*) Alii *L. Volcatio*.

pag. 40. ver. 6. [*DXXVIII*] (*MDXXVIII*) *DXXVIII*.

pag. 43. ver. 4. [*cui caussæ*] (*cujus caussa*) Alias *cui caussa*.

pag. 44, ver. 3. (*Consul*) Alii *Censor*.

pag. 44. ver. 4. [*Q. Lucretio*] (*Sp. Lucretio*) Alii *P. Lucretio*. Alii *Q. Lucretio*.

pag. 45. ver. 3. [*Idus*] (*Iduum*) *Idus*.

pag. 46. ver. 3. (*pictura*) *pictam*.

pag. 47. ver. 12. (*ne quid*) Alias *ne quis*.

pag. 48. ver. 10. [*CLXXII*] (*LXXII*) Alias *CLXXII*, & *CLXII*.

pag. 51. ver. 1. [*Sulla & Titiano coss.*] (*Sulla & Tutiano coss.*) Alias *Suillio & Titiano coss.*

pag. 59. ver. 2. (*cujusque Ductus etiam per species operum*) Al. *aquæductus*, & *profectus operam*.

pag. 60. ver. 4. (*apparet*) *appareret*.

pag. 61. ver. 2. (*deliberare*) Alias *delibrure*.

pag. 63. ver. 5. [*ad subtile*] (*subtili*) Alias *ad subtile*.

pag. 64. ver. 7. (*trajiciuntur*) *trajicitur*.

pag. 67. ver. 1. [*hæ tres a Piscinis*] (*& a piscinis*) Alias *hæ res a piscinis*.

pag. 67. ver. 5. (*Prius*) Alias *prior*; ibidem (*spem*) Alias *speciem*.

pag. 68. ver. 1. [*Cælii*] (*CCLII*) Al. *CCVII*. Al. *Cælii*.

pag. 69. ver. 1. (*Pallantianos*) Alias *Pluncianos*.

pag. 70. ver. 3. [*finitur*] (*initur*) Alias *oritur*.

pag. 72. ver. 3. (*Pallantianos*) Al. *Plancianos*.

pag. 74. ver. 2. (*spem*) Alias *speciem*.

pag. 76. ver. 2. (*spem*) Alias *speciem*.

pag. 77. ver. 1. (*frontem septorum*) Alias *fontem Scipionum*.

pag. 77. ver. 3. [*Publicii. Alsietinæ Ductus post Naumachiam*] (*Publicii Alsi & inde eductus est in Naumachiam*) *Publicii Alsietinæ ductus est in N.* Vide Notas.

pag. 79. ver. 7. [*in .... observatur*]

(*in*

(*in pupula: ita hac observantur*) Alias *in pupulasitia hac obs.*

pag. 83. ver. 4. [*substantia*] (*substantia*) Alias *sub specie*, &c, *in specie*.

pag. 86. ver. 7. (*lumine*) Alias *limine*.

pag. 86. ver. 9. (*luminis*) Alias *liminis*.

pag. 87. ver. 2. (*ne in viis sæpius &c.*) Alias *in quaternis septenariis C.V. fistula excipiuntur*.

pag. 91. ver. 5. (*cum*) Alias *cur*.

pag. 91. ver. 6. (*pluribus*) Alias *plurimum*.

pag. 95. ver. 2. (*detrahunt*) Alias *deterant*.

pag. 98. ver. 3. (*exhausto Modulo*) Alias *ex angusto m.*

pag. 100. ver. 5. [*quotiens ex altiore loco*] (*quoties ex...........o*) Vide Notas.

pag. 103. ver. 4. (*induitur*) *inditur*.

pag. 104. ver. 4. (*æris*) Alias *ejus*.

pag. 104. ver. 7. [*directam ad rationem*] (*directa est ad rationem*) Alias *directam ad rationem*.

pag. 105. ver. 4. [*quas &c.*] (*quot &c.*) Alias *quod*. Alias *a quo computus capietur*.

pag. 112. ver. 3. (*Principum*) Ita legendum.

pag. 115. ver. 5. (*Spem*) Quidam *speciem*, ut aliquoties supra.

pag. 124. ver. 3. [*iuiri*] (*iri*) *inveniri*.

pag. 124. ver. 9. (*Pallantianos*) Alias *Plancianes*, ut supra.

pag. 126. ver. 4. [*Cejenii*] (*Ceroni*) *Cejonii*.

pag. 127. ver. 1. (*egi*) Alias *adegi*.

pag. 139. ver. 3. [*quo alio modo manifestius probem, quam quod in &c.*] (*quo non alio modo manifestius probem, quam &c.*) Alias *quonam modo m. p. q. e. i. commentariorum: major pars earum continebatur quinariarum IIII milibus CCXI. In eisdem &c.*

pag. 142. ver. 2. (*tota deinceps æstate durantem exploravi*) Ita legendum.

pag. 145. ver. 6. [*numerandum*] (*mirandum*) *numerandum*.

pag. 145. ver. 8. (*perduceretur*) Alias *produceretur*.

pag. 145. ver. 11. (*perduxit*) Alias *produxit*.

pag. 146. ver. 5. (*confectam*) *conjectam*.

pag. 155. ver. 8. (*Vrbis*) *VI*, *VII*.

pag. 159. ver. 11. (*naturæ est*) Alias *non est*.

pag. 160. ver. 2. [*fu untur ex flumine*] (*fumitur ex flumine*) *mut atur F. mutuantur*.

pag. 163. ver. 2. [*interior excipitur*] (*interiore excipitur*) Alias *interior accipitur*.

pag. 168. ver. 6. [*pen s*] (*per*) *penes*.

pag. 168. ver. 8. [*ex S. C. quod factum est C. Licinio, & Q. Fabio coss.*] (*ex eo, quod factum est C. Liciano Cesula, & M. Fabio Censoribus*) *ex Senatusconsulto, quod factum est C. Licinio Geta, & Q. Fabio coss.* Vide Notas.

pag. 172. ver. 1. (*qui jam*) *qui etiam*.

pag. 172. ver. 4. (*familiam propriam, Aquarum quæ*) Alias *familiam propriam aquarum, quæ* &c.

pag. 173. ver. 7. (*Curatorem*) Alias *auctorem*.

pag. 178. ver. 2. [*ejusdem rei*] (*ejusdem*) *ejus rei*.

pag. 179. ver. 1. (*utique quibus Apparitoribus ex hoc S. C. Curatoribus Aquarum uti liceret*) *uti quibus Apparitoribus ex hoc S. C. Curatoribus aquarum uti liceret*.

pag. 179. ver. 4. [*deferrent*] (*deferrentur*) *deferrent*.

pag. 179. ver. 5. [*mercedes*] (*mercede*) *mercedem*.

ibidem [*dando*] (*danda*) *dando*.

pag. 179. ver. 7. (*facere*) *capere*.

pag. 179. ver. 8. (*ceteraque quæ*) *cæteraquaque*.

pag. 179. ver. 9. [*essent*] (*esset*) *essent*.

pag. 180. ver. 1. (*si iis videbitur*) *si videbitur*.

pag. 180. ver. 2. [*qui ærario præsint ea præbenda locent*] (*qui ærario præsint, & præbenda locent*) *qui ærario præsunt præbenda locent*.

pag. 186. ver. 2. [*Albius*] (*Alipius*) Alias *Albius*.

pag. 188. ver. 9. [*COSS. V. F.*] (*O. V. F. COSS.*) *COSS. V. F.* sic supra semel, & infra quater.

pag. 189. ver. 11. (*perducerentur*) Alias *producerentur*.

pag. 189. ver. 12. (*capere*) Alias *cupere*.

pag. 190. ver. 8. [*ab hoc*] (*adhuc*) Alias *ab hoc*.

pag. 190. ver. 12. [*subjectum*] (*subjiciendum*) Alias *subjectum*.

pag. 191. ver. 1. [*Paullus Fabius Maximus*] (*Q. Fabius Maximus*) *P. Fabius M.* sic supra, & infra in Senatusconsultis.

pag. 193. ver. 7. [*oportere*] (*oporteret*) *oportere*.

pag. 194 ver. 4. [*intercidere*] (*interdicere*) Alias *introducere*.

pag. 195. ver. 11. (*nam*) Alias *non*.

pag. 195. ver. 12. [*effluere*] (*affluero*) Alias *effluere*.

pag. 199. ver. 8. [*translata in novum possessorem aqua*] (*translatæ in novum possessorem aquæ*) Al. *translata i. n. p. aqua*.

pag. 200. ver. 3. [*convulneratas*] (*convulneratis*) *convulneratas*.

pag. 200. ver. 4. (*negotiatoribus*) Alias *negotiationibus*.

pag. 201. ver. 2. (*quam ab Agrippa relictam Augusto*) Ita legendum.

pag. 201. ver. 3. (*CCXXXX*) Alias *CCLX*.

pag. 201. ver. 7. (*Castellarios*) Alias *castellanos*.

pag. 203. ver. 10. [*ex ...., qua*] (*ex hortis ædificiisve, quæ*) Alias *ex olivetis, quæ*.

pag. 204. ver. 2. (*CCL millium*) Alias *CC millium*.

pag. 204. ver. 9. (*eroganiur*) Alias *erogabantur*.

pag. 204. ver. 12. [*divertemus*] (*divertimus*) Alias *divertamus*.

pag. 206. ver. 7. [*Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non interpellato*] (*Vitia autem ejusmodi, aut talia sunt, ut non interpellato*) Alias *Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non interpellato* &c.

pag. 209. ver. 5. (*& in unitate corroborentur*) Alias *& siccitate corrob.*

pag. 211. ver. 2. [*continuatur*] (*contineantur*) Alias *continuatur* & *continuetur*.

pag. 211. ver. 5. [*præparatio, ni alicujus*] (*præparatio, ut alicujus*) Alias *præparationi alicujus* F. *præparatio, ni alicujus*.

pag. 215. ver. 5. [*exciderentur*] (*extirparentur*) Alias *exciderentur*.

pag. 218. ver. 5. (*AEdis Divi Iulii*) Vide Notas.

pag. 221. ver. 1. [*ducuntur sciens*] (*ducuntur earumve quam sciens*) Alias absunt ista, *earumve quam*.

pag. 221. ver. 3. (*earumve qua*) Alias *eorumve aqua*.

pag. 221. ver. 4. [*fluere*] (*flui*) Alii *fluere*.

pag. 222. ver. 4. [*possessoribusve aqua data*] (*possessoribus V. F. aqua data*) *possessoribusve aqua data*.

pag. 222. ver. 8. [*& celero*] (*& celare*) Alias absunt ista, *& celare*.

pag. 223. ver. 9. (*aquarum publicarum &c. eo loco*) Aliter hæc in aliis. Vide Notas.

pag. 225. ver. 1. [*ferit, neve in eum*] (*feritve vel in eum*) Ita legendum.

pag 226. ver. 1. [*adversus eum siremps lex, jus, caussaque omnium rerum omnibusque esto, ut qu... esset*] (*adversus ea repseris ex jussu c. usa ue omnium rerum omnibus esto damnas utique atque uti esset*) *adversus eum siremps lex, jus causaque omnium rerum omnibus esto utique esset*.

pag. 228. ver. 1. [*excodicentur*] (*excorticentur*) *excodicentur*.

pag. 228. ver. 2. [*multæ dictio, coercitioque esto*] (*multa edici ....or utique esto*) *multæ dictio, coercitioque esto*. Vide Notas.

pag. 229. ver. 2. (*esto .... quominus*) Nihil hic videtur deesse.

pag. 229. ver. 6. [*hac Lege nihilum rogator*] (*ejus hac lege nihil abrogatur*) Ita legendum & hic & infra.

pag. 231. ver. 4. (*In reliquo vero opto; ne executio Legis necessaria sit*) Alias *in reliquo vero opere executio n. s.*

VA-

VARIAE LECTIONES A IOSEPHO SCALIGERO *ADSCRIPTAE AD ORAM* COMMENTARII SEX. IVLII FRONTINI DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE.

De his vide in Prolegomenis Cap. VI. Sect. 4. & 8.

PAg. 30. ver. 3. [*octogies*] (*octingentis*) octingent.

pag. 34. ver. 4. [........] (*flagnino*) fignino.

pag. 36. ver. 3. [*Hypsæo*] (*hipsapone*) Hipsæo.

pag. 64. ver. 5. [*vallium*] (*vallus*) vallium.

pag. 79. ver. 7. [........] (*pupula*) Apulia.

pag. 167. ver. 9. [*Redemptoribus*] (*quæ redemptoribus*) aquæ redemp.

pag. 179. ver. 4. (*Prætores ærarii*) præfecti pr.

pag. 206. ver. 4. [*eæ , quæ per flumen*] (*eæque per flumen*) quæ per flumen.

pag. 226. ver. 1. [*siremps lex , jus causaque*] (*repserit , ex jusin causaque*) siremps lex jus caussaque.

pag. 228. ver. 2. [*dictio coercitioque*] (*edici ....or uti quæ*) dictio utique.

pag. 229. ver. 7. [*nihilum rogator*] (*nihil abrogato*) nihilum rogator.

pag. 230. ver. 2. [*rogator*] (*rogatio*) rogator.

NOTAE ROBERTI KEVCHENII AD SEX. IVLII FRONTINI COMMENTARIVM DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE.

De quibus vide in Prolegomenis Cap. VI. Sect. 4. & 9.

PAgina 1. versu 6. (*sitque mihi nunc ab Nerva Augusto*) Quærunt eruditissimi Viri, quorum opera ac judicio partim Frontino lux allata; num *Aquæductuum* Vrbis Romæ Commentarius præter cætera Fragmenta ejusdem Frontini sit, qui Strategematum libros congessit. Quorum opinionem Cl. Rubenius accurate in Lectis suis de utroque opusculo meritus, non sine causa, ut ait, videtur amplexus. Purior enim & emendatior in illis sermo est, & dictionis venustas. At si sub Nerva floruit,

ut

ut aperte præter ipsum con... .at & Ælianus Proœmio libelli de instruendis Aciebus: *ἐπεὶ δὲ τῷ Θειῷ πατρί σου Νέρβᾳ συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῷ ἐπισήμῳ ὑπατικῷ ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα, δόξαν ἐπενηνεγμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν, συμβαλών τ' ἀνδρὶ εὗρον οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην οὐκ ἔτι περιφρονεῖν τῆς τακτικῶν συγγραφῆς, οὐκ ἂν σπουδάζεσθαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν αὐτήν, εἴπερ τι χεῖρον ἐδόκει τῆς ῥωμαϊκῆς διατάξεως περιέχειν αὐτήν*, &c. quid obstet, quominus idem Scriptor Strategicus & Aquarum Præfectus fuerit, qui libellum hunc de Aquæductibus Urbem Romam influentibus edidit, obscure video. Sed altius ad acumen indaganda sunt Æliani verba. Ait, apud Frontinum V. C. & peritiæ bellicæ laude clarissimum, qui sub Nerva Adriani Patre floruit, se per aliquot dies in Formiis egisse, & collatis cum eo sermonibus comperisse, non minus illum studio teneri disciplinæ Tacticæ Græcis usitatæ, quam Romanorum instructione, qua deterius quid minusve videretur contineri. Certo certius est, illum quidem alloquio ad Adrianum non alius Frontini meminisse, quam Consulis istius Strategematum Authoris, quorum libri superstites etiamnum exstant, & quos idem optimo Principi Trajano dicavit. Secus ac Stevvechio visum, qui alios de militari disciplina libros eidem dedicatos opinatur sub fine lib. II. cap. III. Commen. in Vegetium. Nam Nervæ ac Trajani temporibus præcipue in pretio fuit, quod & alibi Volaterranus Commentar. Urban. lib. XVI. non obscure subindicat, & qui totam hanc nostram litem uno loco dissecat: *Iulius Frontinus ad Trajanum libros quatuor Strategematum scripsit, & de Aquis Urbis.* Nec alius Frontini mentionem fieri apud antiquos puto, quam unius ejusdemque nostri, qui Strategematum nimirum, Aquarumque libellos congessit; & cujus etiamnum Fragmenta restant de Qualitatibus Agrorum, Limitibus, maximam partem mutila ac inquinatissima, variisque consuta segmentis. Scripsit idem de Coloniis opusculum, sed quod hodie diversum exhibetur, ac ejusdem farinæ fragmentis interpolatum, ab Amplissimo Viro P. Scriverio cum reliquis primum ex membranis editum. Falluntur etiam illi, qui ulterius disquirendum contendunt, an Urbanus ille Prætor, cujus Tacitus lib. IV. Historiarum meminit, ad Vespasiani II. & Titi Consulatum, qui in annum Urbis incidit IↃCCCXXIII. idem cum nostro Frontino sit: quam & opinionem non exiguum scrupulum plerisque quidem non mediocriter doctis injecisse memini. Nunc audiamus Carolum Sigonium Syllabo historicorum Romanorum: *Sex. Iulius Frontinus Strategematum libros conscripsit, in quibus ex omnibus historicis exempla in certos locos destinata* (valet *distincta*) *enumerat copiose, & magna cum utilitate: licet pleraque librariorum errore inepte sunt repetita. Nervæ & Trajani temporibus vixit*. Quæ verbotenus, ut multa alia, ἔπος πρὸς ἔπος in suum apparatum ad omnium gentium historiam transtulit Antonius Possevinus, Sect. III. cap. IV. Ceterum, quod heic asserimus, id tam dilucidum ab aliis contestatum fuit, ut mirum sit, in aliam sententiam vergere Viros eruditissimos. Vide quæ Iohannes Maria Catanæus observat ad Plinii Cæcilii Secundi Epistolas, item Stephanus Vinandus Pighius Annalium Romanorum libro XIIX. Nam quæ nobis adducta sunt, eorum sublesta fides esset, ni major veri ratio ex antiquitate historiarum collucceret.

pag. 2. ver. 3. (*administratum per principes semper Civitatis nostræ Viros*) Qui vocabantur *Aquarum Curatores*. In veteri lapide sculptum: CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIAE. CVR. ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. Primo tamen appellati sunt *Curatores operum publicorum*: deinde in plures *διακονίας ἐπιμελείας* divisi, specialiter *Aquarum Curatores*. Hi, sicut ceteri omnes, qui curam aliquam publice curabant, non magistratus erant, sed quasi magistratus, uti vocantur a nostro Frontino, qui & ipsum Agrippam primo per servos suos privatos hæc fecisse, eamque familiam Augusto morientem legasse tradit. Vide ipsum Frontinum infra, & Fragmenta lib. II.

pag. 3. ver. 2. [*posse decerni*] (*posse decernere*) Valet *discernere*, quod ad oram veteris notatum.

pag. 4. ver. 8. (*nomina primum Aquarum, quæ in Urbem Romam influunt, ponam*) Scriptus *promam*; quod elegans quidem verbum est & huic loco communicatissimum. Placet tamen editum. Infra: *Persecutus ea,*

quæ

quæ de modulis dici fuit necessarium ; nunc ponam , quemadmodum quæque aquarum Principum commentariis comprehensarum , usque ad nostram curam habere visa sit . Alii : *pandam*, hoc modo : *quæ in urbem Romanam influunt, pandam*. Nullo negotio.

pag. 6. ver. 2. (*postea altitudinem cujusque, modulorumque rationem*) Parum sibi constant in altitudine subterraneorum meatuum & fornicum veteres Scriptores. Procopius altitudinem definit tantam, ut eques per eos fornices opportune posset transire. Frontinus infra ; *sublevatos ad centum & novem pedes fuisse* ait. Strabo Amasenus lib. V. οἱ ὑπόνομοι συνὶ τίμω λίθω καρακαμφθέντες ὁδοῖς ἀμάξεις χόρτε πορθμοῖς. Immo cameratos arcus *urbis montes altitudine exæquasse* loquitur Plinius lib. xxxvi. cap. xv. Rutilius :

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicam crevisse ad sidera montes,
Tale gyganteum Græcia laudat opus.
Intercepta suis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

Sic hi versus legendi sunt, qui mendose libris antiquis exhibentur, præsertim ultimo hexametro:

Intercepta suis fundantur flumina muris.

Alludit elegantissimus Poeta ad illud, quod de Græciæ Pyramidibus infra Frontinus exclamat : *Tot aquarum, tam multis necessariis molibus, Pyramides videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata opera.*

pag. 9. ver. 1. (*quantum Muneribus (ita enim cultiores appellant)*) Florentina, quam typis editam vidimus ab Iunta, perperam exhibuit : *ita enim cultiores appellantur* : At melius Onuphrius & Scriverius, ut edidimus. Verum obiter notamus significationem *muneris* rariorem, quod non vocabulum de vulgo est, sed eminentioris dignitatis. Vocabant illud administrationem reipublicæ, & curam imperii, quod plebis universæ totiusque populi comitiis delatum, ac mandatum erat.

pag. 11. ver. 1. (*Ab Urbe Condita per annos CCCCXLI. contenti fuerunt Romani usu aquarum*) Dubitare nobis hoc quidem in loco occurrit, utrum eo anno CCCCXLI primum Aquæductuum usus Romæ introductus fuerit, & ab Appio Claudio censore, qui sternere vias instituit, hoc quoque bonum inventum? Hujusmodi opinionis est de mirandis Romanorum optime & accuratissime meritus, μακαρίτης Iustus Lipsius in libro III. cap. XI. de magnitudine Romana, cui non possum ego quin debeam dissentire. Quippe ab Anco Martio primam aquarum in urbem derivationem introductam, Plinius Secundus lib. XXXI. cap. III. videtur innuere : & ex aliis probabilibus authoribus evidentissimum est, præsertim Dionysio Halicarnasseo, accuratissimo Scriptore rerum Romanarum. Ait Paulus Iurisconsultus Titulo D. *Ne quid in loco publico fiat* : quadam lege: *Si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit privato actio ex lege XII. Tabularum, ubi noxæ domino caveatur*. Quod si verum est, diu datæ a Decemviris leges ante annum quadringentesimum & primum supra quadragesimum ; nisi forte dicamus, decemvirales tabulas de *aquagio* non de *aquæductu* intelligi debere, quod in optimis Glossis exponitur ὑδραγώγιον. Festus : *Aquagium, quasi aquæ agium, id est aquæductus appellatur*. Obiter emendamus Savolenum in lege nona D. *Quemadmodum servitus amittatur. Aqua si in partem agri influxit*. Perperam ; legendum : *Si in partem aquagii*. Ut existumem, aquæductum esse arte quadam & manu hominum absolutum opus ; aquagium, naturalem veluti alveum, aut canalem fontis. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Cæterum Vir doctissimus aliena interpretatione nostri Scriptoris hallucinatus videtur, ut alias ex professo demonstrabimus.

pag. 12. ver. 1. (*Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat, & colitur*) Seneca epist. XLI. *Magnorum fluminum capita veneramur ; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet : coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit*. Plinius videndus de Clitumno, libro IIX. & de lacu vadimonis : *Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ*. Nec antiqui Romani solum, sed omnis gentilium vetustas fontibus & fluviis divinitatem aliquam assignavit. Unde ἱεροὶ ποταμοί, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Eustathius ad librum secundum Odyss. Et Persæ tam ὑδρολάτραι quam πυρολάτραι appellabantur. Nam & per ignem & aquam jurabant. De Græcis res nota est veteri proverbio : ἄνω ἱερῶν ποταμῶν χωροῦσι παγαί. Habes apud Laertium Diogene, & Euripidem Medea. Callimachus in Apollinem;

Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς.

Inde apud Poetas fontes dicuntur θεοῦ γένος, de quibus apud Theocritum. Colebatur

batur

batur ista fontium memoria summa cum ceremonia, cujus sacra Romanor. *Fontinalia*: Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Romæ fontinalis porta*. Immo *Fontinalis* est Dea fontium apud Tertullianum. Festus a Scaligero restitutus: *Manalis fons appellatur ab auguribus puteus perennis; neque tamen specu inciliisve cietur, quia flumen id auspicatur, quod sua sponte in amnem influit*. Ad auspicandum, inquit, flumina non prosunt, quæ ope humana, puta specu, inciliis ducta sunt: sed quæ sponte sua in amnem influunt. Loquitur de perenni auspicio: quo dicebatur, quoties quis amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. Ex sacro, hoc est capite fontis. Nam capita omnium fontium sacra. Contra quæ ex castellis aut dividiculis derivatur, non est sacra.

pag. 12. ver. 2. (*salubritatem enim agris corporibus afferre creduntur*) De fontibus Oraxi in Campania vide Plinium cap. II. libro XIIX. De Siciliæ fontibus Solinus ait, quod *calidi & salubres aliquot effervescant*, qui pluribus corporis vitiis medeantur. Strabo: θερμῶν γοῦν ὑδάτων ἐκβολὰς κατὰ πολλὰς ἔχει τόπους ἡ νῆσος. Et vetus epigramma Philippi Thessalonicensis Siciliæ ὕδατα Παιώνια & medicata mire deprædicat. Euripides apud Laertium eandem salubritatem aquæ marinæ tribuit, quam fontibus Frontinus. Extat ejus versiculus omnibus decantatus:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Varro de Nympha Iuturna a juvando dicta: *Multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent*. Idem Strabo de Cutiliensi lacu: καὶ τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθιζόντες θεραπεύουσι νόσους.

pag. 13. ver. 1. (*Claudia, Anio novus*) Passim apud veteres Claudia aqua, & Anio novus conjunguntur. In antiqua Inscriptione: TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM. TRIBVNITIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE. AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXV. ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT. *Aniem* vocatur a Catone, qui ab aliis *Anio*, & quidem duplex, Vetus & Novus: item sequiori genere, ut in Inscriptione.

pag. 13. ver. 2. [*M. Valerio Maximo, P. Decio Mure coss. anno post initium &c.*] (*Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Murena coss.*) Quidam editorum exhibent: *P. Decio Mure*. Quod in aliis etiam scriptoribus nullo discrimine meminimus observatum. Cæterum auctor De Viris illustribus aperte tradit, Appium Claudium Censorem aquam Anienem in urbem induxisse: quod omnino esse non potest. Vetus enim Anio in urbem deductus fuit primum anno V. C. quadragesimo nono post quam Appia perducta est a Curio & Fulvio Flacco Duumviris. Censor autem fuit Appius Claudius an. V. C. DXLI. Quare certum est, in Scriptore incerto *Appiam* vel *Claudiam* esse legendum: quod tamen ægre reposuerim.

pag. 14. ver. 3. (*qui & Viam Appiam a Porta Capena usque ad Urbem Capuam muniendam curavit.*) A porta Capena ad urbem Capuam: id est, ad ultimos Romanorum fines. Postmodum tamen Brundusium usque munita, sed quo curatore incertum. Horatius:

Brundisium melius Numici via ducat, an Appi?

Perduxit deinde sive C. Gracchus Tribunus, qui plerasque vias fecit, refecit: sive C. Cæsar, qui Curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: sive Augustus, de quo vetus Inscriptum: S. P. Q. R. QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT. Quæ a Scriptore Virorum Illustrium narrantur in Appii vita, vereor ut falsa sint, aut liberius excepta. Paulinus ad Cytherium:

Posthac & ad nos pergere inceptas viam,
Qua sternit aggerem silex,
Munitor Appius cui nomen dedit.

Ita indubie legendum. Vulgo inepte *cui* transpositum est, & versus claudicat:

Cui munitor Appius nomen dedit.

pag. 14. ver. 5. [*Collegam habuit C. Plautium*] (*Collegam habuit C. Fabium*) Præstat lectio, quam ad oram librorum video notatam: *C. Plautium*. Eodem modo C. Plautius in Fastis Capitolinis appellatur Appii collega, quem Venocem cognominatum tradit Frontinus, ob inquisitas aquæ venas. Vide Livium.

pag. 15. ver. 3. [*abdicavit se Censura*] (*abdicavit se a Censura*) Ob infamem atque invidiosam Senatus lectionem verecundia victus Appii collega C. Plautius, censura abdicavit.

pag. 15. ver. 4. (*qui multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur.*) Id est, prorogando extraxisse. Infra de Marco Titio:

Sed

Sed quoniam ad consummandum negotium non sufficiebat, statuit Senatus præturam in alterum annum prorogari.

pag. 16. ver. 6. [*supra terram substructione & arcuatione*] (*& supra terram opere arcuato.*) Quod arcus nimirum & fornices habet, non solidam constructionem. Hoc observatu dignissimum est, quia nihil magis obvium in Commentario Aquæductuum.

pag. 20. ver. 1. [...... *Ramus Augustæ*] (*Alsietinæ Augustæ ramum*) Ramum vocat, quem Græci κλάδον in fluviis, τὸν καταμερισμὸν τοῦ ὕδατος. Alia diverticula sunt ἐκτροπαί vel κέρατα, unde bicornes fluvii dicuntur apud Poetas: qui & crines dixerunt duas τρίχας, sive tressas pro fluminum brachiis. Varro apud Nonium: *Via una, sed ectropæ multæ.* Glossæ: *diverticulum*, ἐκτροπή, καμπὴ ὁδῶ. Inde in fluviis ἐκτροπαὶ brachia sunt, quæ ab auctore fluvio ἀποσχίζονται.

pag. 22. ver. 4. (*cum L. Papyrio Cursore gessit*) Mendose libri: *cum L. Papyrio cos.* Censuram gessit M. Curius Dentatus ad annum V. C. CDLXIIII. ut conjectat Sigonius.

pag. 22. ver. 6. (*ex manubiis de Pyrrho captis*) Non tam ad interpretationem Auctorum, qui per se plani sunt & perspicui, quam emendationem cæterorum, qui eandem historiam concinnarunt, operam nostram conferre visum est. Insigne mendum, quod & eruditissimo Andr. Schotto notatum est, jam crebrius adductum anonymum scriptorem obsedit, apud quem in M. Curio Dentato hæc expresse corrupta leguntur: *Aquam deinde Anienem manibus hostium in urbem induxit.* Quod hostium opera M. Curius Dentatus aquam Anienem in urbem induxerit, vel introduxerit, nemo puto confirmare non dubitaverit, qui majestate Romana condignum factum putet. Quare indubie reponendum: *Aquam deinde Anienem manubiis hostium in urbem induxit.* Par mendum olim observavimus ad Nepotis Cimonem: ubi perperam *navibus* pro *manubiis* reposuerunt iniqui correctores. Veteres *manubiis*, legunt, ut tribus exaratis asserimus, & Plutarcho convincimus. Sed & paria sunt in antiqua inscriptione Eboracensi: Q. SERTOR.....................
.......HONOREM. NOMINIS. SVI. ET. COHORT. FORT..... EBORENSVM. MVNIC. VET. EMER. VIRTVTIS. ERGO. DON. DON. BELLO. CELTIBERICO. DEQ. MANVBIIS. IN. PVBLIC. MVNIC. EIVS. VTILITATEM. VRB.... MOENIVIT. EOQVE. AQVAM DIVERSEIS. IN. DVCT. ...... VNVM. COLLECTEIS FONTIB. PERDVCENDAM. CVRAV. .... Cæterum non ipse Curius, sed Fulvius Flaccus, alter duumvirum aquæ perducendæ induxit: Curio mortuo intra quinctum diem quam esset duumvir creatus anno V. C. CDXXCIX.

pag. 23. ver. 1. [*Spurio Carvilio, L. Papyrio coss.*] (*Spurio Carbilio, L. Papyrio coss.*) *Carbilius* vel *Carvilius*, verum & idem Consulis nomen. Sed hoc alias legitur in antiquioribus, quibus sæpiuscule hæ duæ literæ mutantur: quod offendere non debet curiosum lectorem. Deinde τὸ *iterum* scio male quondam projectum, quod postliminio demum restituimus. Hos autem Consules iterum fuisse anno CDXXCI. ex Livii XXIV. & Capitolinis Tabulis discere licet.

pag. 23. ver. 2. [................] (*odio die edictum*) Non *addidit*. Illud species est palilogiæ, de qua nos alias.

pag. 24. ver. 5. (*supra Tibur XX. milliario*) Non puto, *Tiburnum*, quod ἀσκέπτως quidam ad marginem scripti codicis expresserat. Quanquam & *Tiburnus* & *Tiburtus* primus Tyburis conditor appelletur. A Tiburto Tiburtinus: *ubi partim in Tiburtinum distribuitur usum.*

pag. 25. ver. 2. (*ita exigente libramento*) Aqua librari dicitur, cujus altitudo peræquatur e loco unde oritur, ad locum quo ducenda est. Inde libræ aquariæ peculiariter erant factæ librandis aquis, ut αὐτόχρημα sive chorobates. Inde libra interdum altitudinem & fastigium significat propter perlibrationem aquarum. Infra: *Aquæ omnes diversa in urbem libra perveniunt*: id est, altitudine. Græci posteriores ζυγοστάτας vocabant, qui aquarum inventos ductus & modos docili libratione ostenderent; vel qui peritiam haberent aquam librandi ad libellam. Plinius libro vigesimo ad Trajanum: *Superest ut libratorem vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sit ne lacus altior mari.* Videndus omnino doctissimus Philander ad Vitruvii librum octavum.

pag. 31. ver. 3. (*dum aliis ex caussis libros Sibyllinos inspiciunt*) Obiter annotabimus istas causas, ex quibus Decemviri libros Sibyllinos inspicere consuerant, quarum vel principalis erat vis morborum sive pestilentiæ, sicut Livius diversis in lo-

cis prodidit. Lib. V. *Gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit, cujus insanabili pernicie, quando nec causa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex S. C. aditi sunt.* Idem libro septimo auctor est, pestilentiam civitatem adortam, coegisse Senatum imperare Decemviris, *ut libros Sibyllinos inspicerent.* Post Tarentinorum defectionem, religione nova carminibus Martii vatis objecta, iis explanatis S. C. factum scribit lib. XXV. *ut Decemviri libros de ludis Apollini, reque divina facienda inspicerent.* Alterum Senatusconsultum factum est, *ut Decemviri sacra Græco ritu facerent, iisque hostiis Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata.* Macrobius lib. I. Saturnal. cap. decimoseptimo, de ejusdem Martii vatis carmine loquens: *Ex hoc*, ait, *carmine, cum procurandi gratia dies unus rebus divinis impensus esset, postea S. C. factum, ut decemviri, quo magis instruerentur de Ludis Apollini agendis, reque divina recte facienda, libros Sibyllinos adirent.* Dionysius Halicarnass. lib. IV. οὐδὲν οὕτω Ῥωμαῖοι φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα, οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια θέσφατα. Χρῶνται δ' αὐτοῖς, ὅταν συμπεσόντι κατὰ πόλεμον ἢ τεράτων τινῶν καὶ φαντασμάτων μεγάλων, καὶ δυσευρέτων αὐτοῖς φανέντων, οἷα πολλὰ συνέβη. Plutarchus: ἐν αἰτίοις ἤτοι Ῥωμαικοῖς. Τῆς δὲ πράξεως δεινῆς φανείσης, ἔδοξεν, ἀναχρήσασθαι τὰ Σιβύλλεια τοὺς ἱερεῖς. Plegon in libro περὶ θαυμασίων. Δι' ἣν αἰτίαν ἡ Σύγκλητος ἐκέλευσεν, ΤΟΥΣ ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΑΣ ΑΝΑΓΝΩΝΑΙ ΤΟΥΣ ΣΙΒΥΛΛΗΣ ΧΡΗΣΜΟΥΣ. Exstat hujusmodi S. C. apud Vopiscum in Aurelio, quod, quia longius est, omisimus.

pag. 34. ver. 4 [............ *statim* .... *colore perviridi*] (*finita substructionibus pene statim stagnino colore præviridi*] Quid illud *pene*? Quod meo quidem judicio vestigium præbet alterius lectionis, quam nondum erui. Quin pene adducor ut credam, substructionum numerum aut amissum, aut penitus a typothetis omissum. Iudicent οἱ τῶν κριτικωτάτων παῖδες.

pag. 37. ver. 6. [*Postea M. Agrippa Ædilis post primum consulatum*] (*Nam Agrippa Ædilis post primum consulatum*) Dio lib. XLIX. inter alios accuratissime refert quæ ab Agrippa in ædilitate facta sunt: πάντα τὰ οἰκοδομήματα τὰ κοινὰ, πάσας δὲ τὰς ὁδοὺς, μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβὼν ἐπεσκεύασε, τάς τε ὑπονόμους ἐξεκάθηρε, &c. vide sequentia. Plinius lib. XXXVI. *A M. Agrippa in ædilitate post consulatum, per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti.* Etiam vide Suetonium Augusto.

pag. 40. ver. 1. (*divisa erogatione*) Non *rogatione*, quod quibusdam imperitis scio lectum. Erogatio est distributio nominum Iuliæ & Tepulæ,

pag. 40. ver, 7. (*Præter caput Iulia transfluit*) *Transflavit* ἀρχαϊκῶς, in optimo Florentin. Veteres enim *fluvo* dicebant & *pluvo*: inde fluvius & pluvia. *Præter caput Iulia transfluit*: hoc Græcis παραρρεῖν, ab uno latere alluere. Quod & *perfluere* Latini dixerunt ut *præducere* παρα[illegible]. Plinius lib. XIX. de hortis & hortensibus: *Riguosque maxime habendos si contingat præfluo amne*, hoc est παραρρέοντι ποταμῷ.

pag. 40 ver. 8. [*Hanc Agrippa omisit*] (*Hanc Agrippa emisit*) Ita lacus Curius a M Velino dicitur emissus Ciceroni lib. V. ad Atticum. Suetonius Iulio Cæsare: *Siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum*: ubi *emittere*, aquam extra Romam perducere, interpretatur M. Donatus.

pag. 41. ver. 3. (*modulosque certos dispensatam accipiunt*) Ad oram veteris, *modiolosque*. Sed discrimen statuendum inter modulos & modiolos, quæ duo Frontino communicantissima. Modulum vocat, mensuram in aquæductibus, per quam aqua duci solebat ex castellis seu dividiculis ad privata ædificia. Talem hoc loco intelligit in emissa ab Agrippa Crabra. De ejus mensura, quam Græci μέτρον vocant, infra melius: *Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt.* At modiolus est ὑδρεία sive κάλπις, vas aquarium ad hauriendum. Noster alibi: *Cum in erogatorio modiolo minus invenitur, in acceptorio plus; apparet, non errorem esse, sed fraudem*: ubi mendose *modulo* legitur in depravatis editis antiquioribus. Acceptorium vocat, qui puteo immersus aquam haurit; erogatorium, qui in altum elatus refundit. Ibidem lego: *Est autem calix modiolus aeneus* &c. ubi male etiam *modulus* substituitur. Quæ necessario distinguenda sunt in commentario ὑδρολογικῷ.

pag. 41. ver. 5. (*Aquarii nostri*) Non *aquarum curatores*, nec ὑδροφύλακες, sed ὑδροσκόποι, ipsi libratores. Hi vocabantur *Aquilegos* vel *aquilicos*. Glossarium: *Aquilices*, οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετεύσαντες, ποταμῖται, ὑδροσκόποι. Aliter legendus est

ille

ille locus apud auctorem Glossarii : *οἱ τὰ πάρυγρα ἐργαζόμενοι , οἷον ὀχετάριοι , ποταμῖται , ὑδροσκόποι.*

pag. 43. ver. 3. [*ignari cui caussa*] (*ignavi cujus caussa*) Vel, *cui causa*. Hoc alias legitur.

pag. 44. ver. 1. (*compluribus salientibus aquis instruxit Urbem*) In omnibus ita videas expressum . Sed illud *aquis* abundans est & superfluum , nec . ut puto , Frontino scriptum . Optimis auctoribus *salientes* sunt fontes aquarum. Ita Plinio vocantur & Vitruvio , quorum ille ad idem Agrippæ factum : *Agrippa in ædilitate sua , adjecta Virgine aqua , cæteris corrivatis atque emendatis lacus septingentos fecit , præterea salientes centum quinque , castella centum triginta ; complura etiam cultu magnifica*. Paullo infra noster: *Soles tamen ex ea* (Alsietina) *in Transtiberiana regione quoties pontes reficiuntur , & a citeriore ripa aquæ cessant , ex necessitate in subsidium publicorum salientium dari* . Vitruvius lib. VIII. *Ex ejusmodi locis & fontibus ducti sunt salientes*. Isti Salientes tubulis fistulisve aquam effundebant . Apud veteres invenio Silanos , qui basilicis *ἀναβρυτοὶ* vocantur , lapideæ formæ & imagines, ex quibus aquæ saliebant. Itaque qui glossemata sunt interpretati , Silanum *κρήνην* exponunt, seu *κρουνὸν* , id est, *τὰς ἀρχὰς τῶν ῥευμάτων* , ut melius Eustathius. Glossæ Philoxeni: *Silbanus* (lego *Silanus*: ita & perperam *Sylvani* dicuntur) *κρουνός*. In Græcanico Cyrilli *ὑδροχόον* exponitur *lacus silanus*. Obiter emendandus est Cornelius Celsus lib. III. cap. XIIX. *Confert etiam aliquid ad somnium Sillanum juxta cadens*. Quis dubitet ita mecum reponere: *Confert etiam aliquid ad somnum Silanus juxta cadens* , id est rivulus susurrans decidentium leviter aquarum. Lucretius eo alludens:

Corpora Silanos ad aquarum strata jacebant.

Quinimo *tullii* vocabantur isti Silani . Festus: *Tullios alii dixerunt Silanos, alii rivos*. Ita ibidem legendum Viri doctissimi viderunt. Ennius Ajace, Festo laudatus : *Sanguine emisso tepido tullis efflantes volant* . Ex illo Sophoclis.

——ἐπ γὰρ θερμαὶ Σύριγγες ἄνω
φυσῶσι μέλαν νέφος.

Sed & ipsi *tullii* , salientes. Papias : *Tuli , aquarum projectus*. Cæterum inepte quidam hallucinantur, qui *salientes* de figuris exponunt & ornamentis , quæ ad tubulos adhibebantur . Alii tubuli sunt, alia ornamenta tubulorum . Cujus rei ratio elegans apud Orum libro I. cap. XXI. ὅθεν καὶ τοὺς χολέδρας καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. Sic proculdubio legendus est iste locus, & ex eo restituendus, quod absurde videas expressum , καὶ τοὺς χολέδρας . Nec moveor eo, quod Dempsterus ad Rosinum χολυδάας emendandum contendat . Hesychius : χωλέρα σωλὴν, δι' οὗ τὸ ὕδωρ φέρεται ἐκ κεράμων ἐξακοντιζόμενον. Inde medicorum filiis χολέρα morbus , exponitur violenta ἔκρυσις κάτωθεν καὶ ἄνωθεν τῆς χολῆς.

pag. 46. ver. 1. (*ingentem aquæ modum invenerunt*) Alio sensu *modus aquæ* dicitur in lege trigesima secunda π. de Act. empt. & lege prima De Aqua Quotidiana.

pag. 46 ver. 2. [*hanc originem pictura ostendit*] (*hanc Virginem pictura ostendit*) Vel, *pictam*, ostendit. Hoc ὡραῖον est alterius lectionis.

pag. 46. ver. 4. (*signino circumjecto continendarum scaturiginum caussa*) Ulpianus lapideum interpretatur in lege prima π. de Rivis ; nimirum , qui e testis signinis factus esset *Si quis terrenum rivum signinum facere velit*: ubi *signatum* scio repositum, vel *siliceum* ab illis , qui metuebant antimoniam. Ego *Signinum rivum* testaceum & cementitium potius , quam lapideum interpretandum esse censeo . Intelligit autem Frontinus opus tale, quod e testis tusis ad aquas excipiendas imprimis erat utile: nam eæ testæ in signinis habebantur excellentes.

pag. 47. ver. 11. (*nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur , ne qui salubrioribus Aquis detraheret*) Quidam librorum non melius: *ne quis salubribus aquis detraheret*. De hoc Naumachiæ opere ex breviario Ancyrano hæc verba sumpsit Suetonius : *Edidit navale prælium circa Tiberim , cavato solo* (Tacitus *stagnum* vocat) *in quo nunc Cæsarum nemus*.

pag. 48. ver. 11. [*Idem Augustus in supplementum Marciæ , quotiens siccitates &c.*] (*Idem Augustus in supplementum Martiæ , aliam aquam*) Nec Augustam solum ad Martiæ rivum perduxit Augustus ; sed & omnium aquarum rivos refecit . Vetus Inscriptio , quæ Romæ visitur.

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII
TRIBVNICIAE. POTESTAT. XIX IMP. XIIII.
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT.

pag. 50. ver. 1. [*quod opus Claudius magnificum*

gnificentissime consummavit, dedicavitque, Sulla & Titiano coss.] (*quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque, Sulla & Tutiano coss.*) Lego variantibus editis: *dedicavitque Sulla & Titiano coss.* Nunc diribitoris in morem suffragia colligamus, nam priorum Consulum nulla mentio in Fastis consularibus superexstat. Pomponius Lætus edidit *Sulio & Titiano coss.* Hoc ad oram Scriverianorum video expressum. Vltimum consulare nomen indubie verum est & rectum: sed in consulatu non habuit Titianus *Sulium* collegam. Quod & miror doctissimo Viro Ioanni Obsopæo non succurrisse, qui ex Tacito Pomponii sententiam strenue videtur amplexus. In tabulis Capitolinis ad annum Vrbis ɪↄccɪv. Consules laudantur Faustus Sulla & Salvius Otho, qui L. Salvius Otho Titianus appellatus est, ut ex Inscriptione fratrum Arvalium Romæ olim ab Vrsino vulgata legitur: ADFVERVNT. A. VITELLIVS. M. APONIVS. SATVRNINVS. OTHO. TITIANVS. Cæterum de hoc Claudii aquæductu, Suetonius ipso Claudio: *Opera magna potius, quam necessaria, quam multa perfecit: sed vel præcipuum aquæductum a Cajo inchoatum.* Plinius: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Cajo Cæsare, & peracti a Claudio. Quippe a quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Addit Suetonius emissarium Fucini inter opera Claudiana consummatum, quod non invenias apud Dionem, qui disertim hæc verba: τὴν δὲ λίμνην, τὴν Φουκίνην, τὴν τῶν Μαρσῶν ἠθέλησε μὲν εἰς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν, ὅπως ἥτε χώρα ἡ περὶ αὐτὴν γεωργῆται, καὶ ὁ ποταμὸς ναυσίπορος μᾶλλον γίγνηται, μάτην δὲ δὴ ἐδαπανήθη.

pag. 52. ver. 9. [*ex fontibus duobus amplissimis & speciosis, Cæruleo (qui a similitudine appellatus est) & Curtio. Accipit & eum &c.*] (*ex fontibus duobus amplissimis & speciosis Cæruloque (qui a similitudine appellatus est) & Curtio accipit, & eum fontem, qui vocatur Albubinus*) Etiam corruptum est ultimi fontis nomen in quibusdam libris Frontinianis: in quibus omnibus restituendum, *Albudinus*; quod indubie rectum nomen est, & ab imperitis corruptum. Suetonius eodem Cæsare: *Claudiæ aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est.* Et fontem Curtium quidem binominem fuisse arbitror, ut etiam Albudinus vocaretur. Nam & Plinius lib. xxxvi. cap. xv. duos tantum, Curtium & Cæruleum commemorat; sicut & hæc Inscriptio: IMP. CAESAR. VESPASIANVS. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. III. DESIG. IIII. P. P. AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE. PER. ANNOS. NOVEM. SVA. PECVNIA. VRBI. RESTITVIT.

pag. 56. ver. 3. (*quod, cum terras cultas circa se habeat soli pinguis*) Apage *multas*, quod alii subtrudunt: πίονα ἔργα Græci vocant, quæ Maro *pinguia culta*; *terras cultas soli pinguis* noster Frontinus, τὰ ἐργάσιμα cum opponuntur τοῖς ὑλοφόροις, ἢ πετροφόροις. libro II. *Nam cum oriatur Anio supra Trebam angustam, seu quia per saxosos montes decurrit, paucis circa ipsum opidis objacentibus cultis*, &c.

pag. 56. ver. 6. (*interposita est Piscina limaria*) Piscinam cape non ἰχθυοτροφεῖον, sed κολυμβήθραν: aquam limosam & stagnantem. Glossæ veteres Græcanicæ: κολυμβήθρα, *piscina, natatura*. Infra: *Ex his via Latinæ, sex intra VII. milliarium contentis piscinis excipiuntur, ubi quasi respirante rivorum cursu limum deponunt.* Alibi se melius explicat: *Nec Virgo, nec Appia, nec Alsietina conceptacula, id est piscinas habent.* Vbi *conceptacula* vocat τὰς δεξαμενάς, sive *conceptiones*, ut infra loquitur.

pag. 56. ver. 6. (*ubi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua*) *Eliquaretur* in libris melioribus. *Eliquare* διυλίσαι, & διηθεῖσθαι, inde *eliquia* διυλισμοί. Glossæ: *liquatur*, διηθεῖται. Seneca de quodam fonte, lib. III. Nat. quæst. *Fœda quadam turbidus ex imo fundit, donec liberatus eliquatusque est.* Sic maria ex Oceano arctis faucibus terras intrantia quasi eliquari & colari dicit Solinus.

pag. 59. ver. 1. (*Non alienum mihi visum est longitudines quoque rivorum cujusque Ductus etiam per species operum complecti*) Melius legerim: *longitudines quoque rivorum cujusque ductus & profectus operam complecti.*

pag. 60. ver. 3. [*formas quoque Ductuum facera curavimus*] (*sed formas quoque Ductuum facere curavimus*) Doctissimus Turnebus hoc loco *formas* explicat rerum quarundam imagines & deformationes ac picturas: Ego *formas* tubulos interpretor, per quos unda adducitur aut derivatur; δοχεῖα nimirum sive conceptacula aquæductuum. In itinerario

Anto-

Antonini: *nunc nomina aquarum, quæ usibus æternæ urbis formarum constructionibus advecta sunt, indicemus*. Quæ formæ arcuationes sunt, & a Frontinianis etiam differuot. Ad oostram mentem plane cooducunt illa Cassiodori libro septimo, epistola sexta: *In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis*. Nimirum, inventa & probata per aquilegem aqua ducebatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut caoalibus ligneis, aut fictilibus tubis; ut loquitur Palladius lib. IX. rei rusticæ, cap. undecimo. Isti tubuli seu canales *formæ* appellantur, quarum mentio in jure oostro frequentissima. Nec ignoro tamen formas tubulorum imagines appellari: sed & illud non igooro, acutissimi Viri expositionem ad hunc auctoris locum noo conducere.

pag. 60. ver. 4. (*ex quibus appares*) *Appareret*, quod alias legitur, melius est & concinnius.

pag. 60. ver. 5. (*ubi montium lateribus specus appliciti*) Supra: *ubi inter amnem & specum consisteret & liquaretur aqua*. Immo per specum plerumque Veteres aquam duxisse, quod tum necesse erat fieri, docemur a Vitruvio libro VIII. cap. septimo, cum medii montes erant inter mœnia & caput fontis.

pag. 61. ver. 2. (*& deliberare tanquam assistentes*) Puto *delibrare*, quod a oonnullis typis editum. Sequitur: *Aquæ omnes diversa in urbem libra perveniunt*: ubi libra est altitudo, ut supra etiam adnotamus.

pag. 63. ver. 4. [*Sed Veteres humiliore directura perduxerunt, sive nondum ad subtile explorata &c.*] (*Sed Veteres humiliore directura perduxerunt, sive nondum subtili explorata arte librandi.*) Probant libri: *ad subtile explorata*, &c. Non adeo male: sicuti nos alias ad Q. Sereoum Sammooicum demonstraturi sumus.

pag. 66. ver. 8. [*ac proprio canali & nomine venit) hæ tres a Piscinis &c.*] (*ac proprio canali & nomine venit, & a Piscinis in eosdem arcus recipiuntur*) Quidam hoc modo referunt excusum: *Ac proprio canali & nomine venit hæres a piscinis*, &c. Scribo & interpungo: *Ac proprio canali & nomine venit. Hæ & a piscinis in eosdem arcus recipiuntur*. Quod explicatiooe non eget.

pag. 67. ver. 5. [*Prius tamen pars Iuliæ ad Spem veterem excepta Castellis Cœlii montis diffunditur*] (*Prius tamen pars Iuliæ ad Spem veterem excepta, Castellis CCLII. montis usibus diffunditur*) Habent editiones aliæ: *Prior tamen pars Iuliæ ad speciem veterem excepta, castellis CCVII. montis usibus diffunditur*. Quod per me licet incusent eruditissimi & accuratissimi viri. Nobis non placet illum Cynicum imitari, & ἄπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ. Cæterum receptacula publicarum aquarum *castella* vocabant, quæ *dividicula* veteres auctores. Festus: *Dividicula antiqui dicebant, quæ nunc sunt castella, ex quibus a rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit*: Hesychius: κάστελλος, ὄνομα τόπου ἄνω, καὶ κάτω φέροντος, ἐκ μερίζοντος τὸ ὕδωρ. Quæ vox in jure frequentissime occurrit. Frontious infra: *Est autem fere nunc in usu, cum plures quinariæ impetratæ fuerint, ne in viis sæpius convulneretur una fistula, ut excipiantur in castellum, ex quo singuli suum modum recipiunt*. Posteriores Impp. *conceptacula* vocarunt in lege secunda Cod. Theodos. Tit. de Aquæductu.

pag. 69. ver. 1. [*Marcia autem parte sui post Hortos Pallantianos in rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit se per Cælium. Ductus ipsius, montis usibus nihil ut inferior subministrans, finitur &c.*] (*Martia autem parte sui, post Hortos Pallantianos, in rivum, qui vocatur Herculaneus, dejicit se per Cælium. Ductus, ipsius montis usibus nihil ut inferior subministrans initur supra portam Capenam.*) Optimus & acutissimus Rubenius io electis suis hæc ita corrigit: *Ductus ipsius montis usibus nihil, at inferioribus ministrans, initur supra portam Capenam*. Si enim ductus ille per montem Cœlium, quomodo eo inferior? Sententia est: Aqua Martia etsi per Cœlium ducta, taoien colli illi non servit, sed tota & illibata fertur ad loca subjecta. Pro *initur* tamen *oritur* exhibuerunt alii librorum.

pag. 69. ver. 1. (*Post Hortos Pallantianos*) Mendose, *Plancianos*, quidam de vulgo referuot.

pag. 74. ver. 1. (*in arcus, qui vocantur Neroniani*) Iofra: *Posteaquam Nero Imp. Claudiam opere arcuato assumpsit, exceptam usque ad templum Divi Claudii perduxit, ut inde distribueretur* &c. Ergo *Neroniani arcus* a fundatore Nerone: quod absurde negat vir doctissimus, qui oescio quid de Græcorum νηρὸς hic interpretationis commioiscitur. Hoc non ignoro, νηρὸν Græcis esse locum aquæ irriguum. Inde Νερώνιος λίθος, quem alii Νερωνιανὸν dixere, quasi a Nerone.

Quod

Quod e diverso falsum est. Epiphanius: καὶ ὁ μὲν Νερωνιακὸς πικρὸς τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Inde νυρὸν τόπον apud Lycophronem Grammatici exponunt τὸν κοῖλον καὶ κάθυγρον. Hæc perperam & inepte Neronianis arcubus attribuuntur.

pag. 77. ver. 2. (*Rivus Appiæ sub Cœlio monte & Aventino actus emergit*) Id est, perductus aut subductus emergit. Vlpianus in lege I. D. de Rivis: *Vnde ait, primum aqua ex flumine agi possit*; id est, perduci. Inde *actus* pro fluxu apud Lucretium:

Et pigri latices, magis & cunctantior actus.

pag. 79. ver. 4. (*Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt*) Vide & confer Digestorum titulum de Aqua Quotidiana, & legem secundam & tertiam de Aquæduct. Codic. Theodosian. Qui Frontino *moduli* sunt, aliis *haustra* dicuntur. Nonius cados & ἄντλια minus recte interpretatur: nam cadi proprie sunt situli, qui tollenonibus suspenduntur, aut trochleis per funes e puteo tolluntur. Herodotus vocat γαυλὸν, Græci ἄντλον, unde ἀντλεῖν: *aucla* & *anclare* apud Latinos. Minima pars agrestium mensurarum erat *digitus*. Agrimensor incertus: *Digitus est pars minima agrestium mensurarum*. Inde δακτύλιος ὕδατος. Inde Græcorum verbo dicebant: Δίδωμι καὶ χαρίζομαι σοὶ δακτύλιον ὕδατος, id est, tubulum, qui digitum unum sit latus. Nam secundum ejus latitudinem vel crassitiem digitalis mensura accipiebatur. Quod imprimis antiqui medicorum filii observarunt. Dioscorides de anchusa scribens, δακτύλου τὸ πάχος, & de brunio, καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον ὑπόμηκη, πάχος δακτυλιαῖον. Sic δακτύλιος ὕδατος. Sic *digitum aquæ* se Gajo Sejo concedere, Lucius Titius notum facit epistola sua in lege Λάκιος, D. de Servitut. Vrb. Præd. Vetus Inscriptio Suessana: ET. VT. AQVAE. DIGITVS. IN. DOMO. EIVS. FLVERET. COMMODISQVE. PVBLICIS. AC. SI. DECVRIO. FRVERETVR. Vide Plinium lib. xxxi. cap. vi. Inde δακτύλου ἡμέρα apud Zenobium, Diogenianum, Suidam, pro brevissimo spatio. Et Martialis momentum volens describere, *ad digitum* dixit.

Lex erat, ad digitum posita concurrere palma.

Palma posita erat concursuris momento, uter prævaleret, vitæ necisque potestate sub unum ictum commissi. Sic incertus Poeta Anthologiæ libro VII.

Πίνωμεν βάκχου ζωρὸν πόμα, δάκτυλος ἀώς,
Ἦ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν;

Hoc est digiti unius spatium, omne id quod vivimus. Sed de his alibi plura.

pag. 79. ver. 6. [*uncia in ....*] (*Vncia in pupula*) Monuit Scriverius alias legi: *Vncia in pupulatita hæc observantur*. Error ex connexione literarum ortus. *Pupula*, legit etiam Ortelius.

pag. 87. ver. 10. [*capit enim quinariam unam & quincuncem sicilicum*] (*capit etiam quinariam unam quincuncem sicilicum*) *Siciliquam*, alii libri. *Sicilicus*, quarta pars unciæ. Glossæ: τέταρτον οὐγκίας, *sicilicum*.

pag. 99. ver. 5. [*Et quemadmodum (verbi gratia) sextarii ratio &c.*] (*Et quemadmodum, verbi gratia, sextariis ratio ad cyathos.*) Infra *calices* vocat: *Sed & calicis positio habet momentum*; id est, momen, ut antiqui loquebantur.

pag. 112. ver. 4. (*usque ad nostram curam*) Non damno veteris scripturam: *usque in nostram curam*. Frontinus alibi: *In re, qua usque in id tempus, quasi potestate acta, certo jure egisset*. Florus lib. I. cap. 6. *Substitutus in locum regis, quasi usque in tempus*. Vulgati, *ad tempus*.

pag. 112. ver. 5. (*scrupulosa inquisitione, præeunte*) Proprie *scrupulosa* dictum. Nam *scrupulosus*, est μικρολόγος, qui in minima quæque inquirit. In Glossis Philoxeni σηραγγῶδες exponitur, *scrupulosum*; nam σήραγξ est fissura terræ & caverna. Arnobius lib. IV. *Qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt.*

pag. 137. ver. 8. [*Ideoque cum sincera &c.*] (*Itaque cum sincera in Vrbem proprio rivo perveniret*) Pura, nec aliis intermixta; in urbe enim miscebatur cum Anione novo. *Sincerum* est ἀκέραιον. *Insinceritas*, aquæ turbiditas. Papias: *Sinceri, puri, & sine admixtione corruptionis.*

pag. 156. ver. 13. (*Sentit hanc curam Imperatoris piissimi Nervæ Principis sui Regina & Domina orbis in dies, &c. cui par nihil & nihil secundum*) Omnino a Martiale mutuatus est Vrbis elogium Frontinus, nec aliena manu allitum vel adscriptum est ab interpolatore, ut Lipsius suspicatur. Amant enim interdum ejusmodi lascivias Poetarum scriptis suis intexere Latini scriptores & historici. Quod ubivis obvium est, & illustrationis haud eget. Paribus autem elogiis multi veterum Romam collaudarunt. Eunapius Sardianus, βασιλεύουσα Ῥώμη. Erinna Poetria,

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος

Χρυσεόμιτρα, δαΐφρον ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.

AEthicus: *Domina totius mundi Roma.* Rutilius Numant.

—— regina .... pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.

pag. 166. ver. 3. (*eam nos caducam vocamus*) Vide Varronem de Re Rust. lib. III. cap. 5. Sic infra ex S.C. refert, edixisse Nervam: CADVCAM. NEMINEM. VOLO. DVCERE. NISI. QVI. MEO. BENEFICIO. AVT. PRIORVM. PRINCIPVM. HABENT. Etiam illæ aquæ, quæ ex castellis & fistularum manationibus fluebant, *caducæ* vocabantur, ut observat Vir Illustris ad Varronem. Inde apud Nonium legendum: *Aquæ caduciter ruens*, id est præcipitanter; non *caducitur*, ut pro verbo male lectum.

pag. 166. ver. 8. (*Ad quem autem Magistratum jus dandæ vendendæve aquæ pertinuerit, in iis ipsis Legibus variatur. Interdum enim ab AEdilibus*, &c.) AEdilium numero numerabantur magistratus. Festus a Scaligero restitutus: *AEdilis initio dictus est, quod ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Deinde ad magistratus translatum est.* Nam hoc nomine omnes, ut ait Lucretius, æditurentes vocabantur.

pag. 167. ver. 9. (*positamque Redemptoribus necessitatem*) Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum aliquid publice faciendum aut præbendum conduxerant effeceranteque, tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus *emere* pro *accipere* ponebatur: at ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt præbendum, utendumque. Sic habes apud eundem Festum. Glossæ veteres: *redemptor*, ἐργολάβος, ἐκλήπτωρ. Aliæ: ἐκλήπτωρ, *conductor, exceptor.* Vetus Formula de ædificiis: NE. RECENTIORE. TRIMA. ARENA. VTERETVR. REDEMPTOR. Perperam; lego: NE. RECENTIOR. TRIMA. ARENA. VTERETVR. REDEMPTOR.

pag. 169. ver. 4. (*quod Circus Maximus ne diebus quidem Ludorum Circensium, nisi AEdilium aut Censorum permissu, irrigabatur*) Hæc verba de irrigatione sumenda sunt, quæ fossis Circo circumdatis, & Euripis aquam inducebat. Euripos, ut Nilos, aquæductus apertos & grandes appellaverunt, quos vulgo canales aquæ dicimus. Hesychius: *Εὔριπος, δοχὴ τῶν ὑδάτων. Εὔριποι, δοχὰς ὑδάτων* exponit, quas Latini *dogas* exinde dixere. Et hoc proprie *irrigare*, cum riguis sive rivis aqua inducitur: *irriguare* cum deducitur, quod Græcis ἀρδεύειν, ut *rigua*; τὰ ἐπίῤῥυτα τὰ ἐποχετευόμενα. Viri magni perperam referunt ad nescio quam refrigerationem, qua in theatro aquarum per semitas decursu æstivus minuebatur fervor; cujus rei primus auctor Pompejus.

pag. 170. ver. 1. (*quod durasse etiam postquam res ad Curatores transiit sub Augusto, apud Attejum Capitonem legimus*) Sane mos ille Circi per Euripos irrigandi usque in Neronem mansit, qui Euripos sustulit, & eorum loco, alia loca, unde eques spectaret, addidit: Quod alibi Plinius aperte subindicat. Illud autem Frontini παρόραμα est.

pag. 171. ver. 1. [*NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE SALIET.*] (*NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE. SALIT.*) Quid *oletare* sit, ipse subjungit hisce verbis: *oletato, videtur esse olidam facito.* Quod nuspiam alibi me legisse memini. Illud obiter addam, Veteres, cum odorem δυσοσμίαν indicare vellent, antiquo verbo *olo* sæpissime usos. Afranius Fratriis: *Non potest, quin illa tacta, longeque & multis olat.* Pomponius Aleonibus: *Alea ludam sane? meæ male olant manus.* Nonius: *olat pro oleat.* Inde *oletum*, τὸ ἀποσχεδαζόμενον τῷ ἀνθρώπῳ. Glossæ: *oletum*, κόπρος. Persius Sat. 1. *Vero quisquam hic faxit oletum.* Verranius apud Festum: *Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum*, id est, oletavit.

pag. 172. ver. 4. (*Habuit & familiam propriam,*) Sic omnino distinguendum: non, ut inepte alii, *habuit & familiam propriam aquarum, quæ tueretur ductus.* Non habuit Agrippa familiam aquarum, sed familiam ad tuendos aquarum ductus. Homines servos antiqui vocabant a famulando, *familias*; ut habes apud Vlpianum l. 1. D. de vi armata. Vnde *gladiatorum familia* apud Ciceronem; &, *ager familiæ est assignatus*, in libro Coloniarum. Seneca Epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt; servos (quod etiam in Mimis adhuc durat) familiares.*

pag. 176. ver. 6. (*ET. SERVOS. PVBLICOS. TERNOS ARCHITECTOS SINGVLOS*) Indubie mihi persuadeo, SERVOS. PVBLICOS. esse servos mercenarios & conductitios. Veteres Latini *ambactum* vocarunt

talem operarium. Glossæ Scaligero post Turnebum laudatæ: *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Inde Festus ait, ambactum apud Ennium significare servum mercenarium. Hic proprie *publicus* & μισθωτὸς, Iuliano in epist. δοῦλος δημόσιος. Plinius X. Epistolar. *Quidam vel in opus damnati, vel in ludum publicorum servorum officio funguntur*. Qui sequuntur ACCENSI, non adscriptitii sunt, sed in municipiis, itemque Romæ publici etiam ministerii nomen. Vetus Inscriptio:

T. STATILIVS. VOL. PROCVLVS.
ACCENSVS. VELATVS. ET. ARGENTARIA.
EVTYCHIA. PARENTES. FILIO. OPTVMO. ET.
ORCIVIAE. ANTHIDI. VXOR. I. EIVS. SIBIQVE. ET. SVIS.
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE. EORVM.

Saxum Appianum prope Formias.

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI.
SCRIBAE. AEDILIC.
ACCENSO. VELATO.
II. VIRO. QVINQVENN.
CVRATORI. VIARVM.

pag. 179. ver. 7. (*VTIQVE. TABVLAS. CHARTAS. CETERAQVE*) Vltimam vocem CAERASQVE. legerunt, & CAERAS. QVAEQVE. varii libri, notante Scriverio. Quod ego non muto, sed in aliam scribendi rationem immuto: CERAS. QVAEQVE. Sic antiqui libri, sic Græci suum κηρός: Plerumque in ceratis tabulis scribere solebant, & postea delere. Iulius Aphricanus cap. LVI. τοῖς κηρίνοις ἐπιστολῶν εἰσποιητὴς, eleganter hanc rem explicat: ἄλλην πάλιν ἐν τῷ τῆς δέλτου ξύλῳ γράψαντες, κηρὸν ἐπέτηξαν, καὶ ἄλλα εἰς τὸν κηρὸν ἔγραψαν. Εἶτα ὅτε ἦλθε, πρότερον δὴ τὸν κηρὸν ἐκκνίσας, καὶ ἀναγνοὺς, ὁμοιοτρόπως ἀντεπέστειλε.

pag. 179. ver. 8. [*OIVS. ESSENT. IIS. CVRATORIBVS. PRAEBERI*] (*OPVS. ESSET. IIS. CVRATORIBVS. PRAEBENDA*) Lego: OPVS ESSENT. IIS. CVRATORIBVS. PRAEBERI.

pag. 179. ver. 9. [*Q. AELIVS. PAVLLVS. FABIVS. &c.*] (*Q. AELIVS. P. FABIVS. COSS. AMBO. ALTERVE. SI. IIS. VIDEBITVR*) Non: SI. VIDEBITVR. ut inepte Scriverio collati, qui minus expresserunt formulam. Valerius Probus de Notis antiquis, hæc verba sic expressit: A. A. V. S. E. V. Obiter emendabimus Vegetium libro III. cap. I. *Vt providerent, ne quid detrimenti resp. caperet, COSS. alter vel alter, ambove*. Scriptum fuit: *COSS. ambo alterve*. ΑΜΦΟΤΕΡΟΥΣ. ΥΠΑΤΟΥΣ. ΚΑΙ. ΕΤΕΡΟΝ. in S.C. Græco in æs incisio Romæ legimus. Cicero VIII. Philipp. *Vti C. Pansa, A. Hirtius COSS. alter, ambove, si eis videatur, de eius honore præmiove ad Senatum primo quoque die deferant*. Philipp. X. *Vti C. Pansa, A. Hirtius COSS. alter ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque Pop. Romani, Vrbe, templisque Deorum profudissent, monumentum facere jubeant*. Livius lib. XXX. *Non videri sibi, absente Consulum altero, ambobusve, eam rem agi*.

pag. 180. ver. 2. [*QVI. AERARIO. PRAESINT. EA &c.*] (*QVI AERARIO. PRAESINT. ET. PRAEBENDA. LOCENT.*) Scriverio collati: QVI. AERARIO. PRAESVNT. PRAEBENDA. LOCENT. Lego: QVI. AERARIO. PRAESVNT. EA. PRAEBENDA. LOCENT.

pag. 180. ver. 3. [*Itemque, cum Viarum Curatores frumentique parte quarta anni &c.*] (*Itaque cum Viarum frumentique Curatores, qui quarta parte anni publico fungebantur ministerio*) Primus Augustus Curatores viarum fecit perpetuos, & horum certum munus. Erat autem eorum munus discretum a IV. Viris, & mox VI. Viris: nam hi vias Vrbis curabant; illi eas, quæ extra urbem. Etiam Curatores extra ordinem reperti, quos destinabant singulis viis. Qui autem frumenti curam sustinebant, alio nomine dicebantur Minutiæ Curarores. In veteri lapide: CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIAE. CVR ALVEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS.

pag. 189. ver. 1. (*QVIBVS. NEGOTIVM. A. SENATV. EST. IMPERATVM*) DATVM. pro IMPERATVM. alii exhibent. Et infra: DARE. OPERAM. VT. SALIENTES. Iidem ineptissime: IMPERARE. OPERAM. In S.C. Vellejano: *Hi, ad quos de ea re in jure aditum erit, si dederint operam*. Livius libro X. *Legatis, quos Tybur mittebat, mandatum; darent operam, ut tibicines Romanis restituerentur*.

pag. 192. ver. 4. (*Ius impetratæ aqua neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum sequitur*) Vide Fr. Duarenum Commentar. in Tit. de Aquæductu.

pag. 199. ver. 7. [*Adhuc illa Aquariorum intole-*

intolerabilis fraus est, translata in novum possessorem aqua, foramen novum Castello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahunt aquam] (*Adhuc illa Aquariorum intolerabilis fraus est, translatæ in novum possessorem aquæ foramen novum Castello imponunt, vetus relinquunt, quo venalem extrahunt aquam*) Merius: *translata in novum possessorem aqua*. Romani autem venalem aquam per aquarios circumferri definiebant (ut etiamnum in Italia moris est) ad quod Iuvenalis alludit Sat. VI.

—— *veniet conductus aquarius*.

Primus usus honestus legitimusque, nam lavantibus aquæ aspersio necessaria; postea sordidus & impudicus. Festus: *Aquarioli mulierum impudicarum sordidi asseclæ*. Glossæ veteres; *Aquarioli*, βαλλάδες, *bacariones*. Eædem: *bacario*, πορνοδιάκονος. Lampridius in Commodo: *aquam gessit, ut lenonum magister*.

pag. 203. ver. 8. (*Quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus Aquarum pertinentium*) Scriptum fuit in aliis: *quod impendium erogatur*. Et proprie quidem *impendium*, ἀνάλωμα, pecunia est, quæ erogando pendi solet. Hinc *impendia* dicuntur, quæ sunt necessaria in aliquam rem erogandam, vel etiam exonerandam. Glossæ: *Impendia*, τὰ ἐπιτήδεια. Frontinus paullo infra: *Unde & omne plumbum, & omnes impensæ ad ductus, & castella, & lacus pertinentes, erogantur*. Non *erogabantur*, ut alii ad oram allevetunt.

pag. 205. ver. 3. [*plerumque tamen &c.*] (*Pleraque tamen prudenti temperamento sustinenda sunt*) *Prudenti*, id est, artificioso. Sic Plinius *artifex temperamentum* dixit. Et sic ubique loquitur Ennodius, qui omnia ferme ab antiquioribus mutuatus est.

pag. 205. ver. 7. (*nec suæ tantum stationis Architectis uti*) Lampridius in Commodo: *Iam in his artifex, quæ stationis Imperatoriæ non erant*. Statio igitur pro statu sive conditione. Glossæ veteres Græcanicæ: *stationes*, τὰ πρακτεῖα τῶν δημοσίων τελῶν.

pag. 206. ver. 7. [*Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non &c.*] (*Vitia autem ejusmodi, aut talia sunt, ut non interpellato cursu subveniatur eis*) Ad oram Scriveriani: *Vitia autem ejusmodi sunt, ut aut non interpellato cursu*. Quod multo melius est, & concinnius. Veteres schedæ, quibus humanitate & beneficio clarissimi Viri Ioachimi Borgesii, Groningani Professoris, utor, eandem nobis lectionem exhibuerunt. Non dissimulabo tamen ὡραῖον illud, quod eidem Scriveriano meo adscriptum fuit: *Vitia autem ejusmodi, aut solia sunt*. Ex vitiosa lectione formabam prius: *Vitia autem ejusmodi, aut soleæ sunt*. Sequentia non adeo repugnant, exposita, forsan corrupta, voce. *Soleæ*, canales sunt & fistulæ aquæductuum. Vet. Inscriptio: FORNICESQVE. FECIT. FISTVLASQVE. SOLEAS. Auctor Glossarum: Σωλὴν, *fistula, tubus, imbrix*. Inde Silani, κρουνοὶ, ἀρχαὶ τῶν ῥευμάτων, ut superius adnotamus. Columella sic legendus: *Oleo conficiendo molæ utiliores sunt quam trapetum; trapetum, quam canalis & solea*. Perperam *Solena* mutavit Cœlius. Sed judicent οἱ τὰ πάρυγρα ἐργαζόμενοι.

pag. 207. ver. 6. (*Pilæ quoque ipsæ topho exstructæ sub tam magno onere labuntur*) Corrupto tectorio, quod oppilando debet inniti. Quid *pilæ* sint, optime Festus nos docet: *Pila*, inquit, *quæ parietem sustentat, ab oppilando dicta*. Vulgo mendose: *ab opponendo dicta*. Structura nimirum erecta, instar pilæ vasis, ad aliquid firmandum; sive supposita sustineat, sive opposita contineat, ne loco cedant. Hesychius: ὅλμος· περιφερὴς λίθος ἐν ᾧ τὰς βοτάνας τρίβουσιν, καὶ ποτηρίου εἶδος, καὶ κύλινδρος. Quia & ὅλμος est pila & cylindrus, unam cum pila vase vocem statuit, diversis rebus similibus accommodatam. Apud Thucydidem χηλαὶ sunt προκυμαία, pilæ in aquis fundatæ ad portuum tutelam: moles nimirum in mare procurrentes, & portum a fluctibus defendentes. Has Strabo intelligit lib. III. χηλαὶ δύο ὅρμον ἔχουσαι. Glossæ veteres *pilas* eleganter exponunt παραστάδες: nam quod in foribus sunt παραστάδες, id in portu χηλαί. Græcis interdum χώματα sunt, quæ recentioribus μῶλοι. Sed optime Thucydidis Scholiastes: χηλὴ οἱ ἔμπροσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένοι λίθοι, διὰ τὴν τῶν κυμάτων βίαν, μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιτο: & adjungit causam, παρὰ τὸ ἐοικέναι χηλῇ βοός. Ego aliam malo, quod muri pedem firmet, & fluctus retundat, ne labefactetur subeuntibus & cachinnantibus undis. Cæterum pilæ topho exstructæ sub arcuationum magno & prægravi onere labuntur: nimirum, qui fundus est cavernosus, & ipse tophus πῶρος λίθος, qui facile in arenam resolvitur.

pag. 209. ver. 3. [*eam partem æstatis, quæ nimiis &c.*] (*eam partem æstatis, quæ nimiis*

caloribus incandescit) Vel *nimiis*, ut alii legerunt. Refici quæ circa alveos sunt rivorum, fervidissimo anni tempore non debent, ne materiæ præcipiantur, & nimia siccitate minus corroborentur. Eleganter autem de illis mensibus loquitur, *qui nimiis caloribus incandescunt*. Solinus: *Quum ortus solis incanduerit*. Et Orosius lib. I. *Gravis æstus incanduit, ut Sol per devia transvectus universum orbem igne terruisse dicatur*. Ita Græci usurpant suum πεπυρῶσθαι, & πυρακτούμενον. In Sophoclis Ajace, φαὸς λαμπρὸν, & πυρὸς λαμπρὸς αὐγὴ, apud Oppianum.

pag. 209. ver. 6. (*Non minus autem sol acrior, quam gelatio præcipit materiam*) Venuste *præcipit*, ut apud Poetam: *Si lac præceperit æstas*. Quod sequitur, *obstaturum*, ad Strategemata notavimus.

pag. 216. ver. 2. (*SI. QVIS. ADVERSVS. EA. COMMISERIT*) Sequenti S. C. QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. In aliis: QVI. ALITER. FAXIT. CAPITALE. ESTO. In Regiis Numæ Legibus: SI. QVIS. ALIVTA. FAXIT. IPSVS IOVI. SACER. ESTO. Ἐὰν ἀλῷ, ἐὰν ἄλλως ποιήσῃ τις τῷ νόμῳ ἔνοχος ἔστω, solenne est apud Demosthenem.

pag. 218. ver. 4. (*POPVLVM. IVRE. ROGAVIT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT*) Compendio literarum hæc prius scripta fuerunt, ut solennia verba referuntur a Valerio Probo: P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Ex eorum imperita interpretatione, nata sunt hæc monstra verborum: AEDIS. D. IVLII. POPVLI. ROM. IVLII. Scriptum fuit in lege, ANTE DIEM. PRIDIE. Cicero ad Atticum lib. II. Ep. 14. *Ni te in Formiano commodissime exspectari viderem, duntaxat A. D. prid. Non. Maji*. Livius lib. XLV. *Latinæ edictæ sunt in A. IV. & III. & prid. Eid. Novembr.* Idem Cicero de Formula, prima in Antonium: *Cedo illa legitima, c o s s. Populum jure rogavit (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi) populusque jure scivit*. In Legis Thoriæ Fragmento, (lubet hoc etiam inserere ob Thorii antiquitatem, cujus iterata mihi mentio fuit cum conjunctissimo & Consultissimo Dn. Eylio) SP. THORIVS.... F. TR. PL. PLEBEM. IVRE. ROGAVIT. PLEBESQVE. IVRE. SCIVIT. TRIBVS..... PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV. Q. FABIVS. Q. F. PRIMVS. SCIVIT. QVEI. AGER. POPLICVS. POPVLI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVCIO. L. QVEI. EX. LEGE. PLEBEIVE. SC. H. VETERE. POSSESSORE. POSSESSVS. SIT.

pag. 220. ver. 1. [*TRIBVI. SERGIAE. &c.*] (*TRIBVI. SERGIA. PRINCIPIVM. FVIT*) Alii libri: TRIBV. SERGIA. PRINCIPIVM. FVIT. Omnino legendum: TRIBVS. SERGIA. PRINCIPVM. FVIT. Legum initiis adscribi solita tribus, quæ prima ad suffragium ferendum vocata erat, cui exinde Principis nomen impositum. Hæc optime docuit incomparabilis Brissonius in elegantissimo & eruditissimo Formularum libro.

pag. 221. ver 4 [*IRE. CADERE. FLVERE*] (*IRE. CADERE. FLVI.*) Lege: FLVERE. Varro: *Stillicidia, fluvia, quæ ut ita fluat cadantque*.

pag. 222. ver. 9. [*VT. QVICVMQVE. CVRATOR. &c.*] (*VT. QVISCVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. VEL. ERIT*) Nonnulli plenius exhibent & concinnius: VT. QVISCVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. ERIT. AVT. SI. CVRATOR. AQVARVM. NEMO. ERIT.

pag. 225. ver. 4. [*QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. ET. ADVERSVS EVM. SIREMPS.*] (*QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. ET. ADVERSVS. EA. REPSERIT*) Aliter notante Scriverio: ADVERSVS. EVM. SIREMPS. LEX. ET. IVS. CAVSAQVE. OMNIVM. RERVM. OMNIBVS. ESTO. VTIQVE. ESSET. Valerius Probus. S. L. E. I. C. Q. O. R. E. Illud SIREMPS, optimo Grammatico Charisio Sosipatro notatum Lib. I. Institut. *Alia nominativum & ablativum habent, ut Tabes, Pluris, Sirempsi; facis ab hac tabe, plure, Sirempse. Cinna autem in Smyrna dixit, hujus Tabis, nullo auctore Sirempse legitur*. Errant igitur, qui legere malunt in S.C.: *Similiter Lex Esto*. Nam ita locus valde corruptus restitui posse videtur. Lex Thoria: DE. EO. AGRO. SIREMPS. LEX. ESTO.

pag. 226. ver. 4. [........................ .....] (*SENTES. VEPRES. CAPRIFICOS*) Ora libri nostri Scriveriani: SENTICES. VIPRES. Glossæ: *Sentes*, ἄκανθαι. *Senticetum*, ἀκανθιών. emendo, ἀκανθών. Immo VIPRES sunt & ipsi *vepres*, ῥῶπες. Quod indicium est antiquæ notæ. Sic infra: VITES. VIPRES. SENTICES. ubi VITES. notabis ἀντὶ φυτῶν ἀγρίας.

F I N I S.

INDEX
VOCABVLORVM
QVAE IN COMMENTARIO
SEX. IVLII FRONTINI
DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE
CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, alter versum significat.

A

ædilis.

B

C

castello-

D

ducun-

E

F

facient.

G

genus.

H

I

imperitia.

K

L

loco.

M

N

O

P

plaaco.

princi-

Q

quanto-

R

S

ſalubrem.

ſicubi.

ſuffice-

vitiari.

FINIS.

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM

Quæ in Prolegomenis, & in Notis Commentario ſubjectis continentur: necnon

AVTHORVM,

Quorum loca aliqua aut emendantur, aut explicantur.

Numeri, quos ſubſequitur parentheſis ſignum, Prolegomenorum paginas ſignificant; ex iis vero, qui bini ſunt, prior Notarum paginam, alter verſum.

A

&

B

C

Dale-

D

E

F

Fiscum

G

H

I

Keu-

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

F I N I S.

EMENDANDA.

Pagina 2. *versu* 2. *&* *v.* 27. *lege* etiam securitatem. *p.* 5. *v.* 38. pag. 45. *p.* 19. *v.* 51. Nota 5. *v.* 52. Nota 2. *v. ult.* Nota 3. *p.* 20. *v.* 4. Art. 22. *p.* 22. *v.* 6. manubus. *p.* 36. *v.* 49. nuncupatam. Porro in illam sententiam magis feror, quam in eam Panciroli, qui (in Descrip. Urb. Rom.) Tepulam forte dictam a loco, unde extrahebatur, autumavit. *p.* 45. *v.* 42. delectatione. *p.* 67. *v.* 47. ad pag. 1. *p.* 73. *v.* 48. EPISTUL. Aliæ etiam Tuborum, Fistularum, Tubulorum plumbeorum figuræ, & inscriptiones videri queunt apud Gruterum pag. 182. & 183. *p.* 75. *v.* 14. factum. *p.* 76. *v.* 5. idest, *& ita ubique*. *p.* 84. *v.* 21. 1413 & 2: 3. *p.* 91. *v.* 15. universitati. *p.* 97. *v.* 30. monebo. *p.* 124. *v.* 3. Ad. *p.* 130. *v.* 11. Mare Inferum, duæ. *p.* 141. *v.* 22. Codicibus. *p.* 144. *v.* 37. ut videtur asserere. *p.* 145. *v.* 28. est. At nostram lectionem Opsopœus etiam proposuit. *p.* 156. *v.* 14. in dies. *p.* 156. *v.* 7. *& p.* 159. *v.* 12. in primis. *p.* 162. *v.* 2. *& p.* 193. *v.* 1. balineis. *p.* 163. *v.* 32. *& v.* 39. Treba. *p.* 163. *v.* 40. Trebam. *p.* 209. *v.* 45. quin a VII. milliario. *p.* 237. *v.* 9. *ad oram*. Notas. *p.* 264. *v.* 12. *col.* 2. 346.

SERIES TABVLARVM.

IMPRESS. TYPIS
SEMINARII PATAVINI.

Intiere con Fri.ⁱ Quindeci — 15.